MAZZOTTA
THEOLOGIA
MORALIS

Digitized by Google

17 (2nd)
M53n

Digitized by Google

THEOLOGIA
MORALIS
P. NICOLAI MAZZOTTA
E SOCIETATE JESU.

In quatuor Tomos distributa, atque omnem rem moralem absolutissime complectens.

15342

DICATA

EXCELLENTISS., AC REVERENDISS. DOMINO

MARCELLO
PHILAMARINO
Ex Ducibus Turris, &c.
EPISCOPO MILETENSI

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA Y LETRAS MADRID

TOMUS II.

Ubi duplex Theologico-Moralis Tractatio, altera scilicet DE CONTRACTIBUS, *altera* DE RESTITUTIONE *continetur.*

NEAPOLI, CIↃ. IↃCC. XXXXVIII.
Excudebat Typographus Joseph Antonius Elia.
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYLLABUS

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.,

Quæ in III. Tractatu Theologico-Morali

DE CONTRACTIBUS

Continentur.

DISPUTATIO I.

QUÆSTIO UNICA

De Contractibus in genere. pag. 5

CAPUT I. *Quid sit Contractus?* ibid.
II. *Quotuplex sit Contractus?* 11
III. *Quæ sint qualitates Contractus?* 13
IV. *Quæ sit materia Contractus?* 18
V. *Quis possit contrahere?* 23
VI. *An error, & dolus obstent valori Contractus?* 31
VII. *An vis, & metus obstent valori Contractus?* 35
VIII. *An Contractus invalidi Juramento firmentur?* 40

DISPUTATIO II.

De Contractibus gratuitis. 42

QUÆSTIO I.

De promissione, & donatione. 43

CAPUT I. *Quid de Promissione?* ibid.
§. I. *De obligatione fidei in Promittente.* ibid.
§. II. *De acceptatione Promissarii.* 47
CAPUT II. *Quid de Donatione?* 52
§. I. *De Donatione inter vivos.* ibid.
§. II. *De Donatione causa mortis.* 60

QUÆSTIO II.

De ultimis Voluntatibus. 62

CAPUT I. *Quæ sint ultimæ voluntates, & quæ earum solemnitas?* ibid.

Digitized by Google

II. *Quid de Teſtatore?* 66
III. *Quid de Hærede?* 69
IV. *Quid de Legatario, & Exequutore teſtamentario?* 74

QUÆSTIO III.

De Depoſito, Commodato, & Precario. 78

CAPUT I. *Quid de Depoſito?* 79
II. *Quid de Commodato, & Precario?* 82

QUÆSTIO IV.

De Mutuo, & Uſura. 85

CAPUT I. *Quid de Mutuo?* ibid.
II. *Quid de Uſura?* 90
III. *Ex quibus titulis exigi poſſit auctarium in mutuo?* 93
§. I. *De Lucro ceſſante.* 94
§. II. *De Damno emergente* 97
§. III. *De Periculo amittendæ ſortis.* 98
CAPUT IV. *An ſint alii tituli exigendi auctarium in mutuo?* 102

DISPUTATIO III.

De Contractibus oneroſis. 109

QUÆSTIO I.

De Emptione, & Venditione. *ibid.*

CAPUT I. *Quid de Pretio?* 110
II. *Quid de Merce?* 115
III. *Quid de reliquis ſpectantibus ad emptionem, & venditionem?* 124

QUÆSTIO II.

De Cenſibus. 130

CAPUT I. *Quid, & Quotuplex ſit cenſus?* ibid.
II. *Quid de Cenſu reali?* 134
III. *Quid de Cenſu perſonali?* 139
IV. *Quid de Cenſu temporali, & vitalitio?* 141

V. *Quæ*

Digitized by Google

V. *Quæ pacta adjici possint censui?* 143

QUÆSTIO III.

De Cambiis. 145

CAPUT I. *Quid de Cambio minuto?* 146
II. *Quid de cambio locali, seu per litteras?* 148

QUÆSTIO IV.

De Societate. 153

CAPUT I. *Quid, & Quotuplex sit societas?* ibid.
II. *Quid de rebus in Societate collatis?* 154
III. *Quid de damno, & expensis communibus?* 157
IV. *Quid de Contractu Trium?* 161
V. *Quot modis dissolvi possit societas?* 162

QUÆSTIO V.

De Ludo, Sponsione, & Sortibus. 164

CAPUT I. *Quid de Ludo?* ibid.
§. UNIC. *Quænam sint Conditiones justi ludi?* 167
CAPUV II. *Quid de Sponsione?* 170
III. *Quid de Sortibus?* 171

QUÆSTIO VI.

De Locato, & Conducto, Emphyteusi, Feudo, & Libello. 173

CAPUT I. *Quid de Locato, & Conducto?* ibid.
II. *Quid de Emphyteusi?* 179
III. *Quid de Feudo?* 182
IV. *Quid de Libello?* 184

QUÆSTIO VII.

De Pignore, Hypotheca, Assecuratione, Fidejussione Compromisso, Transactione, & Compositione. *ibid.*

CAPUT I. *Quid de Pignore, & Hypotheca?* ibid.
II. *Quid de Assecuratione?* 188

Digitized by Google

III. *Quid de Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione?* 189

DISPUTATIO IV.

De quasi Contractibus. 192

QUÆSTIO UNICA. *ibid.*

CAPUT I. *Quæ sint obligationes ex negotiis gestis?* ibid.
II. *Quæ sint obligationes ex mandato?* 193
III. *Quid sit officium Judicis?* 198
IV. *Quid sint Gabellæ?* 204

DISPUTATIO V.

De Simonia, & Beneficiis. 212

QUÆSTIO UNICA. 213

CAPUT I. *Quid de Simonia in genere?* ibid.
§. I. *Quid sit Simonia?* ibid.
§. II. *Quotuplex sit Simonia?* 218
CAPUT II. *De Beneficiis Ecclesiasticis.* 222
§. I. *Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?* ibid.
§. II. *Quomodo acquiratur, & amittatur Beneficium?* 226
CAPUT III. *Quid de Simonia in materia Beneficiaria?* 234
IV. *Quid de pœnis Simoniacorum?* 240

Digitized by Google

SYLLABUS

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.,

Quæ in IV. Tractatu Theologico-Morali

DE RESTITUTIONE

Continentur.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere. pag. 243

QUÆSTIO I.

De Jure, & Injuria. *ibid.*

CAPUT I. *Quid, & Quotuplex sit jus, & injuria?* 244
II. *Quid, & Quotuplex sit dominium?* 247
III. *Quomodo acquiratur dominium?* 254

QUÆSTIO II.

De natura Restitutionis. 263

CAPUT I. *Quid sit Restitutio, & quæ sit ejus obligatio, & necessitas?* 264
II. *An Restitutio sit actus Justitiæ commutativæ?* 268
III. *An Restitutio esse possit actus alterius virtutis a Justitia commutativa distinctæ?* 274

QUÆSTIO III.

De Radicibus Restitutionis. 285

CAPUT I. *Ad quid teneatur possessor, seu destructor bona Fidei ratione rei acceptæ?* 284
II. *Ad quid teneatur Possessor, seu Damnificator malæ fidei ratione injustæ acceptionis?* 290
III. *Ex qua culpa injustæ damnificationis teneatur damnificator malæ fidei?* 297
IV. *Ex qua culpa teneatur quis restituere ratione contractus, aut quasi contractus?* 302

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De re restituenda. 307

CAPUT I. *An bona incerta sint restituenda?* ibid.
II. *An sint restituenda bona Adespota, seu quæ dominum non habent?* 311
III. *An restituenda sint bona communia, seu nullius particularis propria?* 317

QUÆSTIO V.

De Persona Restituente. 319

CAPUT I. *Ad quid teneatur Mandans, seu Jubens?* ibid.
II. *Ad quid teneatur Consulens?* 322
III. *Ad quid teneantur Consentiens, & Palpo?* 326
IV. *Ad quid teneatur Præbens recursum?* 328
V. *Ad quid teneatur Participans?* 329
VI. *Ad quid teneantur Mutus, non Obstans, non Manifestans?* 330
VII. *Quo ordine prædictæ personæ teneantur restituere damnum sequutum?* 335
VIII. *An prædictæ personæ teneantur singulæ in solidum?* 338

QUÆSTIO VI.

De Persona, cui restituendum. 341

CAPUT I. *Cui Creditori facienda sit restitutio?* ibid.
II. *Quis ordo servandus sit inter plures Creditores?* 346
III. *An possit Creditor uti occulta compensatione?* 352

QUÆSTIO VII.

De circumstantiis Restitutionis. 356

CAPUT I. *Quando facienda sit Restitutio?* ibid.
II. *Ubi, & quibus expensis facienda sit Restitutio?* 359
III. *Quo modo facienda sit Restitutio?* 362

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

De Cauſis excuſantibus a Reſtitutione. 367

CAPUT I. *Quæ Cauſæ ex parte Debitoris excuſare poſſint a Reſtitutione?* ibid.
§.I. *De debito dubio.* ibid.
§.II. *De Impotentia.* 369
§.III. *De Neceſſitate Gravi, vel Communi.* 372
§.IV. *De Neceſſitate Extrema.* 375
§.V. *De Ceſſione Bonorum.* 377
§.VI. *De Ingreſſu in Religionem.* 379
CAPUT II. *Quæ cauſæ ex parte creditoris, vel aliorum, excuſare poſſint a Reſtitutione?* 382
§.I. *De Reſtitutione rei nocituræ.* ibid.
§.II. *De Remiſſione, Compoſitione, Tranſactione, & Aſſignatione debiti.* 384
§.III. *De Excommunicatione, vel Pœna capitali.* 386
§.IV. *De Compoſitione per Bullam.* 387
§.V. *De Conſilio Confeſſarii.* 389
§.VI. *De Auctoritate Judicis.* 390
§.VII. *De Lege, & Præſcriptione.* ibid.

DISPUTATIO II.

De Reſtitutione in Specie. 391

QUÆSTIO I.

De Reſtitutione Bonorum fortunæ. *ibid.*

CAPUT I. *De Reſtitutione ex Furto.* ibid.
§.I. *Quæ ſit Natura, & Species Furti?* ibid.
§.II. *De Quantitate rei requiſita ad Furtum mortale.* 396
§.III. *De Furtis minutis.* 399
§.IV. *De Furtis domeſticorum.* 403
CAPUT II. *De Reſtitutione ex rebus Eccleſiaſticis, vel Sacris.* 407
§.I. *De Reſtitutione fructuum Beneficii Eccleſiaſtici.* ibid.
§.II. *De Reſtitutione Diſtributionum Chori.* 422
§.III. *De Reſtitutione ſtipendiorum Miſſæ.* 424
§.IV. *De Reſtitutione rei Sacræ, vel Eccleſiaſticæ ſimoniaee, vel indebite alienatæ.* 432

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De Restitutione Famæ, & Honoris. 436

CAPUT I. *Quæ Restitutio facienda sit ex detractione?* 437
§.I. *Quinam sit injustus detractor?* ibid.
§.II. *Ad quid teneatur detractor?* 451
CAPUT II. *Quæ restitutio facienda sit ex contumelia?* 457

QUÆSTIO III.

De Restitutione bonorum Corporis. 459

CAPUT I. *De Restitutione ex homicidio, vel mutilatione.* ibid.
§.I. *Quis sit injustus Homicida, seu Mutilator?* ibid.
§.II. *Ad quid teneatur injustus Homicida, vel Mutilator?* 472
CAPUT II. *De Restitutione ex Stupro, aut defloratione.* 476
III. *De Restitutione ex Adulterio.* 480
IV. *De Restitutione ex Servitute.* 482

QUÆSTIO IV.

De Restitutione bonorum animi. 485



TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS III.

Theologico-Moralis

DE CONTRACTIBUS.

NIHIL humano convictui familiarius, sed nihil Morali Theologiæ difficilius est Contractibus. Ex his enim cum frequentes, tum maxime implexi suboriuntur casus, pro foro præsertim Conscientiæ passim resolvendi. Equidem de his tractaturus, agam I. De Contractibus in genere: II. De Contractibus gratuitis: III. De Contractibus onerosis: IV. De quasi Contractibus, aliisque innominatis: V. De Contractibus Simoniacis, & obiter de Beneficiis Ecclesiasticis; recurret enim de his fusior sermo in de Restitutione.

DISPUTATIO I.

QUÆSTIO UNICA.

De Contractibus in genere.

VIDENDUM, Quid, & Quotuplex sit Contractus in genere? Quæ ejus qualitates, & materia? Quis possit contrahere? An dolus, error, aut metus obstent valori Contractuum? An Contractus invalidi juramento firmentur?

CAPUT I.

Quid sit Contractus?

CONTRACTUS universalissime acceptus est *Duorum, vel plurium in idem placitum conventio obligationem pariens.* Quo sensu contractus non distinguitur a pacto, quæ

Digitized by Google

duæ voluntates in idem veniunt reciproco consensu: Less. d. 2. *de Just.* c. 17. n. 5. ex Ulpian. *l.* 1., *ff. de Pactis*.

Quæres primo, An ad valorem contractus requiratur essentialiter consensus internus?

Respondeo affirmative, quia obligatio ex contractu unice oritur a voluntate se obligandi: ergo, si non adsit talis voluntas, nulla est obligatio, nullus jure naturæ contractus. Hinc ad valorem contractus non sufficit tantum velle ponere verba, aut signa, per quæ fieri solent contractus, absque animo se obligandi: ut docent communiter Doctores ex *l.* 3., *ff. de Obligat. & Action.* contra Vasq., Turr., Ponc., Pallav., Dicast., & alios; & patet, quia, si dicam emere librum pro me, & reipsa in animo velim emere pro Petro, certe non emo mihi, sed Petro; & si sim Religiosus, mentior quidem, sed non pecco contra votum Paupertatis: ergo signum est, obligationem contractus unice pendere a voluntate se obligandi.

Quare qui ficte contraxit, peccavit quidem, contra jus alterius, ne deciperetur; sed deinde per se loquendo non tenetur ex justitia, nisi ad detegendam alteri fictionem, qua illum decepit; nisi vero tali fictione causavit ei damnum; tunc enim ex justitia teneretur hoc etiam reficere: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 11. n. 5., Mol., Lug., & alii cum Croix hic n. 609. At pro foro externo, si prolata sint verba obligatoria, præsumitur adfuisse animus se obligandi; quia, cum delicta non præsumantur, censetur quisque loqui, ut sentit; ideoque, si Judex tunc adjudicet rem alteri, non transfert dominium ex vi contractus, qui in casu supponitur nullus, sed per dispositionem Juris, & in pœnam fictionis, aut per dominium altum, quod habet Resp. in bona privatorum: Doctores cit. Cæterum ad valorem contractus sufficit animus se obligandi etiam implicitus, quo scilicet quis vult inire contractum, qualem communiter ineunt homines, præsertim suæ regionis; quia sic implicite, & virtualiter consentit in omnes obligationes inde consequentes. Si quis vero habeat animum contrahendi, & simul habeat animum se non obligandi, tunc, si æqualiter tendat in utrumque, certe non contrahit, quia tendit ad impossibile, scilicet ad contractum sine obligatione: idemque est, si prævaleat posterior animus, itaut ex modo tendendi sit restrictivus

Digitized by Google

ctivus prioris: si vero prævaleat prior animus, itaut nollet quidem hic & nunc obligationem, vult tamen contrahere, quamvis inducatur obligatio; sic vere contrahit: quia virtualiter consentit: Croix n. 610.

Quæres secundo, An ad valorem contractus requiratur consensus plene deliberatus, qualis requiritur ad peccandum mortaliter?

Respondeo affirmative cum communi Juriſt.,& Theol., quos sequitur Lug. *de Just.* d. 23. n. 17.; quia per contractum, etiamsi fiat circa materiam levem, quasi alienatur propria libertas, ad quod requiritur, ut totus Homo consentiat; alioquin nemo vult amittere dominium suarum actionum, in cujus possessione est. Hinc contractus per semiplenam deliberationem initus ne obligat quidem sub veniali; quia obligatio contractus tota procedit a voluntate contrahentis, qua sibi legem imponit, nec censetur quis ullam legem sibi imponere, nisi plene consentiat. Non sic vero in lege imposita ab alio, contra quam proinde per semiplenam deliberationem peccatur venialiter: Croix n. 652. Cæterum, quamvis contractus fiat cum vehementi passione, si tamen hæc non impediat deliberationem sufficientem ad mortale, est validus; quia secus plures contractus essent invalidi, puta sponsalia ex passione amoris, emptio ex passione invidiæ, alienatio ex passione vindictæ, &c. Neque obstat *l.* 3., *ff. de Divort.*, ubi habetur: *Quidquid ex calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuerit judicium animi fuisse;* Nam loquitur tantum de divortio, quod rite præsumitur non esse factum ex animo, si conjuges ex subita ira divulsi statim redeant; de aliis vero contractibus nihil disponunt Jura: Cr. n. 653. De metu, errore, dicam c. 6., & 7.

Quæres tertio, An ad valorem contractus requiratur animus se obligandi sub gravi?

Respondeo negative, Si materia sit levis; imo nec posset quis ad eam, utpote incapacem, se obligare sub gravi: idque verum probabilius est, etiamsi firmetur juramento; quia per hoc invocatur divina auctoritas, ut obligationem ratificet, adeoque ad obligandum sua auctoritate, quantum capax est materia levis: Illsun. *de Juram.* n. 52. Quod si materia sit gravis, Sanch., Henr., & alii putant, suffice-

Digitized by Google

re ad contractum etiam animum se obligandi sub levi; excepto Matrimonio, quod esset nullum, si contrahentes vellent leviter tantum se obligare. Cæterum, si in aliis contractibus vellent leviter se obligare, tenerentur quidem sub levi, sed non essent contractus simpliciter dicti, de quibus jura loquuntur: Croix n. 611., & universim si alter interne leviter se obligaret, altero se obligante sub gravi, peccaret mortaliter.

Quæres quarto, An ad valorem contractus sufficiat animus se obligandi absque animo præstandi id, ad quod se obligat?

Respondeo affirmative; Quia stare simul possunt, velle se obligare ad aliquod præstandum, & simul nolle tali obligationi satisfacere: v. g. potest quis velle Sacerdotium, adeoque obligationem ad Horas, ad Castitatem, &c., & simul nolle recitare Horas, servare Castitatem, &c. Itaque peccat quidem, at valide contrahit, qui habet animum se obligandi, & simul non habet animum implendi talem obligationem; nam ad valide, & licite contrahendum requiritur uterque animus; ideoque, si tunc non habuit animum præstandi, tenetur vi contractus illum habere.

Quæres quinto, An ad valorem contractus requiratur, ut consensus internus, seu animus se obligandi sit externe manifestatus alteri?

Respondeo affirmative; Quia contractus est actus humani commercii, qui nonnisi per signa externa perficitur. Hinc, qui actu tantum interno promittit rem alteri, non solum non obligatur dare, sed nec tenetur talem animum ei manifestare, etiamsi interne promittat, se manifestaturum: Onn. d. 29. n. 21. cum communi. Imo, si præter intentionem animum illum casu manifestaret, neque obligaretur; quia talis manifestatio non esset actio humana: Lug. d. 13. n. 2. Neque dictis obstat, quod possim aliquando accipere rem ex præsumpta voluntate Domini, etsi exterius non manifestata; nam tunc non habetur contractus donationis, sed mera occupatio rei, ac si nullius esset, sublato scilicet impedimento, seu repugnantia Domini: Lug. n. 33. Cæterum, si promissio interna firmetur juramento etiam interno, obligat quidem, sed tantum vi Religionis; quia habet se per modum voti Deo facti: Croix

n. 654.

Digitized by Google

n.654. Itaque, cum quis interne tantum promittit rem homini, virtualiter ait, volo obligari ſub hac conditione, ſi id ei manifeſtavero, & ipſe acceptaverit; nam requiritur etiam ad valorem contractus acceptatio, juxta dicenda q. ſequ. Si autem protuleris olim verba, vel ſigna contractus, & nunc dubites, an tunc volueris te obligare, attendenda ſunt ea verba, quæ, ſi per ſe ſignificent animum obligandi, præſumendum eſt adfuiſſe; quia nemo præſumitur aliter ſentire, quam loquitur, eſtque poſſeſſio pro valore actus: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 9. n. 13., at ſi verba ſint ambigua, ſtandum pro libertate, quæ eſt in poſſeſſione contra obligationem: Lug. d. 22. n. 65.; niſi vero aliunde tenebaris habere tunc animum te obligandi per ea verba, quia delicta non præſumuntur: Lug. n. 65. Idemque eſt, ſi non recorderis verborum in ſpecie.

Quæres ſexto, Quot modis manifeſtetur in contractibus conſenſus internus?

Reſpondeo, Quadrupliciter: *Re*, *Scriptura*, *Verbis*, *Conſenſu*, ex §. 1. *Inſtit. de Obligationib.* Itaque aliqui contractus non perficiuntur, niſi *Re*, ut depoſitum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio, qui ad ſui valorem requirunt actualem rei traditionem. Alii nonniſi *Scriptura*, ante quam rati non habentur, ut emphytheuſis, & omnis alius contractus, quem contrahentes nolint aliter concludere, niſi coram Notario conficiente inſtrumentum. Alii nonniſi certis *Verbis*, hoc eſt certa quadam verborum formula præſcripta a jure, quæ dicitur *Stipulatio*; hæc tamen pertinet ſolum ad Forum externum, in quo etiam nunc parum uſus habet: Leſs., Onn. d. 2. n. 137. Alii demum ſolo *Conſenſu*, quovis ſcilicet modo, quibuſvis verbis, aut ſignis manifeſtato; ut emptio, venditio, locatio, conductio, &c.; etſi enim hi dicantur extrinſece perfici per actualem rei traditionem, tamen in ratione contractus jam ſunt completi, dantque jus ad rem, & actionem realem; cum actio ſit jus proſequendi in judicio id, quod tibi debetur, ad differentiam exceptionis, quæ tantum eſt jus ad ſe tuendum in judicio contra actionem alterius. Itaque actio, alia dicitur realis, qua ſcilicet rem ipſam convenire potes apud Judicem, & hæc actio competit habenti jus in re, ſeu dominium, quod in contractu acquiritur per actua-

lem

Digitized by Google

lem rei traditionem: alia dicitur personalis, qua scilicet non rem ipsam, sed personam convenire potes apud Judicem, & hæc actio competit habenti jus ad rem, quale habet Emptor ante traditionem rei; si enim res a te empta ante traditionem vendatur alteri, eique tradatur, non potes eam convenire, nec tibi vendicare, sed tantum habes actionem in eam personam, quæ te fraudavit.

Quæres demum, An contractus facti sine solemnitate aliqua jure positivo requisita sint validi jure naturæ, & pariant obligationem pro foro conscientiæ?

Respondeo, Testamenta, & alias ultimas voluntates obligare in conscientia, quamvis fiant omissis solemnitatibus jure civili requisitis: ita communius Doctores contra Bald., Cov., Bon., Vasq., Ledes., & alios: ratio est, quia cap. *Cum esses, de Testam.* decernit Pontifex absolute, quamvis desit subscriptio septem, vel quinque Testium, uti requirit jus civile; si tamen constet de voluntate Testatoris, v. g. per Parochum, & duos testes, debere censeri testamentum validum, ideoque prohibet, ne quis audeat illud rescindere: ergo, quamvis non valeat in foro civili, nec proinde apud illud pariat actionem, tamen valet in conscientia. At reliqui contractus facti sine solemnitate aliqua a jure requisita probabilius videntur esse irriti, aut saltem irritabiles; quia jus tales contractus ita potuit antecedenter irritare, ut ne tenerent quidem pro foro conscientiæ, ut Trid. irritavit Matrimonium factum sine solemnitate Parochi, & Testium: ergo, cum jus absolute dicat, se irritare, & alibi non significet, se relinquere obligationem pro foro conscientiæ, melius dicitur irritari pro utroque foro: Doctores communius contra Andr., Regin., Fil., & alios; nisi tamen solemnitas omissa esset omnino levis, ut notat Lug., & alii. Dixi, *Aut saltem irritabiles;* Nam aliquando lex vult, ut tales contractus sint tantum irritabiles ad arbitrium illius, qui damnum passus est, ut contractus Pupilli, si fiant sine auctoritate Tutoris, quorum obligationem naturalem jus non tollit, sed relinquit potestatem eam tollendi, ut dicam c. 5.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Quotuplex ſit Contractus?

CONTRACTUS etiam generatim acceptus eſt multiplex: & I. Alius dicitur Contractus *Gratuitus*, alius *Oneroſus*. *Gratuitus*, qui etiam dicitur *Lucrativus*, eſt, per quem uni tantum contrahentium onus, ſeu obligatio imponitur; ut donatio, commodatum, precarium, & mutuum, quæ fiunt in gratiam ſolius recipientis: quo etiam ſpectant teſtamentum, & legatum, quæ ſunt donationes quædam: item depoſitum, quod fit in gratiam ſolius dantis. *Oneroſus* eſt, per quem utrique contrahenti onus imponitur; ideoque *L. habeo, ff. de V. S.* definitur *Ultro, citroque obligatio*; ut eſt emptio, locatio, ſocietas, pignus, &c., quæ fiunt in gratiam utriuſque contrahentis.

II. Alius dicitur contractus *Bonæ fidei*, alius *Stricti Juris*. *Bonæ fidei* eſt, in quo, ſi oriatur dubium, judicatur, non ſecundum verba ejus expreſſa, & ex rigore juſtitiæ, ſed ſecundum præſumptam mentem contrahentium, præſumendo ſcilicet id voluiſſe, quod homines æqui, & boni in eo velle ſolent: tales ſunt emptio, locatio, depoſitum, commodatum, ſocietas, pignus, permutatio, mandatum, tutela, & alii uſque ad 17. ex *Inſtit. de Actionib.*; item omnes contractus initi a Principe ex *Gloſs.* in *L. Principes, ff. de V. S.*; & de his omnibus intelligitur *Reg. Jur., In Contractibus bonæ fidei ſit lata interpretatio, in Teſtamentis latior, in Privilegiis latiſſima*. *Stricti Juris* eſt, in quo judicatur ſecundum rigorem, & proprietatem verborum legis, & contrahentium; ut ſunt promiſſio liberalis, ſtipulatio, donatio, feudum, emphyteuſis, mutuum, ex *l. Ad res donatas, ff. de ædilitio edicto*: verum id ſolum pertinet ad forum externum, in quo etiam nunc magnum uſum non habet, ut notat Leſs. l. 2. c. 17. n. 15.

III. Alius dicitur Contractus *Nominatus*, alius *Innominatus*. *Nominatus* eſt, qui in jure habet proprium nomen, ut emptio, venditio, locatio, depoſitum, &c., & hi plerumque ſunt bonæ fidei; ideoque latam habent interpretationem. *Innominatus* eſt, qui in jure proprium nomen non habet, ſed venit nomine generali conventionis,

Digitized by Google

nis, & pacti: & hujus quatuor sunt species ex *l. Naturaliter ff. de Præscriptis verbis*. *Do, ut des*: *Do, ut facias*: *Facio, ut des*: *Facio, ut facias*; idemque est, si veniant negative. Itaque, si des frumentum pro vino, erit contractus innominatus, Do, ut des; quia non datur pretium pro merce, sed fit permutatio, quæ est nomen generale conveniens contractui etiam nominato. Cæterum omnes contractus innominati sunt stricti juris; ideoque in jure civili strictam habent interpretationem. Misceri etiam possunt cum nominatis, ut do tibi mille, & rem, ut mihi des domum: in quo, si res superet pretium, censetur innominatus; si contra, nominatus; si sint æqualia, partim nominatus, partim innominatus: Laym., Tamb., Croix n.586.

IV. Alius contractus dicitur *Pactum nudum*, alius *Vestitum*. *Pactum nudum* est, quod sistit in sola conventione; & talis est omnis contractus innominatus, antequam ex aliqua parte sit completus, nec accesserit stipulatio, juramentum, &c.: item omnis contractus, qui perficitur *Re*, ut donatio, mutuum, &c.; & in his omnibus jure civili non conceditur actio coram Judice, sed tantum exceptio, ex *L. Juris Gentium*, *ff. de pactis*: obligant tamen in conscientia; ideoque in jure Ecclesiastico, quod respicit obligationem conscientiæ, conceditur actio, ut not. Less. n.22. *Vestitum* est, quod præter conventionem habet aliquid aliud, quo ita firmetur, ut concedat in jure civili actionem coram Judice: vestitur autem septem modis, vel specificatione nominis, qualis est omnis contractus nominatus, qui verbis perficitur; suo enim nomine sufficienter vestitur; vel stipulatione, vel juramento, vel literis, quibus, si fatearis esse tibi satisfactum, & satisfactum non sit, dicitur acceptilatio; vel traditione rei ex aliqua parte, vel adhæsione alteri contractui vestito, cum accessorium sequatur principale; vel demum privilegio juris, qualis est promissio liberalis acceptata, promissio dotis, promissio solvendi pro se, vel pro aliis, ex *Glos. in 6. de Constitut.*, *Instit. de action.*, Les. n. 24.

V. Alius dicitur contractus *Purus*, alius *Non purus*. *Purus* est, qui fit sine ulla limitatione, aut qualitate adjecta: ut vendo tibi equum; & hic statim obligat: quoties enim in obligationibus dies non ponitur, præsenti die debetur,

Digitized by Google

betur, ex *Reg.* 14. *ff. de Reg. Jur.*; ideoque a Juristis dicitur, quod hoc ipso cessit, & venit dies: quod tamen intelligi debet moraliter; nam permittitur ad minimum spatium 10. dierum, si solvenda sit pecunia ex contractu constituti, *l. Promissor*, §. 1. *De constit. pecun.*; & in foro conscientiæ præsumitur creditor consentire dilationi, si sponte taceat. *Non purus* est, qui modum aliquem, aut conditionem adjectam habeat; de quo cap. sequ.

VI. Demum alius dicitur contractus *Explicitus*, qui est expressa conventio, alius *Implicitus*, qui est quævis actio habens adnexam obligationem, alius *Quasi contractus*, ut sunt tutela, curatela, negotia gesta, & alia, quæ sunt ex aliquo officio, quo etiam reduci possunt gabellæ. Alius *Distractum*, quod est conventio dissolvens obligationem prioris contractus. Alius *Novatio*, qua finitur prior contractus, & succedit nova obligatio, Croix n. 758.

CAPUT III.

Quæ sint Qualitates Contractus?

QUALITAS adjecta contractui est duplex, altera dicitur modus, altera conditio.

I. Modus est *Qualitas adjecta contractui, non suspendens illum, sed addens aliquid pro onere, aut favore unius contrahentis*. Qui modus, si repugnet substantiæ contractus, eum irritat; sic, si donem tibi centum, ut emas mihi domum, donatio est nulla: si sit impossibilis, sed non repugnet substantiæ contractus, ut dono tibi equum, ut illo hodie sis Romæ, contractus valet, & talis modus habetur pro non adjecto, Mol. d. 208.; idemque est, si modus sit turpis, ut dono tibi gladium, quo occidas meum hostem. Hæc autem intellige, nisi voluntas contrahentis esset restricta ad illos modos, tanquam ad causas finales, vel conditiones, ut mox dicam. At si eidem contractui adjecti sint modi oppositi, judicandum est ex præsumpta voluntate contrahentis; præsumitur autem magis voluisse pro se, ac suis, quam pro externis: Lug. n. 347. Cæterum modus adjectus contractui alius dicitur *In diem* alius *Demonstratio*, alius *Causa*, alius *Pœna*, alius *Evictio*.

In diem est, cum præfigitur tempus, ut promitto centum

Digitized by Google

tum ſolvendos die Paſchæ, intra annum, &c.; & hoc etiam elapſo permittitur ſpatium 10. dierum, juxta dicta cap. antecedenti. Sive autem dies appoſita certa ſit, ſive non, mortuo contrahente ante diem, tranſmittitur creditum ad hæredes: Eſcob., & alii communiter.

Demonſtratio eſt appoſitio ſigni alicujus ad rem oſtendendam: ut vendo tibi hanc catenam auream. Et tunc, ſi demonſtratio ſit falſa, contractus oneroſus eſt nullus, quia error tranſit in ſubſtantiam, ob inæqualitatem pretii: at ſi contractus ſit gratuitus, adhuc valet: ut ſi donem, vel legem tibi hunc agrum 100. jugerum, valet, etiamſi eſſet 200. jugerum, quia præſumor non voluiſſe conſenſum meum obligare ad hæc, cum rem ipſam deſignarem, ex *l. Falſa* 33. *ff. de condit., & demonſtr.*; ſecus vero, ſi id fiat dolo tuo, vel alterius, quia tunc ceſſat præſumptio: Croix n. 193., & alii communiter. In contractu autem disjunctivo, ut ſi dicam, vendo tibi bovem, vel equum, ordinarie loquendo, electio eſt debitoris, *ex Reg. 70. in 6.* At ſi contractus factus ſit in favorem creditoris, hujus erit electio: quare ſi teſtator leget Titio domum, vel agrum, hæres tenetur dare, quod eligit Titius, quia jus diſponit, ut favores amplientur; ideoque, etiamſi deficiat una pars, manet obligatio determinata alterius: *l. 16. ff., de V. S.* Qui autem habet jus eligendi, ubi, alterutrum elegerit, non poteſt variare: *l. 19., ff. de Legatis 2.* In contractu autem copulativo, (puta vendo tibi bovem, & equum) utrumque debetur, ut patet.

Cauſa eſt ratio expreſſa, ob quam contrahitur. Hæc autem cauſa vel eſt motiva, ſeu finalis, quæ ſcilicet per ſe primo, & principaliter movet, & ſi hæc non ſubſiſtat, contractus eſt nullus; vel eſt tantum impulſiva, quæ ſcilicet voluntatem aliunde determinatam magis impellit, & ſi hæc non ſubſiſtat, contractus adhuc valet: ut ſi datur pauperi eleemoſyna, quia eſt devotus; ſi ille non ſit pauper, non transfertur dominium, quia deeſt cauſa motiva eleemoſynæ; transfertur vero, ſi ſit pauper, ſed indevotus, quia deeſt tantum cauſa impulſiva. Cæterum pro foro conſcientiæ ſolus contrahens ſcire poteſt, utrum cauſa fuerit motiva, an tantum impulſiva; & in dubio præſumitur tantum impulſiva, quia ſtandum pro valore actus: Menoch., Tuſch., & alii.

Pæ-

Digitized by Google

Pœna eſt, quæ contractui apponitur ex conſenſu contrahentium, ne injuſte reſiliant; ideoque dicitur *Pœna conventionalis*, & ſolvi debet ab eo, qui culpabiliter non ſervat contractum. Debet autem eſſe moderata, aliter non obligat, ut not. Bon., Onn. d. 8. n. 121.; & ſi dividitur culpa, dividitur etiam hæc pœna; ut ſi tenebaris hoc menſe ſolvere 100. ſub pœna 20., & non ſolviſti, niſi 50., teneris in pœnam addere 10., Mol., Onn., & alii. Cæterum, ſi imponatur propter moram non videtur mora notabilis unius, vel alterius diei, imo etiam unius ſeptimanæ, niſi aliter poſtulet qualitas negotii, indigentia alterius, aut qualitas contractus, ut addunt Leſ. l. 2. c. 20. n. 134., & Lug. n. 599. Dubium eſt, an hæc pœna debeatur ante petitionem, & ante ſententiam Judicis? Dico primo: ſi ſit impoſita ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, deberi in conſcientia, etiamſi alter non petat: Doctores communiter. Dico ſecundo: ſi ſit mere conventionalis, non deberi, niſi alter petat: Mol., Bon., aliique plurimi contra Nav.; ſolvendam tamen probabilius ante ſententiam Judicis, quia non videtur creditor ſe obligaſſe ad moleſtam implorationem Judicis: Mol., Suar., Bon., Lug., aliique plurimi contra Sanch., Caſtr., & alios probabiliter putantes, debitorem tantum intendiſſe dare jus ad ſe cogendum coram Judice. At ſi talis pœna ſit teſtamento addita, Mol., Lug., & alii fatentur, obligare etiam, antequam petatur, quia illi, in quorum gratiam eſt appoſita, communiter ignorant.

Evictio eſt actio, qua reditur ad auctorem contractus pro intereſſe rei ab alio evictæ: v. g. emi a te agrum, qui tamen erat Titii, ſi deinde Titius per ſententiam Judicis ſibi iterum evincit illum agrum, tu teneris de hac evictione ad reddendum mihi pretium, compenſando ſimul damna emergentia, & lucra ceſſantia. Si talis obligatio de evictione expreſſe apponatur contractui, locum habet etiam in lucrativis; ſi non apponatur, locum habet tantum in oneroſis, exceptis aliquibus caſibus, de quibus d. 3.

II. *Conditio* rigoroſe accepta eſt *Qualitas adjecta contractui, quem ſuſpendit, donec illa impleatur*. Hinc contractus conditionalis in hoc principaliter differt a modali, quia hic, cum ſit abſolutus, adhuc pendente, ſeu nondum

præ-

Digitized by Google

præstito modo, dat actionem petendi debitum; quod non facit conditionalis, qui tantum fert obligationem expectandi tempus conditionis implendæ. In dubio autem, an qualitas adjecta contractui sit conditio, an modus, colligendum principaliter ex intentione contrahentis; sin minus, ex forma contractus, in qua conditio exprimi solet his verbis, *Si, dummodo, quando, casu quo, non aliter, &c.* nisi vero hæc verba exigant aliquod faciendum post executionem contractus: tunc enim sunt tantum modi, ut notant Mol., Pal. d. 1. p. 8. n. 12.

Si conditio sit de præsenti, vel de præterito, (ut emo equum, si sit trium annorum) contractus revera est absolutus, & est tantum conditionatus quoad executionem, donec scilicet constet de ea conditione. Item, si conditio sit necessario futura, (ut vendo equum, si sol cras orietur) contractus est etiam absolutus, & conditio censetur apposita ad determinandum tempus executionis. Si conditio sit impossibilis, contractus est nullus, ex *Instit. de inutil. stipul. §. impossibilis*: excepto matrimonio ex cap. ult. *de condit. appos.*, *& ultimis voluntatibus*, ex *l. si Mevia* 45. *ff. de hæred. instit.*, in quibus conditio impossibilis, si non sit contra eorum substantiam habetur jure positivo pro non adjecta, quod Onn. d. 13. n. 134. extendit etiam ad professionem Religiosam. Si conditio sit turpis in matrimonio, ultimis voluntatibus, & professione Religiosa, etiam ex jure positivo habetur pro non adjecta; at in reliquis contractibus, si intendatur, eos irritat (ut promitto 100., si occidas meum inimicum) quia non potest esse obligatio ad aliquod illicitum; eo tamen posito consurgit obligatio 100. Inter conditiones turpes jus civile numerat has, si nunquam nupseris, si non feceris, aut revocaveris testamentum, uti etiam si parens, vel uxor moriatur, quia continent votum captandæ mortis.

Conditio impleri debet sub specifica forma, & non sufficit, ut æquivalenter impleatur, *l. Mevius, ff. de condit. & demostr.* At si dicas, dono, vel lego puellæ agrum, si nupserit, valet dispositio, etiamsi ea ingrediatur Religionem; quia alioquin fuisset conditio turpis: Barb., & alii communiter: imo secundum Dicast. n. 193. etiam valet, si maneat in seculo cælebs, quia censeris voluisse, ut pos-

set

Digitized by Google

set nubere, si vellet. Si vero addidisses, ut nubat meo consanguineo, non valet, nisi ei nubat, quia tunc nuptiæ cum illo fuissent causa motiva: Delb. sect. 4. Si vero addidisses, si caste vixerit, dispositio statim valet; & si per decennium caste vixerit, non amplius amittit legatum, etiamsi postea publice fornicetur: Delb. sect. 22.; idemque ait Lugo n. 414. contra Sanch. l. 7. *Matr.* d. 14., etiamsi intra decennium fornicetur occulte, quia non præsumitur, quod eam volueris obligare ad se infamandam: idem ait Delb. sect. 8., si quid relictum sit pro virgine, quæ tamen occulte est corrupta.

Quod si conditio sit negativa (ut do tibi villam, si non jeris Romam) tunc, si est dispositio ultimæ voluntatis, statim valet, ac si impleta esset conditio: præstanda tamen est cautio de restituendis omnibus, si conditio non observetur, *l. Mutiane* 7., & *l.* 79., *ff. de cond. & demonstr.* At, si non sit dispositio ultimæ voluntatis, expectanda est tua mors, qua posita hæredes tui villam obtinebunt: Lug. n. 376., Onn. n. 158. cum communi; nisi vero aliunde constet, mentem disponentis esse, ut tamdiu villam habeas, quamdiu non jeris Romam: Croix n. 601. Cæterum, qui conditionem debuit implere, si nescivit, eam fuisse appositam, & juret, se impleturum, si sciviſſet, habetur pro impleta: Tusch., Onn. n. 159., & alii.

Denique omnis contractus conditionatus, qui consensu perficitur, per adventum conditionis evadit illico absolutus sine novo consensu: Sanch., Lug., Dicast., & alii. Quod (excepto matrimonio, utpote Sacramento) verum est, etiamsi interim alter contrahentium consensum revocaverit, ex *l. hæc conditio*, *ff. de contr. empt.* Si Titio promiseris villam sub conditione, & postea eandem promittas Cajo sub alia conditione, quæ prius impleatur, prior promissio valet; quia, quamvis posterior prius impleatur, tamen non tollit jus prioris antecedenter acquisitum, potestque adhuc impleri prior conditio. Nisi vero sequuta sit etiam traditio Cajo, quia tunc prævalet jus Caii, & Titio tantum competit actio personalis: Dicast. n. 238. cum communi.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quæ sit Materia Contractus?

MATERIA contractus debet esse possibilis, existens, honesta, certa, propria, & non a jure prohibita: Doctores communiter. Itaque

I. Debet esse possibilis; quia contractus circa rem impossibilem est jure naturæ irritus, *l.* 35., *ff. de verb. oblig.*; nam si contrahens sciat esse impossibilem, non potest serio, & efficaciter habere consensum; si nesciat, est error in substantia. Imo debet esse non solum physice, sed & moraliter possibilis, itaut considerata imbecillitate humana non superet nostras vires; nemo enim censetur in aliam obligationem consentire, cum nec leges humanæ ordinarie obligent ad aliquod moraliter impossibile. At si materia contractus, partim sit possibilis, partim impossibilis, valet contractus, si ea sit divisibilis, & consensus feratur etiam divisibiliter: ut si contraxeris de tradendis 100. modiis tritici, & non possis dare, nisi 50., contractus valet pro 50. Contra vero, si materia sit indivisibilis, vel consensus feratur indivisibiliter, contractus est irritus; ut si emeris par equorum pro rheda, & venditor non possit tradere utrumque, contractus est irritus de utroque.

II. Debet esse existens, vel scilicet in re, vel in spe; quia si nec in spe existat, vel non est serius consensus, vel est error in substantia. Hinc, si nunc vendam poma, quæ ex mea arbore colligam in autumno, si hæc poma suo tempore non existant, contractus fuit nullus, quia ejus materia erant poma, quæ nunquam sunt. At si vendam spem, quæ, & qualis nunc est, ad omnia poma, quamvis nullum suo tempore erit pomum, venditio valet, quia ejus materia est spes existens, *l. nec emptio, ff. de contrah. empt.* Cæterum irritus est contractus, si vendatur spes hæreditatis futuræ, aut successionis Viventi, ex *l. fin., ff. de pactis*, ne scilicet detur votum captandæ mortis: idemque est de emptione hominis liberi pro tempore, quo erit servus; quia non est fas hujusmodi casus expectare, *l.* 103. *ff. de V. O.*

III. Debet esse honesta; quia nequit dari obligatio ad peccandum. Cæterum, quamvis contractus de re illicita

sit

ſit irritus, tamen ſuppoſito, quod alter partem ſuam expleverit, quæ erat illicita, tunc de jure naturæ eſt obligatio, ut etiam alter ſuam expleat, ſi ſit licita: ſic ſi mandatarius explevit homicidium, mandans tenetur dare pretium pactum; idemque eſt de contractu cum Meretrice ad peccandum, cum Judice ad injuſtam ſententiam, &c., ratio eſt, quia id non debetur ob rem ipſam illicitam, ſed ob moleſtiam, detrimentum, periculum, &c.: Mol. d. 94., & alii communiter. In foro tamen externo ſolum in contractu cum Meretrice conceditur actio, *l. Idem* 4., *ff. de Condit. ob turpem cauſam;* in reliquis negatur, *l. Si flagitii* 123., *ff. de V. O.* Cæterum, ſi ſit contractus de re tantum prohibita lege mere pœnali, valet contractus, quia illa res eſt de ſe licita, quam poteſt quis etiam per leges facere, ſi ſe ad pœnam reſolvat: Onn. n. 266. Item valet contractus illicitus de re licita, ut ſi quis emat gladium ad occidendum inimicum. Item valet contractus, qui in ſe prohibetur fieri, tamen ſuppoſito, quod fiat, non irritatur, ſecundum regulam Juris, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*; qualis eſt venditio armorum facta hoſti Patriæ: ratio eſt, quia materia horum contractuum non eſt illicita. Contra vero, ſi paciſcar obligationem ad ſic vendendum, eſt pactum irritum, quia habet pro materia obligationem illicitam.

IV. Debet eſſe certa; quia ſi hæc non conſtet, non poteſt per contractum transferri ejus dominium, *l.* 75., *ff. de V. O.* Cæterum valet etiam contractus, ſi res incerta reduci poſſit ad certitudinem, ex *eadem lege*. Reduci poteſt primo per eventum conditionis: Secundo per declarationem, aut arbitrium tertii, cui partes committunt: Tertio per electionem, ut ſi tibi promiſi ſub disjunctione bovem, vel equum, eligendo materiam, redditur certa: qua in re nota, quod in ejuſmodi disjunctivis, ſi nihil aliud addatur, ordinarie loquendo electio eſt debitoris, ex *Reg. Jur.* 70. *in* 6.; at ſi contractus factus ſit in favorem creditoris, hujus erit electio; ut ſi teſtator leget Titio domum, vel agrum, hæres tenetur dare, quod eligit Titius, quia jus diſponit, ut favores amplientur; ideoque etiam deficiente una parte, manet obligatio determinata alterius, *l.* 16., *ff. de V. S.* Qui autem habet jus eligendi, alterutram

Digitized by Google

elegerit, non potest deinde variare, *l.* 19., *ff. de Legatis* 2. Si contractus sit numeri indefiniti, puta, ut solvas aliquot aureos, ad minimum solvendi sunt duo: Tusch., & alii: si quis vero leget 100. aureos Cajo, Titio, & Sempronio, dubium est, an singulis debeantur centum, an vero tertia pars: pro quo dubio, nisi aliunde haberi possit conjectura, dantur hæ regulæ: in dubiis minimum est sequendum, & reo magis, quam actori, debitori magis, quam creditori, favendum; quia leges miserentur eorum, qui obligatione premuntur: Croix n. 599.

V. Debet esse propria, ejus scilicet, qui per contractum transfert jus in alterum; quia *Nemo plus juris transferre potest, quam ipse habet*, *Reg. Jur. 79. in 6.*; debet autem esse ita propria, ut habeat dominium proprietatis, & administrationis; qui vero est tantum usufructuarius, potest quidem rem alteri locare, vel gratis concedere, non tamen ita, ut alter fiat usufructuarius, sed tantum ut habeat jus quoddam percipiendi fructus dependens a jure usufructuarii. Qui vero habet tantum usum, nullo modo potest illam alteri locare, aut gratis concedere: Less. l. 2. c. 3. n. 25. *ex plur. legib.* Hinc in venditione rei alienæ, si uterque contrahens hoc sciat, contractus est nullus, *l.* 34. *de Contr. Empt.*; idemque est, si neuter, aut solus vendens hoc sciat, quia emens non vult transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium mercis: Croix n. 694. At si solus emptor id sciat, dominium rei non transit in ementem, sed dominium pretii transit in vendentem, & quoad hoc valet contractus, ex *l.* 28. *eod. tit.* Si vero vendas rem, tibi communem cum aliis, v. g. gregem ovium indivisim spectantem ad te, & ad duos fratres tuos, valet venditio pro tertia parte, *l.* 18. *eod. tit.* Denique si res nunc non sit sed erit propria, potest per se loquendo de ea contrahi pro tempore, quo erit propria, *l.* 31. *ff. de V. O.*, & similiter potest quis contrahere de actione aliena, puta, faciam, ut Titius te instruat in medicina, obligando me ad pœnam, vel quanti æstimatur illa instructio, si non fiat, *l.* 38. *eod. tit.*

VI. Ut non sit a jure prohibita: specialiter in Extravag. Pii II. *Ambitiosæ, de Reb. Eccl. non alienand.* prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ, & irrita-

tur

Digitized by Google

tur omnis alienatio, & pactum, per quod transfertur dominium: item conceſſio, hypotheca, locatio, & conductio ultra triennium, infeudatio, & contractus emphytheuticus rerum immobilium, vel mobilium pretioſarum, quæ ſervando ſervari poſſunt, Eccleſiæ, Monaſterii, Conventus, aut loci pii auctoritate Epiſcopi erecti: niſi concurrant hæc tria: Primo, Juſta cauſa: Secundo, Solemnitas per tractatum conſenſum, & ſubſcriptionem majoris partis Capituli (in Societate Jeſu ſufficit tractatus cum Conſultoribus) Tertio, Licentia expreſſa S. Congregationis, ut videbimus infra ſuis cujuſque locis. Similiter prohibitio contra Religioſos emanavit juſſu Urban. VIII. an. 1624., ubi etiam additur privatio omnis officii, vociſque activæ, & paſſivæ cum inhabilitate perpetua. Præterea declaravit S. Congr., non poſſe Religioſos accipere mutuo pecunias cum ſolutione intereſſe, nec fundare cenſum ſuper bonis ſuis: Delb. d. 1. n. 12.

An vero Societas Jeſu poſſit ſine licentia S. Congr. reddere dimiſſo bona ſua, quæ ei donaverat, affirmant aliqui, & favet Suar., quia Societas non videtur firmiter ea acceptaſſe: idem videtur tenere Pal. d. 3. p. 18. n. 2. dicens, illam redditionem non cenſeri alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, eo quod a principio ea conditione accepta fuerint, ut poſſet Societas, ſi expediens judicaverit, ea reddere; ſed negat Lug., quia donans non videtur ſibi ullum jus retinuiſſe, & conſequenter Societas acquiſivit plenum dominium.

Cenſetur etiam prohibita tranſactio pro terminanda lite circa bona antecedenter poſſeſſa ab Eccleſia, ſi aliqua ex parte forent dimittenda. Poſſet tamen iſta fieri, ſi jus nondum erat poſſeſſum: Delb. d. 12. Poſſet etiam vendi laico, ſi quod ad Eccleſiam pertinens impetatur, & eſſet periculum amittendi, relicto tamen illi periculo: Delb. d. 23. n. 25.

Si donans expreſſe addidiſſet, ut Eccleſia poſſet propria auctoritate alienare: Lug. l. 3. *Reſp. Mor.* d. 10. n. 12., probabiliter negat, Eccleſiam poſſe per ſe alienare, quia hoc ipſo, quod acquiritur Eccleſiæ, habet conditiones boni Eccleſiæ: ſed probabiliter affirmant Covar., Arm., Ricc., Quarant., Bon., Delb. d. 10., quia ſicuti poterat

Digitized by Google

donans, ita poterit ex ejus auctoritate donatarius de re disponere, neque res est absolute,& in perpetuum acquisita Ecclesiæ, sed tantum ad beneplacitum. Idem est, si res fuerit empta cum pacto retrovendendi: Bard.,& alii contra Ricc., & Menoch. apud Delb. d. 23. n. 23. Similiter videtur esse licitum repudiare aliquod immobile nondum acquisitum,cum non sit alienatio:Ab.,Sylv.,Delb.d.5.;qui tamen d. 6. cum Mol., Barb., & aliis ait, Prælatum, aut Religiosum non posse repudiare hæreditatem, aut legatum, tum quia ex voluntate Testatoris erat jam acquisitum Ecclesiæ etiam ante traditionem, ut habent jura; tum quia Ecclesia habet jus,& actionem in illud. Sed contradicunt Ab., Menoch., Com., Reb., Ricc.,Bon.,& alii, quia ante acceptationem non acquiritur Ecclesiæ jus, aut actio ulla, sed res transit ad hæredes ab intestato. Denique non est prohibitum obligare bona Ecclesiæ in hypotheca generali, sed tantum in speciali: Ab., Cov., Mol., Delb. d. 1. n. 30. contra Vasq., Rodr., Quarant., & alios.

Bona autem immobilia Ecclesiæ non solum sunt prædia, domus, beneficia, &c., sed etiam jura, & actiones ad illa; item census, & redditus perpetui, juspatronatus, ususfructus, servitutes; item magna pecuniæ summa donata, & destinata ad illa emenda: Filliuc., & alii apud Delb. d. 2. s. 3. Mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt (scilicet saltem per triennium) sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, tapetes pretiosi, magna bibliotheca, greges, & armenta indivisim accepta, ad quæ etiam reducuntur arbores fructiferæ, & sylvæ, si incidantur cum deterioratione; sub alienatione enim venit etiam destructio: his Pal., Ricc., & alii contra Delb. d.1. n.52. addunt Reliquias pretiosas.

Cæterum sine dictis requisitis alienari possunt primo ea bona Ecclesiæ, quæ verosimiliter ad triennium sine deterioratione non perdurant, ut vestes, fructus arborum, jumenta in individuo, singularia pecora, &c. Secundo,Res quæcumque etiam immobilis,si sit exigui valoris, ex cap. *Terrulas* 12. q.2.: docentque Doctores cum Delb. d. 2. s. 1. n.12., exiguum esse valorem 40. scutorum Romanorum: addit Pal. §.1. n.2. cum Zerol. *Prax. Episc. p.* 1. v. *Alienatio*, rem exigui valoris esse, si non attin-

Digitized by Google

attingat 100. ducatos. Illud communiter dicunt cum Delb., talem rem modicam debere eſſe disjunctam ab aliis; ſecus poſſet totum v. g. prædium per partes ſucceſſive alienari. Tertio, Res, quarum conſervationi non ſufficerent cenſus provenientes ex eis: Pal. p. 15. §. 2. n. 5.; ſecus vero, ſi eſſent tantum inutiles, ſeu ſteriles: Bon., Delb. d. 3. n. 10., pro his tamen ſufficit conſenſus Epiſcopi, juxta Wadin. §. 3. Quarto, Res, quæ donantur, vel legantur illis Eccleſiis, quæ retinere non poſſunt, v. g. Prædium Cappuccinis: Quaran., Ricc., Barb., Delb. d. 7. Quinto, In caſu magnæ neceſſitatis non permittentis peti licentiam a S. Congregatione: Quaran., Delb. d. 1. n. 28., vel ſi expectato conſenſu Papæ tranſiret occaſio notoriæ utilitatis Eccleſiæ: Bald., Boſs., Delb. d. 22. n. 2., in quo caſu pro ſecularibus requiritur conſenſus Epiſcopi: Ab., Felin., & alii. Sexto, Si aliquod ſit ſimul, & indiviſim in dominio laici, qui velit vendere: Barb., Delb. d. 22. Septimo, Si fiat ſola tranſmutatio abſque translatione dominii, v. g. ex calice antiquo fiat crux, ex arboribus cæſis ædificetur domus: Ab., Nav., Fil., Delb. d. 23. n. 11. Octavo, Si donans expreſſe addidiſſet, ut poſſet Eccleſia propria auctoritate alienare; quia ſic res non eſt abſolute, & in perpetuum acquiſita Eccleſiæ, ſed tantum ad beneplacitum, ut paullo ante ex pluribus Auctoribus innuimus contra Lug. Idem ſimiliter eſt ex modo etiam dictis contra Ricc., ſi res fuerit empta cum pacto retrovendendi. Et idem, ſi repudietur res nondum acquiſita, cum ſic non ſit alienatio: Ab., Sylv., Delb. Nono, Etſi nequeant alienari Cappellæ propriæ Eccleſiæ, utpote bona immobilia, poſſent tamen concedi ad uſum, v. g. in ſepulturam, tum ex praxi communi, tum quia, cum eæ fiant ad uſum ſecularium, conceſſio illarum ad ſolum uſum non poteſt dici alienatio: Pelliz. t. 6. c. 8. n. 90. Bon. *de alien. bon. Eccl.* d. 12. q. un. n. 12. Lezan., Ricc., &c.

CAPUT V.

Quis poſſit contrahere?

CONTRAHERE poſſunt, qui habent plenum uſum rationis & materiam, de qua contrahant, nec ſint jure

Digitized by Google

prohibiti; ex *l.* 5. *cap. de Obligat.* Itaque

I. Infantes ante ſeptennium completum, fatui, furioſi, dormientes, ebrii, &c., jure naturæ invalide contrahunt, quia non habent plenam deliberationem, juxta dicta cap. 1. At, ſi fiant legatarii, obligant ſibi hæredem ad ſolvendum legatum, & ſi fiant hæredes, obligantur ſolvere legata, quia lex providit, ut ipſa ſaltem Reſp. perſonas eorum quoad hoc repræſentet, & ſuppleat: Bartol., & alii communiter, ex *l. Si a furioſo, ff. de Obligat.* Cæterum fatui, furioſi, &c. tempore lucidi intervalli valide contrahunt; in dubio autem, an eo tempore contraxerint, ſi contractus factus fuerit, ut decet hominem ſanæ mentis, admitti debet, ut validus: Onn. d. 4. n. 27.; qui vero ex intentione contrahendi ſe inebriat, & in ebrietate contrahit, contractus eſt irritus, quia non contrahit humano modo, & prior intentio non ſufficit; valet vero, ſi tunc contrahat ejus Procurator antea conſtitutus, quia hic operatur humano modo: Croix n. 652.

II. Religioſus profeſſus abſque licentia Superioris illicite, & invalide contrahit, quia non habet aliquod proprium, ſed tantum uſum rerum ad nutum revocabilem; ſi autem quid per contractum gratuitum acquirat, acquirit Monaſterio. Quod ſi det aliquid ſeculari, & viciſſim ab eo aliquid recipiat, hoc acquiritur Monaſterio, illud vero Bon., & alii adhuc volunt manere Monaſterio: ſed Pelliz., & Dian. p. 10. t. 14. r. 2. probabiliter putant manere ſeculari, quia, quod hic dedit Religioſo, cenſetur æquivalenter reſtitutio illius, quod ab eo accepit. Si Religioſus faciat, & donet ſeculari v. g. Picturam, illicite, & invalide donat, quia tale opus erat acquiſitum Monaſterio; at ſi ſecularis ante petiviſſet, & miniſtraſſet requiſita, licite, & valide daretur; quia poteſt Religioſus ſine licentia operam ſuam gratis dare, Bon., Val., Dian. p. 1. t. 7. n. 37. Pelliz. t. 4. c. 2. n. 295. Si Superior abſolute det Religioſo licentiam expendendi, Sanch. l. 7. Dec. c. 19. Lug., & alii communiter docent, limitari ad ſolos uſus licitos; ſed oppoſitum docent Bann., Lug., Rebel., Val., Sayr., Dian., & alii; quia generaliter concedens licentiam vult, quantum poteſt, tollere impedimentum, quod eſt ex defectu licentiæ, relinquendo uſum conſcien-

tiæ

tiæ ſubditi ; & aliunde probabile eſt ex D. Antonin., Sylv., Turrecr., & aliis, licentiam Superioris ad uſus illicitos, etſi illicitam, eſſe validam : Croix n. 144. Cæterum in Societate Jeſu licentia ad contrahendum de his, quæ pertinent ad victum, & veſtitum eſt invalida : item ſi Scholaſticus Societatis Jeſu abſque Superioris licentia diſponat de rebus ſuis, Mol., & Leſ. l. 2. c. 4. n. 28. dicunt invalide, quia per votum Paupertatis ſolum retinet poteſtatem diſponendi ex conſenſu Superioris, ſicut Pupillus ex conſenſu Tutoris ; ſed Suar., Sanch., Pal., Lug. l. 6. *Reſp. Moral.* d. 2. Pelliz., & alii probabilius putant valide, quamvis illicite, quia non habetur Lex irritans talem diſpoſitionem, ut habetur in Pupillo. Addit tamen Lug. *de Juſt.* d. 3. n. 81., talem diſpoſitionem eſſe revocabilem a Superiore, quamdiu vixerit Subditus, non tamen eo mortuo, quia voluntas defuncti non amplius ſubordinatur voluntati Superioris.

Servus rigoroſe dictus, ſcilicet Mancipium, quamvis reputetur par Monacho, adeoque quidquid acquirit, Domino acquirat : tamen poteſt per contractum alienare quidquid acquirit poſt perſolutum Domini penſum ; vel per donationem, aut legatum expreſſe ſibi, non Domino factum; vel per compenſationem injuriæ illatæ ejus corpori ; vel ex opere illicito, puta ancilla ex ſtupro; quia horum perpetuum dominium habet ſervus, & conſequenter etiam eorum, quæ per hæc lucratur, cum lucrum ſequatur peculium ; Illſun. n. 134., & alii.

III. Prodigus habens Curatorem (qui datur ei etiam invito) abſque ejus auctoritate invalide omnino alienat rem ſuam per contractum : & ille, qui cum eo contraxit tenetur reſtituere ante ſententiam Judicis, etiamſi Prodigus non repetat: Doctores communiter ex *plur. leg.*; Nec poteſt Prodigus cogere illum ad ſervandum contractum, quia in ipſius odium irritatur : Croix n. 682. At ſi non habeat curatorem, contrahit valide tum naturaliter, tum civiliter, quia habet adminiſtrationem ſuarum rerum : Sanch. l. 6. *Matr.* d. 38. n. 27., & alii communiter.

IV. Uxor alienare poteſt tantum ea, quorum habet dominium, & adminiſtrationem ; ut ſunt bona paraphernalia, quæ ſcilicet habet extra dotem, vel quæ acquirit

Digitized by Google

rit per induſtriam, aut laborem familiæ indebitum, vel quæ a Marito ei dantur quoad dominium, & uſum. Quoad reliqua adminiſtrationi Mariti ſubjecta, eos tantum contractus, donationes, remunerationes, eleemoſynas facere poteſt, quæ non excedant ſtatum ſuæ dignitatis, & opulentiæ juxta conſuetudinem receptam circa alias feminas ejuſdem conditionis: Maritus vero poteſt alienare dotem Uxoris æſtimatam, hoc eſt quam, tanquam ſibi venditam, recepit; vel conſiſtentem in pondere, numero, aut menſura, vel quæ ſervando ſervari non poſſit: non tamen, ſi ſit res mobilis non conſiſtens in pondere, numero, aut menſura, ut Mancipium; neque ſi ſit immobilis inæſtimata, quæ dicitur fundus dotalis: niſi Uxor conſenſum ſuum juramento firmaverit, aut poſt biennium ratificaverit; vel alienatio manifeſte cedat in majorem ejus utilitatem, aut ad ſolvendum ejus debitum reale ante Matrimonium contractum; vel demum ea res partiali jure pertineat ad tertium, qui eam alienari deſiderat. Illſun. a n. 347. *Ex plur. leg.*

V. Impubes, ſi ſit infantiæ proximus (hoc eſt Maſculus a ſeptimo uſque ad decimum cum dimidio, femina uſque ad nonum cum dimidio) ex nullo contractu obligatur civiliter, ex *Inſtit. de inutil. ſtipul.*; imo ſecundum Onn. d. 4. n. 46. ne naturaliter quidem, ſeu in conſcientia; quia ejus contractibus reſiſtit jus poſitivum irritans conſenſum. Excipit Angelus, niſi malitia ſuppleat ætatem; ſed Sanch. l. 6. *Matr.* d. 38. n. 24., & Lug. d. 22. n. 285. rejiciunt exceptionem; quia, quamvis in uno, aut altero particulari deficiat ratio legis, non ideo ceſſat pro eo lex.

VI. Filiusfamilias (qui ſcilicet eſt ſub patria poteſtate) neque civiliter, neque naturaliter poteſt per contractum alienare bona immobilia, aut mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, abſque decreto Judicis; quia jus poſitivum expreſſe irritat ejus conſenſum in his rebus, etiamſi conſentiat pater: Leſs. l. 2. c. 17. n. 61. Illſun., & alii communiter ex *plur. leg.* Circa reliquas res mobiles, noto, filiumfamilias habere poſſe bona caſtrenſia, quæ ſcilicet habet occaſione militiæ, aut obſequii facti Principi; alia quaſi caſtrenſia, quæ ſcilicet habet ex Beneficio, Patrimonio, Clericatu, Officio publico,

vel

Digitized by Google

vel arte liberali, & horum omnium habet dominium, & uſum; alia adventitia, quæ ſcilicet habet aliunde, & nec intuitu, vel conceſſione patris, & horum uſufructuarius, & adminiſtrator eſt pater; alia profectitia, quæ ſcilicet habet intuitu, vel conceſſione patris, & horum dominus directus eſt pater. His notatis: Filiusfamilias, ſi ſit pubertati proximus (hoc eſt maſculus ab an. 10. cum dimidio uſque ad quartumdecimum, femina ab an. 9. cum dimidio uſque ad duodecimum completum) etiamſi contrahat auctoritate patris, non obligatur civiliter; probabile tamen eſt obligari naturaliter, & in conſcientia, quoad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia; quia habet ſufficientem conſenſum, quem jus poſitivum clare non irritat: Mol., Nav., Bon., Laym., & alii; quamvis oppoſitum apud Sanch., & Leſs. ſit valde probabile, & in praxi tutum. Si vero ſit plene pubes (hoc eſt maſculus quartumdecimum, femina duodecimum plene compleverit) poteſt etiam ſine conſenſu patris civiliter, & naturaliter alienare caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia (dummodo non ſint bona immobilia, aut mobilia pretioſa, ut dictum eſt ſupra) non vero adventitia, aut profectitia: Doctores communiter.

Quæres hic, An filiusfamilias poſſit diſponere de ſuis lucris ex opere mechanico?

Reſpondeo negative; Quia hæc lucra, cum non ſint ex arte liberali, numerantur inter adventitia; ideoque licet ſint propria filii, tamen uſufructuarius, & adminiſtrator eſt Pater. Poteſt tamen filius in ea arte mechanica locare operam ſuam patri, & ſic ab eo ſalarium exigere; deductis tamen expenſis, quas pater in eo alendo facit, cum non teneatur pater alere filium habentem adventitia, vel caſtrenſia: Doctores communiter ex *l. Si quis a liberis, ff. de libert. agnoſc.* Cæterum, ſi filius ne tacite quidem petito ſalario eam operam præſtet patri, cenſetur ei remittere ex pietate, & gratitudine, unde nec poteſt eo mortuo a fratribus illud repetere. Filius vero faciens lucrum ex bonis paternis in ejus officina, nec ſalarium, nec partem lucri exigere poteſt: Laym., & alii communiter ex Gloſ.; probabile eſt oppoſitum apud Leſs. c. 12. n. 81.; quia tale lucrum non ſolum provenit ex bonis paternis, verum etiam ex filii induſtria, & labore; ideoque partim eſt Profecti-

Digitized by Google

ctitium, partim Adventitium: quæ ſententia ad id ſaltem Confeſſario ſervire poterit, ut mitius agat cum tali filio, & non facile ad reſtitutionem obliget, niſi ultra æſtimationem induſtriæ, & laboris acceperit: Laym. n. 12.

VII. Pupillus (qui ſcilicet caret Patre, vel ab eo eſt emancipatus, & nondum pertingit ad annum pubertatis; ideoque habere debet Tutorem etiam invitus) omnino invalide per contractum alienat bona immobilia, aut mobilia pretioſa, etiam cum conſenſu Tutoris, ſi fiat ſine auctoritate Judicis; ut dictum eſt de filiofamilias. Circa reliquas res mobiles, ſi pubertati proximus contrahat auctoritate Tutoris, obligatur etiam civiliter: quia datur ei actio contra Tutorem, ſi male ſuaſerit, qualem actionem non habet filius contra patrem: Doctores communiter ex *plur. Leg.* Si autem pubertati proximus contrahat ſine auctoritate Tutoris, non obligatur civiliter, quamvis probabile utrinque ſit, obligari naturaliter, niſi eo contractu factus ſit ditior, ex *l. 1. c. de Inutil. ſtipul.* Qui autem cum eo ſic contrahit (modo & ipſe non ſit pupillus) obligatur etiam civiliter, ſi velit pupillus ſtare contractui, *Inſtit. de Inutil. ſtipul. §. Pupillus*; ideoque dicitur talis contractus claudicare. Cæterum, ſi pupillus ſine auctoritate Tutoris donet, aut expendat in recreatione aliquod eorum, quæ ſunt in quotidiano uſu, Lug., Onn., & alii recte dicunt, tales contractus eſſe etiam jure civili validos, quia quoad hæc conſuetudo derogavit legibus. Denique ſi pupillus contrahat cum ſuo Tutore, v. g. vendat illi prædium, neque civiliter, neque naturaliter obligatur; niſi forte per hoc factus ſit ditior, vel commiſerit dolum, ut limitat Sanch.

VIII. Minor, ſeu Minorennis (qui ſcilicet a pubertate uſque ad ann. 25. caret patre, vel eſt ab eo emancipatus; ideoque volens habet Curatorem, & aliquando etiam nolens, in ordine ad lites) quoad contractus ſubeſt iiſdem fere legibus, ac pupillus; quia Curator ei datur, ut adminiſtrator bonorum. Itaque ſine auctoritate Judicis non poteſt alienare bona immobilia, aut mobilia pretioſa, etiamſi conſentiat Curator; imo, etiamſi illum non habeat, vel obtinuerit a Principe veniam ætatis, quæ maſculis concedi ſolet poſt ann. 20., feminis poſt ann. 18.,

Croix

Digitized by Google

Croix n. 303. ex *l.* 1. *c. de his, qui veniam.*

Excipe Primo, Si ea neceſſario alienare debeat, ut ſolvat debitum, ad quod in conſcientia tenetur, vel ſi alicui in dotem aliquid promiſerit, vel ſi ſervum manumiſerit: Onn. d. 19. n. 303., probans per *plures leges*. Idem etiam conceditur Patri in caſu neceſſitatis, non autem Tutori, aut Curatori: Laym. c. 8. ex Tiraq., Azor., & aliis: Secundo, Si non habens Curatorem alienet per contractum mobilia etiam aliquantum pretioſa, & non occurrentia quotidiano uſu, obligatur etiam civiliter, ex *l. Puberes* 101., *ff. de V.O.* Tertio, Si ſit profeſſurus Religionem, poterit etiam abſque auctoritate Curatoris donare, alienare, &c. omnia bona ſua ſine beneficio reſtitutionis in integrum, quia cenſetur mori: Laym., & alii ex *cap. In præſentia, de Probation.*

Quæres etiam hic, Quid ſit, & cui competat Reſtitutio in integrum?

Reſpondeo, Eſſe privilegium, quo quis per contractum læſus reponitur in ſtatu, in quo erat ante contractum. Conceditur hoc Pupillis, & Minoribus, ſive Tutorem, aut Curatorem habeant, ſive non habeant; ſive contraxerint ex eorum auctoritate, ſive non; imo, etiamſi contraxerint per Judicis decretum. Durat hoc privilegium etiam quadriennio poſt expletam minoritatem; &, ſi veniam ætatis obtinuerint, quadriennio poſt veniam obtentam; &, ſi dolo, aut juſto titulo fuerint impediti, poteſt hoc quadriennium computari poſtea: Doctores communiter ex *plur. leg.* Itaque ſi rem vendiderunt, quæ non oportebat vendi, poterunt agere contra quemvis poſſeſſorem ad eam recuperandam reſtituto pretio; & ſimiliter, ſi vendiderint minoris juſto, poſſunt agere ad juſtum pretium. Si eam nondum tradiderint, vel tantum promiſerint, vel ad creditum ludentes luſu extraordinario perdiderint pecuniam, poterunt retinere; quia, quando lex permittit repeti, tacite permittit retineri; niſi forte juramentum acceſſerit: Sanch. n. 84., Si læſi ex pecunia mutuo accepta, ut quia illam pecuniam amiſerunt, vel male conſumpſerunt, poſſunt poſtea uti beneficio reſtitutionis in integrum, & ſolum ſolvere id, in quo facti ſunt ditiores: Leſ. ex *l.* 2. *c. Si filiusfam.* Si læſi ſint ex quaſi contractu, v. g. quia damnoſam hæreditatem

ſibi

Digitized by Google

ſibi teſtamento legatam acceptarunt; vel ſi lucroſam repudiarunt; vel ſi læſi ſint in electione, eligendo ſcilicet partem deteriorem, poſſunt in integrum reſtitui. Idem ait Covar., favente Mol., ſi læſi ſint ex imprudenti reſignatione, aut permutatione beneficii, etiamſi ſit hoc alteri collatum; licet oppoſitum in hoc ſit etiam probabile, & in uſu: Leſ. l. 2. c. 17. n. 63.

Contra non gaudent hoc privilegio: Primo, Si nulliter fuerunt læſi, vel ſi vendiderint rem juſto pretio, eoque tempore, & modo, quo quiſque prudens venderet, etiamſi poſtea præſentet ſe alius, qui plus offerat: Leſſ. ex *l. Verum, ff. de Minorib.* Secundo, Si contractum juramento firmarunt, quamvis alioqui per ſe irritus eſſet jure poſitivo: Leſs. ex authentica *Sacr. puberum*, cap. *Si adverſus venditionem*; ſi autem tunc paſſi fuiſſent injuſtitiam, vim, aut dolum, obtenta juramenti relaxatione ab Epiſcopo, fas erit remedium reſtitutionis in integrum implorare: Covar., Leſs., & alii ex cap. *quamvis, de pactis*: & ſi erant impuberes, dum jurarunt, ſola impubertas eſt ſufficiens cauſa relaxandi juramentum, ex eodem cap.; imo a tutore poteſt irritari: Leſs. n. 65. Tertio, Si majores facti contractum ratificarunt: Leſs. ex *l. 1.* cap. *ſi major factus*; tunc enim ſolum competit beneficium majorum, qui læſi ſint ultra dimidium juſti pretii, *l. 2.* cap. *de reſcind. vendit.*

Dictum privilegium conceditur etiam Eccleſiis, & Locis piis, quæ pariter habent quadriennium a celebrato contractu, aut quaſi contractu; quia ſe habent inſtar Minorum: Doctores communiter ex cap. 1. & 2. *de reſtit. in integr.*; imo ſi Eccleſia valde enormiter ſit læſa, conceditur amplius, quam quadriennium: Covar. apud Leſ. At Eccleſiaſtici in ſuis contractibus, quos privatim faciunt, non gaudent hoc privilegio, niſi forte fuerint Minores: Covar. Leſs., & alii. Item conceditur Reipublicæ cujuſvis oppidi, ex *l. 4.* cap. *quibus ex cauſis.* Item ſummis Principibus quoad bona Principatus, cum hæc etiam ad Rempublicam pertineant: Leſs. n. 67. Item Univerſitati ſtudiorum juxta Ab., & alios. Et interdum etiam rudibus, ut ruſticis, & mulieribus, qui ignorant jura, juxta Mol. ex Marant., & aliis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

An Error, & Dolus obſtent valori Contractus?

ERROR vel eſt circa ſubſtantiam rei, de qua contrahitur, vel circa ejus qualitates, aliave accidentia extrinſeca. Rurſus vel dat cauſam contractui, quatenus, ſi non eſſet talis error, non contraheres, & ſic dicitur antecedens; vel non dat cauſam contractui, quatenus, ſi non eſſet, adhuc contraheres, licet non tam libenter, tam cito, tanto pretio, &c., & ſic dicitur incidens, comitans, ſubſequens. Denique vel provenit ex tua opinione, & dicitur tantum error; vel ab altero contrahente, aut a tertio, & ſic dicitur etiam dolus. His notatis

Dico primo: Si ſit error circa ſubſtantiam rei, contractus eſt jure naturæ irritus: Doctores communiſſime. Ratio eſt, quia deeſt conſenſus ſubſtantialis; errans enim circa ſubſtantiam rei non conſentit in iſtam rem, ſed in aliam, quam putat ſubeſſe iſtis accidentibus; hinc *l. 9. cap. de jur. & fact. ignorantia* dicitur, *Errantis nullus eſt conſenſus.* Atque id verum eſt, ſive error ſit ex propria opinione, ſive ex dolo alterius, ſive dederit, ſive non dederit cauſam contractui, quia ſemper eſt circa ſubſtantiam.

Hinc, ſi emam vas vini, putans eſſe vas olei, etſi æqualiter libere, & eodem pretio emiſſem vinum, ſi ſciviſſem, adhuc talis emptio fuit nulla; quia non habui conſenſum circa vinum: conſenſus autem, quem habuiſſem, ſi ſciviſſem, non ſufficit ad emptionem abſolutam, quia non fuit, ſed fuiſſet. Nec juvat conſenſus interpretativus, ut putat Vaſq., cui favet Dicaſtil., quia, niſi adſit ſignum externum talis diſpoſitionis animi, quam ſcilicet vellem, ſi ſcirem, non ſufficit ad emptionem vini humano modo faciendam: Croix n. 617.

Idem eſt, ſi error ſit circa ſubſtantiam contractus: v.g. ſi putem tibi vendere agrum, & tu putes tibi donari, tum venditio, tum donatio eſt nulla; quia erratur in ſpecie contractus, quod pertinet ad ſubſtantiam, ex *l. In vendit. 9., ff. de Contr. Empt.* At ſi putem, ex teſtamento deberi tibi agrum, & tu putes tibi deberi ex venditione, hoc ipſo, quod agrum tibi trado, acquiris ejus dominium;

quia

Digitized by Google

quia virtualiter consentimus in titulo *debiti*, cum uterque agnoscamus justitiam causæ, sive fuerit hæc, sive illa, ex *l. Cum in corpus 36., ff. de acquir. rer. dom.* Denique irritus est contractus gratuitus, si error substantialis sit circa rem, vel circa causam finalem, seu motivum adæquatum: v.g. si donem tibi gemmam, putans esse vitrum; vel gemmam cognitam, ut talem, dem in eleemosynam tibi falso pauperem simulanti, utraque donatio est irrita ob errorem substantialem circa rem, vel circa motivum adæquatum: Illsun. n.354. Excipe demonstrationem, quæ, etsi falsa, non irritat contractus gratuitos, præsertim dispositiones ultimæ voluntatis, nisi fiat dolo alterius, juxta dicta c. 3. Excipe secundo, Si dubium sit, an causa fuerit motiva, vel tantum impulsiva, quia in dubio standum pro valore actus, juxta ibidem dicta: ideoque, si Testator legavit Titio 100. ob sua negotia ab eo bene gesta, valet legatum, etiamsi causa fuerit falsa: item valet donatio Titio facta, ut emat vestem, etiamsi Titius vestem non emat: Croix n.592. & alii.

Dico secundo: Si error sit circa qualitates rei, non irritat jure naturæ contractum; imo neque jure positivo, per quod tantum redditur ut plurimum irritabilis: Less. l.2.c.17.n.30.& alii communiter contra aliquos, præsertim Juristas. Ratio est, quia talis error non impedit consensum in substantiam rei: ergo habetur consensus jure naturæ requisitus ad valorem contractus. Neque obstat primo, quod adsit involuntarium circa qualitates; quia accessorium sequitur principale. Neque obstat secundo, quod talis error dederit causam contractui, itaut, si non fuisset, non contraxisses; nam hinc solum sequitur, quod impeditus fuisset consensus in substantiam rei; non autem, quod hic & nunc sit impeditus. Neque demum obstat, quod talis error provenerit ex dolo alterius; nam semper stat, ut non impediat consensum: Croix n.623. & alii communiter.

Rursus nullum est jus positivum irritans ipso facto tales contractus (una excepta conditione servi, quæ ignorata ab altero contrahente irritat matrimonium, ex *cap.1. de Conjugio servorum*) ut optime ostendit Less. contra Juristas putantes, contractum bonæ fidei, cui dolus alterius causam dederit, esse jure civili irritum. Sed immerito,

nam

Digitized by Google

nam *l. ſi dolo*, cap. *de reſcind. vendit.* datur decepto jus reſcindendi venditionem ex dolo factam: ergo ſupponitur contractus bonæ fidei (qualis certe eſt venditio) non eſſe irritus. Quod autem in jure aliquando dicatur *irritus, nullus, nullam habere vim*, &c., ideo ſic dicitur, quia deceptor nihil ſolidi juris acquirit, niſi deceptus illum ratificet. Hinc, ſi error circa qualitatem dedit cauſam contractui ex dolo alterius contrahentis, falſo ſcilicet dicentis qualitatem, aut indebite tacentis vitium rei, poteſt deceptus pro ſuo libito illum confirmare, aut reſcindere, daturque ei actio *redhibitoria*, qua ſcilicet omnia in priſtinum ſtatum redigantur, reſciſſo contractu, ex *l.* 1., *ff. de ædilitio edicto.* Excipe contractum matrimonii, utpote indiſſolubilem; & merito, quia alias eſſet expoſitus innumeris incommodis, & ſcandalis. Deceptor autem ſtare debet arbitrio decepti, itaut, ſi is nolit contractum, teneatur ille ad reſtitutionem rei, & fructuum ex illo perceptorum; quia injuriam faciens non poteſt aliter ſatisfacere, quam reponendo læſum in priſtinum ſtatum, & damnum illatum compenſando: Illſun. n.336. Idque verum eſt, inquit Lugo d.22. n.142., etiamſi dolus fuiſſet parvus, modo dederit cauſam contractui. Non tamen videtur ſub mortali obligandus ad monendum deceptum de dolo, niſi ratione damni ſequuti; quod ſi aliter compenſet, videtur ſatisfacere pro injuria: Croix n.624. ex Lug.

At ſi error circa qualitatem dans cauſam contractui proveniat tantum a tertio, aut ſine ullius fraude, tunc decepto datur actio contra tertium *ad id, quod intereſt, ex l. & eleganter, ff. de dolo*; & ſi res adhuc eſt integra, probabilius non tenetur ſtare contractui (excepto matrimonio) niſi forte per ſententiam Judicis cogatur; deberet tamen compenſare alteri damnum, ſi quod inde ſequeretur: Leſs. n. 33. Si vero res non ſit integra, itaut contractus ex altera ſaltem parte ſit completus, tunc decepto datur ſolum *actio quanti minoris*, hoc eſt ut tanto minus ſolvat, quanto minoris, detecto vitio, rem eſſet empturus, ex *l.*13., *ff. de action.* Idemque eſt, ſi error, ſeu dolus undecumque proveniens incidat in contractum, ſeu non det cauſam contractui; quod verum eſſe, etiamſi quis ſit de-

Digitized by Google

ceptus in pretio ultra dimidium, probat Leſſ. n. 28. ex c. *Cum dilecti, de empt., & vendit.*

Quæres hic, Unde diſcerni poſſit, utrum aliquod ſit qualitas, an ſubſtantia contractus?

Reſpondeo, Illud cenſeri de ſubſtantia contractus, ad quod præciſe ſe reſtringit voluntas contrahentis, illud vero eſſe qualitatem, ad quod voluntas contrahentis non ſe reſtringit, ſed abſolute cenſetur procedere, eo non obſtante. In dubio autem de tali voluntate, præſumendum eſt ex communi uſu aliorum hominum, vel ex diſpoſitione juris circa tales, vel tales contractus: Illſun. n.234. Croix n.621. & alii communiter. Hinc in contractu matrimonii & in emptione ſervi perſona eſt ſubſtantia contractus; quia intentio contrahentis præciſe ſe reſtringit ad perſonam; ideoque, ſi erratur in perſona, talis contractus eſt nullus, *l.alioquin* 11., *ff. de contrah. empt.* Idem ait Onn. d.3. n.118. ſi conduxiſti Advocatum pro tua lite, quem putaſti peritum, & eſt imperitus, quia licet non erraſti in perſona phyſice, erraſti tamen in ea moraliter; contraxeras enim præciſe propter operam, ad quam eſt inhabilis, ideoque habilitas tranſit in ſubſtantiam, in qua erratur. Idem eſt plerumque in contractibus gratuitis; ſi enim donaſti Petro putans eſſe Paulum, donatio eſt nulla; niſi donaſſes, quia pauper eſt, & uterque eſſet pauper; tunc enim perſona eſſet accidens: ſicut etiam in aliis contractibus oneroſis perſona communiter eſt accidens, ideoque, ſi vendam bovem Petro putans vendere Paulo, valet venditio: Croix n.621.

Denique poteſt qualitas aliquando tranſire in ſubſtantiam, ſi intentio contrahentis præciſe ſe reſtringat ad eam qualitatem: v.g. ſi abſens emas pannum, præciſe quia vis te veſtire Sacerdotem, ſi pannus ſit ruber, error eſt in ſubſtantia: ſimiliter matrimonium cum Berta, præciſe quia nobilis eſt, ſi ea non ſit talis, matrimonium eſt nullum, quia error qualitatis tranſit in ſubſtantiam. Contra verò ſi non præciſe intentionem reſtringas ad qualitatem, in qua erras, ſed extendis etiam ad alias qualitates, in quibus non erras, valet contractus; ut ſi placuerit etiam Berta, quia pulcra, vel quia morigerata, &c. valet

let matrimonium, etiamsi erres in nobilitate etiam principaliter, sed non præcise intenta.

CAPUT VII.

An Vis, & Metus obstent valori Contractus?

VIs ex Ulpian. est *Majoris rei impetus, qui repelli non potest:* quamvis autem voluntas non possit pati vim in actibus suis, tamen dicitur eam pati, quando adducitur ad consensum per aliquod, quod ipsa valde odit, & metuit. Itaque per vim hic intelligitur metus, qui est actus voluntatis fugiens malum imminens; ideoque etiam hic metus vel est ab intrinseco, ideſt ab intrinseca complexione hominis, aut a causa naturali, puta ex morbo, tempestate, belluis, &c., vel est ab extrinseco, ideſt a causa libera; & tunc potest esse vel juste incussus, vel injuste. Denique omnis metus vel est gravis, qui scilicet vehementer conturbat, itaut non possit facile superari; vel est levis, qui scilicet non ita conturbat, sed potest facile excuti.

Metus gravis alius dicitur absolute talis, alius tantum respective: Primus est, qui cadit in constantem virum, quatenus est alicujus damni, quod viro constanti merito esset formidabile; ut metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, diuturni exilii, servitutis, stupri, amissionis honoris, aut notabilis partis bonorum, infamiæ, excommunicationis injustæ: Less. n. 55. *ex plur. jurib.*, notat tamen Lug. d. 22. n. 144., metum gravem non esse præcise de perdendo aliquo lucro, sed de incurrendo gravi damno, vel sibi, vel suis usque ad quartum gradum, ut extendunt multi, eo quod eorum mala nostra reputantur. Secundus est alicujus mali, quod licet viro constanti non sit per se formidabile, tamen judicio prudentium merito est formidabile huic personæ, attento ejus statu, conditione, &c., v. g. mulieri, puero, seni, &c., ideoque in ordine ad contractum se habet, quasi metus absolute gravis: rursus metui gravi æquivalet metus reverentialis, non quicumque, sed quo timetur gravis offensa Parentum, Superiorum, Principum, & censetur gravis offensa, si putetur fore diuturna cum asperitate vultus, verborum, aut cum alia dura tractatione. Preces autem impor-

Digitized by Google

tunæ, etsi vehementes, & repetitæ non possunt inducere metum gravem, nisi adjunctas habeant minas ejus, qui solet exequi, seu metum alterius mali gravis sequuturi: Less., & alii. His notatis

Dico primo: Metus levis sive juste, sive injuste incussus non impedit valorem contractus; item nec metus gravis proveniens ab intrinseco; nec metus gravis juste incussus: Doctores communiter.

Ratio primæ partis est, Quia metus levis, cum facile possit excuti, non reddit consensum involuntarium: ergo contractus ex eo initus valet jure naturæ, & jure etiam positivo, quod merito pro nihilo talem metum reputat, ne perpetuis litibus detur occasio; ex *l. metum* 2. *ff. quod metus causa.* Addunt tamen Pal., Less., Sanch., & alii contra Med., & Ponc., eum, qui talem metum passus est, posse jure naturæ (excepto matrimonio) rescindere contractum; &, si altera pars renuat, posse uti compensatione occulta: sed oppositum est probabilius; quia id non proportionatur levitati culpæ inferentis metum levem, & aliunde talem metum passus sibi imputet subsequens damnum, cum alter non fuerit sufficiens causa ad contrahendum, Illsun. n. 353.

Ratio secundæ partis est; Quia tunc contrahens non impellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum libere inducit, ex *l. si mulier* 21., *ff. eod.* Hinc valet votum emissum in tempestate; item si ex metu mortis promittas medico 100., &c. Excipe, si talis metus omnino turbaret rationem, quia tunc contractus non valeret ex defectu advertentiæ, & deliberationis plenæ: Croix n. 633.

Ratio tertiæ partis est; Quia in metu juste incusso ipsemet metum passus dedit causam: ergo talis metus est ei voluntarius, & veluti ab intrinseco: Lug. n. 43. Si autem Titius potens juste accusare Cajum nolit interne, minetur tamen accusationem, nisi dentur sibi 100. aurei, Mol., Bon., Lug., & alii dicunt, Titium non posse eos retinere, quia dolus dedit causam contractui: sed Sanch., Pal., Dian. Less. n. 42., & alii probabilius dicunt, posse; quia habuit jus ad accusandum, quo se privat, & hoc est pretio æstimabile; dolus autem non est injustus, cum possit juste minari, sive habeat, sive non habeat animum accusandi: idemque

ait

Digitized by Google

ait Lugo n. 170. ſi quis juſte, quamvis dolo, terreat peccatorem, qui ideo ingrediatur Religionem, Profeſſionem fore validam; & ſic dicebat Apoſtolus 2. Cor. 12. *cum eſsem aſtutus, dolo vos decepi*.

Dico ſecundo: Metus gravis ab extrinſeco, etiamſi ab altero contrahente injuſte incuſſus, & in ordine ad extorquendum contractum, ſpectato jure naturali non irritat contractum: Ita Henr., Bon., Regin., Leſs., Sanch., Lug., & alii prope innumeri, præſertim Canoniſtæ, contra Mol., Reb., Val., Onn., Tamb., & alios; item contra Turrecr., Sot., Azor., Ponc., & Dicaſt. putantes, ſaltem contractus gratuitos eſſe jure naturæ irritos. Ratio noſtra eſt; Quia vel talis metus irritat, eo quod impedit conſenſum internum; vel eo quod non ſinit, eum eſſe liberum; vel eo quod eum extorquet per injuriam. Non primum; Quia cum eo ſtare poteſt conſenſus internus, & de facto ita eſt præſumendum, niſi aliter metum paſſus ſe explicet; cum nemo præſumatur mendax; quod ſi externe contrahens interne diſſentiat, non ſumus in caſu; non enim metus tunc irritat contractum, ſed omiſſio conſenſus, quæ etiam ſine metu eſſe poteſt in ficte contrahente. Non ſecundum; Quia metus utcumque gravis non tollit libertatem, nec voluntarium ſimpliciter, ut patet in metu gravi ab intrinſeco, vel juſte incuſſo; & ratio a priori eſt, quia nemo poteſt cogi ſimpliciter ad actum voluntatis internum; ideoque ex D. Th. quodcumque ex metu eliciatur, dicitur voluntarium ſimpliciter, & involuntarium tantum ſecundum quid. Non demum tertium; Quia quamvis talis injuria reddat contractum illicitum, non tamen irritum, ut patet in contractibus, qui cauſantur ex metu levi, aut ex dolo alterius, qui jure naturæ valent, & ſimiliter in matrimonio facto poſt ſponſalia inita cum alio: ergo ex nullo capite contractus initi ex metu gravi injuſte incuſſo ſunt jure naturæ irriti.

Objicies primo ex c. *Cum locum, de ſponſal.* Ibi locum non habet conſenſus, ubi metus, & coactio intercedit; & ex *reg. jur.* nihil conſenſui tam contrarium, quam vis, & metus: ergo tales contractus ſunt irriti ex defectu conſenſus.

Reſpondeo, Nego conſequentiam. Primus textus intelli-

Digitized by Google

gitur tantum de consensu matrimonii, qui debet esse omnino liber, utpote irrevocabilis, ideoque jure positivo reputatur nullus ejus consensus ex metu gravi injuste incusso. Secundus non plus asserit, quam talem consensum posse revocari, ubi contractus est irritabilis, juxta mox dicenda.

Objicies secundo: Jus non potest nasci ex injuria; sed si contractus ex metu injuste incusso essent validi, jus nasceretur ex injuria: ergo &c. Confirmatur, Jus naturæ non potest favere injuriæ: ergo contractus injuriosus non potest jure naturæ esse validus: ita Onn.

Respondeo, Distinguo majorem: non potest nasci immediate, conc., mediate, nego. Jus immediate oritur ex consensu contrahentis, quem causavit injuria: sic, si filius occidat patrem, acquirit jus ad hæreditatem immediate per successionem ab intestato, mediate per injuriam. Ad confirmationem distinguo antec., non potest favere injuriæ approbando illam, conc., non irritando ejus effectum mediatum, nego antec., & conseq.; quamvis enim jus naturæ prohibeat talem injuriam, non tamen irritat contractum ex ea initum, utpote ejus effectum mediatum.

Objicies tertio: Si valet v. g. promissio auri facta latroni volenti occidere, tenetur metum passus illud dare: ergo latro habet jus ad petendum aurum promissum, etiamsi petitio sit injuriosa; adeoque habet jus ad injuriam, & insuper ad actionem illicitam, scilicet acceptionem auri; quod absonum est naturæ.

Respondeo, Distinguo antecedens: tenetur illud dare absolute, nego; sub conditione sibi libera, conc.; promittens in casu potest, quandocumque vult, illum contractum rescindere, adeoque non tenetur absolute dare aurum promissum, sed sub conditione, quod nolit rescindere contractum. Hinc distinguo consequens, latro habet jus absolutum, nego; conditionatum, si, scilicet læsus nolit rescindere, nec opponat exceptionem injuriæ, conc., sic enim volenti, & consentienti non fit injuria. Cæterum, si latroni datum sit aurum ex tali metu, tenetur hic statim restituere; nam, licet accipiendo acquirat ejus dominium vi promissionis, tamen ratione injuriæ illatæ tenetur statim deponere; hinc *l. Metum, ff. Quod metus causa*, metum passo conceditur actio non solum in personam, sed

etiam

etiam in rem, ubicumque existat; non quod maneat dominus rei, quamdiu est apud alterum, sed quia rescindendo contractum potest facere suam, & conceditur ipsi restitutio in integrum cum fructibus &c., & præfertur aliis creditoribus, restituto tamen pretio, si contractus fuerit onerosus: Lug. n. 119. Illsun. n. 230. Idque verum est, etiamsi talis metus incussus sit a tertio, vel is rem a principio bona fide acceperit: Sylv., Garz., Sanch., Lug. n. 188. Onn., & alii; fructus tamen percepti reddi debent semper ab incutiente metum, & mala fide contrahente, aut possidente. Si vero prudenter censeatur, quod læsus nolit rem sibi restitui, potest retineri. Fit enim, inquit Less. n. 46., ut multi, quamvis inviti contraxerint, si tamen semel consenserint, vel non cupiant restitui, vel facillime condonent; & in dubio, videndum, an possint, & soleant condonare. Rursus in dubio, an metus fuerit gravis necne, an juste, vel injuste incussus, standum pro validitate actus, quia in dubio melior est conditio possidentis, & contractus initi. Si metus gravis injuste incutiatur, non ad extorquendum contractum, sed ob aliud, ex illo tamen fiat contractus (ut si Titio in flagitio deprehenso injuste mineris morte m, & ille, ut periculum evadat, aliquod tibi promittat, vel donet) valet etiam contractus, & probabilius potest pariter rescindi; ut colligitur ex *l.* 7., *ff. quod metus causa*; quia metum injuste incutiens tenetur ratione injuriæ ad tollenda omnia incommoda inde provenientia, inter quæ est tali contractu alterum obligari: Angel., Sot., & alii contra Sanch., Bon., Les., & alios dicentes, talem metum esse potius ab intrinseco, eo quod ipsemet Titius præeligat contractum, ut evadat mortem, neque adeo esse causam contractus, sed meram occasionem: porro id tunc solum approbat Lug., cum metus principalis juste incutitur, & additur alius metus injuste.

Infers ex dictis, Contractum initum ex metu gravi injuste incusso non posse rescindi, nisi ad arbitrium metum passi, etiamsi incussus sit a tertio, & non ab altero contrahente, ut statuitur *l. Item* 14., *ff. Quod metus causa*. Neque valet paritas de dolo proveniente a tertio, quia *Legum non est petenda ratio*, ut habetur *l.* 20., *ff. de Leg.*; & ratio congruentiæ est, quia dolus per diligentiam, &

Digitized by Google

circumspectionem facilius caveri poterat ; ideoque lex non concedit rescindibilitatem ob dolum tertii: Croix n. 640. Cæterum rescissio nequit fieri propria auctoritate, sed Iudicis: Lug. n. 118. ex *innum. leg.*, ne scilicet lites, & jurgia multiplicentur ; at si certo constet metus gravis, & injustus, nec possit per Judicem obtineri rescissio, licebit jure naturæ occulta compensatio : idemque est, si ex metu gravi falso a te apprehenso contraxisti: Less.c.17.n.45.

Quæres, An aliquis contractus initus ex metu gravi injuste incusso sit ipso facto irritus jure positivo?

Respondeo affirmative, Uti est matrimonium, Professio Religiosa, promissio, vel traditio ex rebus Ecclesiæ ; promissio, vel solutio dotis, & absolutio a censuris : Doctores communiter ex *plur. Jur.* id expresse statuentibus. Idem dicunt alii contra alios de Sponsalibus, Renunciatione Beneficii Ecclesiastici, Jurisdictione extorta, & aliis, de quibus videri possunt Sanch. l. 4. Matr. d.8. Les. n. 37. Lug. n. 240. Idem dicunt complures de votis simplicibus, ex cap. *Sicut* 20.q.1. & cap. *Præsens* 10.q.3., quamvis Suar., Ponc., Pal. dicant, tantum esse irritanda.

CAPUT VIII.

An Contractus invalidi juramento firmentur?

NON loquimur de juramento assertorio, quo scilicet jures, te hic & nunc contrahere ; sic enim aliam obligationem non inducit, quam non ficte contrahendi ; ideoque, si contractus aliunde sit invalidus, aut revocabilis, idem manet, ac si tale juramentum additum non esset ; si vero ficte jures, peccas quidem, & obligaris ad servandum talem fictum contractum ratione scandali, aut damni, quod inde alteri sequeretur : at si neutrum sequeretur, Sanch., Castr., Busemb., & alii probabiliter negant obligari, quia obligatio juramenti unice pendet a voluntate, quam non habes ; sed valde probabiliter etiam affirmant D. Th., Val., Cajet., Sot., Covar., Suar., & alii, ex D. Isidoro, quia obligatio juramenti jure naturali videtur adnexa juramento externo.

Loquimur autem de juramento promissorio, quo scilicet jures, te servaturum, seu non revocaturum contractum

Digitized by Google

ctum cæteroqui invalidum. Hoc juramentum, ſi ſit de re licita, certe inducit in jurante propriam obligationem, quia ſic poſtulat reverentia debita Deo, qui vocatur in teſtem, ac veluti fidejuſſorem ſervandi contractum cæteroqui invalidum: Doctores communiter ex cap. *Quamvis, de Pactis in 6.* Neque obſtat illud dictum, quod *Acceſſorium ſequitur principale*; nam, ut bene Suar. *de Juram.* l. 2. c. 9. n. 6., objectum talis juramenti non eſt contractus, ſed ejus expletio, in ordine ad quam non eſt acceſſorium, ſed principale. Hinc ſi quis juraverit uſurario, ſe ſoluturum uſuras, tenetur ex Religione eas ſolvere, cap. *Debitores, de Juram.*, tenetur tamen uſurarius remittere obligationem juramenti in gratiam ejus facti; &, ſi nolit, poteſt alter petere relaxationem ab Epiſcopo, & ſic non ſolvere uſuras: quod ſi jam ſolverit, poteſt ſtatim repetere, quia uſurarius non eas recepit ex juſtitia, ſed ex Religione, cui jam eſt ſatisfactum; ideoque ipſe uſurarius, etiam non petitus, cum nullum acquiſierit dominium, debet ſtatim reſtituere, etiamſi alter non repetat, vel juraverit etiam non repetere. Quod ſi juraverit non petere ab Epiſcopo relaxationem juramenti, hoc etiam relaxari poteſt ab Epiſcopo, ipſo etiam non petente, cap. *Pervenit, de Jurejur.*, imo, ſi eſſet juſta cauſa, poſſet & ipſe petere relaxationem: uti eſſet, ſi juramentum extortum ſit metu gravi, aut dolo, quod cap. 8. *Si vero, de Juram.* Alex. III. interrogatus de juramento per graviſſimum metum extorto dicit eſſe ſervandum: neque obſtat exceptio, quæ ponitur cap. *Quamvis de Pactis in 6., nec vi, nec dolo præſtitum;* nam indicat tantum, quod tunc non ſit conſtans obligatio, cum facillime peti poſſit relaxatio: Lug. n. 189., & alii communiter contra Sylv., & octo alios cum Diana putantes, juramentum vi, aut dolo extortum nullatenus obligare.

At ſi juramentum addatur contractui, qui ſervari non poſſit abſque peccato ipſius jurantis, nullo pacto obligat; quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ex *Reg.* 18. *Jur. in 6.* Hinc, quamvis teneant juramenta in contractibus, qui ſint contra aliquas leges civiles non obligantes in conſcientia, puta in teſtamentis factis ſine ſolemnitatibus juris, in fidejuſſione Uxoris pro Marito, &c.,

ta-

Digitized by Google

tamen non tenent, si sint adjecta contractui, qui sit contra legem naturalem, aut positivam obligantem in conscientia, vel qui sit in præjudicium tertii: sic non obligat juramentum Clerici pacisscentis super renunciatione fori Ecclesiastici, aut Privilegii Canonis, quia cedit in injuriam Ordinis Clericalis; uti nec super renunciatione nobilitatis, quia est in injuriam familiæ, & prolium; nec super donationibus inofficiosis, & prodigis, quæ absque peccato executioni dari non possint; nec super contractu posteriori contra fidem prioris; & a fortiori nec juramentum factum contra prius juramentum, si materia secundi juramenti facta sit per primum illicita: Onn. d. 11. n. 62. Imo sunt etiam duo casus, in quibus juramentum de re alioqui licita non obligat: primus est, quando jus Ecclesiasticum irritat non solum contractum, sed etiam juramentum appositum, ut Trid. sess. 25. c. 16. *de Regular.* irritat omnem renunciationem, & dispositionem Novitii etiam juratam, nisi facta sit cum licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem: secundus est promissio jurata facta in favorem tertii, quam nemo acceptavit, aut saltem non valide acceptavit; quia promissio fit cum tacita conditione, si acceptetur, & consequenter juramentum adjectum talem conditionem etiam imbibit; & in hoc sensu dicitur communiter, *Accessorium sequi naturam principalis*, & *juramentum sequi naturam actus, cui additur*.

Dubium hic potissimum est, An juramentum firmet etiam contractum invalidum, itaut non solum ei addat vim propriam obligandi tantum ex Religione, sed etiam vim obligandi ex justitia, adeoque contractus per se invalidus per juramentum evadat validus? Verum, cum tali dubio fuse responsum sit tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 3. c. 3. §. 3., nihil addendum superest in præsenti.

DISPUTATIO II.

De Contractibus Gratuitis.

CONTRACTUS gratuiti, seu lucrativi sunt, Promissio, Donatio, Testamentum, Legatum, Depositum, Com-

Digitized by Google

Commodatum, Precarium, & Mutuum, ex quo, si mutuans acquirat lucrum, committit usuram. De his omnibus est hic agendum; quare sit

QUÆSTIO I.

De Promissione, & Donatione.

LOQUIMUR hic de Promissione, & Donatione, quæ fiunt ex mera liberalitate, aut etiam ex gratitudine; sic enim sunt contractus gratuiti specie diversi ab aliis.

CAPUT I.

Quid de Promissione?

PROMISSIO liberalis est *Spontanea, ac deliberata obligatio fidei gratis facta alteri de re quapiam bona, & possibili*: Less. l. 2. c. 18. n. 2., & alii. Ut hæc definitio magis innotescat, explicanda est obligatio fidei in promittente, & acceptatio ejus, cui promittitur, qui dicitur promissarius.

§. I.

De obligatione fidei in Promittente.

QUI promittit rem alteri, non solum habere debet voluntatem dandi, sed etiam se obligandi ad dandum; & hoc est obligare fidem, vulgo *Dar la parola*. Hinc promissio differt a Proposito; hoc enim solum continet intentionem faciendi, dandi, &c.; illa vero addit etiam voluntatem se ad id obligandi. Itaque Propositum, sive internum, sive etiam manifestatum alteri, non obligat neque ex justitia, neque ex fidelitate, sed tantum ex veracitate ad conformandum verba menti: quod si postea intentio mutetur cum causa, nihil peccatur; quia prudentis est ex causa mutare mentem; si vero mutetur sine causa, peccatur tantum venialiter, ob inconstantiam, & levitatem cordis: Suar., Pal., Lug., & alii communiter. At promissio fert obligationem, non solum ex veracitate, ad conformanda scilicet verba menti, sed etiam ex fidelitate, ad præstandum scilicet id, quod promittitur; dummodo ta-

Digitized by Google

tamen promissio sit manifestata alteri; quia mens promittentis est, non imponere sibi obligationem, nisi sub conditione, quod hæc alteri innotescat.

Hinc, si quis actu tantum interno, vel etiam externo occulto rem homini promittat, non obligatur dare; imo nec tenetur talem promissionem ei manifestare, etiamsi interne etiam, vel occulte promiserit, se manifestaturum: Onn. d. 29. n. 21. Imo, si præter intentionem animum illum casu manifestaret alteri, neque obligaretur, quia talis manifestatio non esset actio humana: Lug. d. 13. n. 2. Quod si talis promissio interna, vel occulta juramento etiam interno, vel occulto firmetur; tunc si juramentum factum sit homini (v. g. si tecum diceres, *Juro Petro, me ei daturum* 100.) neque obligaris ex Religione; quia tale juramentum imbibit etiam conditionem, si manifestavero, & ipse acceptaverit: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 7. n. 24., si vero juramentum factum sit Deo (v. g. si tecum diceres, *Juro Deo, me daturum Petro* 100.) obligaris ex Religione, quamvis Petrus nihil sciverit; quia habet se per modum voti, & votum, statimac interne concipitur, obligat, modo sit de meliori bono; quia est promissio facta Deo, qui intuetur cor: Croix n. 654.

Quæres primo, An promissio liberalis obliget ex justitia?

Respondeo, Quod si promittens expresse velit se obligare ex justitia, & promissarius acceptet, tunc promissio, etiamsi liberalis, obligat ex justitia; quia sicuti potest quivis per donationem transferre dominium rei suæ in alterum, ita & per promissionem transferre jus ad rem donandam: Mol., Less., Lug., & alii; & sic obligatio est sub mortali, si res promissa sit materia gravis. Putant tamen Less., Sanch., Onn., & alii contra Dicastil., materiam in casu non censeri gravem, nisi sit quadruplo major, quam quæ requiritur ad materiam gravem furti; quia videtur quivis esse magis invitus, si non restituatur sibi v. g. unus aureus aliunde proprius, quam si non dentur quatuor liberaliter promissi; sed Pal. d. 2. p. 8. n. 6. melius ait, id relinquendum judicio prudentis, considerata causa promittendi, & qualitate personarum. Si vero res promissa sit spiritualis, ut sit materia gravis, debet in ordine spiritua-

lium

Digitized by Google

lium esse notabilis, attenta communi æstimatione hominum: hinc una Missa ex promissione audienda non censetur materia gravis; & probabiliter neque una Missa ex liberali promissione dicenda, quia non videtur communiter apud homines rationabiliter dissolvi amicitia, vel graviter lædi charitas, si talis promissio non servetur; adeoque non censetur res simpliciter notabilis: Sanch., Fagun., Mald., Lug., & alii contra Nav., Suar., Bon., & alios.

At, si promittens voluerit se obligare tantum ex fidelitate, non autem ex justitia, Sanch., Less., & alii probabiliter dicunt, obligari etiam sub mortali, si materia sit gravis; quia licet tunc non sit stricte justitia, tamen est plusquam obligatio veracitatis, & homines apprehendunt aliquod valde affine justitiæ, cujus violatio sit valde inhonesta, reddatque hominem odiosum, & valde contemptibilem; adeoque videtur esse materia peccati mortalis: sicut votum factum in materia gravi obligat graviter, quamvis non ex justitia stricta. Sed probabiliter etiam Mol., Nav., Regin., Rebel., Lug., & alii dicunt, non obligari sub mortali, quamvis materia sit gravis; quia tantum peccat contra hoc, quod facta non conformat verbis, in quo non videtur esse gravis inhonestas; & fidelitatem secundum se non obligare sub mortali, docet cum communi Gormaz *de Just.* n. 648., quamvis obliget in conscientia saltem sub veniali, uti cum D. Th. docent omnes: non sic autem in voto, quod cum obliget ex Religione, obligat sub gravi, si materia voti sit gravis. Potest tamen talis promissor per accidens obligari sub mortali ad reficiendum damnum, quod promissarius illi confisus passus est: Less. l. 2. c. 18. n. 59. Cæterum, cum pendeat a voluntate promittentis, an, & quomodo velit se obligare, & communiter non præsumatur, velle se obligare ex justitia, nisi addat juramentum, aut faciat instrumentum, aut det aliquod in pignus, vel assecurationem; ideo in dubio censebitur, se obligasse ex fidelitate tantum, aliave virtute præter justitiam; quia in dubiis minimum est sequendum, cum possessio sit pro libertate: Lug. d. 23. n. 93., aliique communiter. Addit Onn. a n. 100. multas conjecturas, unde colligi possit animus obligandi se ex justi-

tia,

Digitized by Google

tia, si scilicet promisit in circumstantiis, in quibus alii solent donare; si, quando promisit, erat dispositus donare, si habuisset ad manum, &c. Sive autem obligatio in promissione liberali sit ex justitia, sive ex fidelitate, aliave virtute, in jure civili non parit actionem, nisi fuerit vestita per scripturam, stipulationem, juramentum, aut alio simili modo juxta dicta d. 1. c. 2.; imo nisi etiam in ea exprimatur causa, ob quam fiat; alioquin præsumitur facta ex dolo, & errore, vel non serio: Trull., & alii. At in Jure Canonico parit semper actionem, ex cap. 1. *de Pactis*; quia Jus Canonicum respicit obligationem conscientiæ.

Quæres secundo, Quænam promissio non obliget?

Respondeo, Non obligare Primo, Si non sit plene deliberata, ea scilicet deliberatione, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter, juxta dicta d. 1. c. 1. Secundo, *Si* sit metu, aut fraude extorta, eam non tenetur promissor implere: D. Th. q. 89. a. 7., etiamsi metus fuerit levis, juxta Sylvestr., Less., & alios; quia ratione injuriæ sibi factæ potest promissor non solvere promissum, etsi acceptatum ab altero, modo non sit juramento firmatum, juxta dicta d. 1. c. 6. 7., & 8. Tertio, Si res promissa non sit bona, seu quæ sine peccato præstari non possit, juxta dicta d. 1. c. 4., hinc si promisisti equum Titio, & deinde cum juramento eundem promittas Cajo, hæc secunda promissio, & juramentum non obligant, quia materia ejus est facta illicita saltem sub veniali: Lug. d. 23. n. 106.; imo etiamsi deinde Titius cedat jure suo, non ideo convalescit secunda promissio, quia, quod initio invalidum est, tempore non convalescit: Lug., Sanch., & alii contra Cov. Similiter nulla est promissio, quæ dat occasionem peccandi, ut si Uxor promittat Matrimonium adultero, cap. *Si quis, de eo, qui duxit*: si quis promittat Beneficium Ecclesiasticum nondum vacans, cap. *Ex tenore de conces. Præben.* quia in his datur occasio machinandi, vel optandi mortem: Vel si quis promittat alteri remittere obligationem de dolo, de furto, de injuria, ex *l.* 27., *ff. de Pactis*; quia datur occasio perseverandi in malo: item si quis promittat non cedere, aut non revocare testamentum, non instituere alium hæredem, *l.* 6. cap. *de Pactis*, quia aufertur po-

poteſtas diſponendi de rebus ſuis: Mol., Leſs., & alii: contra vero ſi ſolutio rei promiſſæ non ſit peccaminoſa, valet promiſſio facta illicite, juxta dicta d. 1. c.4. ſic, quamvis promiſſio prodiga ſit illicita ob vitium prodigalitatis, executio tamen erit ſolutio juſtitiæ, vel fidelitatis: Croix n. 795. Quarto demum, Si res promiſſa ſit impoſſibilis, juxta dicta d.1.c.4., idemque eſt, ſi poſt promiſſionem etiam juratam ante traditionem ſtatus, & circumſtantiæ notabiliter mutentur: v. g. ſi poſt promiſſionem pecuniæ ante traditionem incidas in magnam paupertatem; vel ſi promiſiſti amico, & deinde graves inimicitiæ ſuperveniant; vel ſi promiſiſti comitari aliquem, & deinde ſine gravi tuo damno non poſſis: & ratio horum eſt, quia promiſſio cenſetur fieri ſub hac tacita conditione, niſi ſtatus, & circumſtantiæ ita notabiliter mutentur, ut prudentis viri judicio exceptæ fuiſſent, ſi promittenti occurriſſent: Mol., Leſs., Fil., Pal., Onn., & alii.

§. II.

De Acceptatione Promiſſarii.

PROMISSIO etiam externe manifeſtata, ante acceptationem promiſſarii, dicitur pollicitatio; & quamvis obliget ſaltem ſub veniali ex honeſtate conſtantiæ, ne ſcilicet videaris levis corde, juxta dicta §.1.; tamen non obligat ex juſtitia, aut fidelitate; quia utraque hæc virtus eſt ad alterum, & mens promittentis eſt non imponere ſibi obligationem reſpectu alterius, niſi hic alter acceptet: Vaſq., Turr., Lug. d. 23. ſ. 3. Onn. d. 29. ſ. 4. Idque verum eſt, etiamſi talem promiſſionem juramento homini facto firmaveris, quia tale juramentum etiam imbibit conditionem, ſi alter acceptaverit: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 27. n. 24. Lug., Leſ., Onn., & alii. Hinc, ſi promiſſio non inſinuetur ei, cui facta eſt, aut ſi prius revocetur, aut non acceptetur, aut ſi acceptata legitime recuſetur, ceſſat obligatio talis juramenti, neque qui ſic juravit, magis tenetur implere promiſſionem, quam ſi non juraſſet; neque ideo juramentum fuit fruſtraneum; nam erat ad inducendam obligationem abſolutam, ſi contingeret, promiſſionem legitime acceptari: Croix *de Juram.* n. 331.

Exci-

Digitized by Google

Excipiunt tamen Molin., Onn., & alii: Primo, Promissionem factam Reipublicæ, vel Communitati ad reparandum aliquod damnum, vel ob gratitudinem, ex *l.* 7. *de Pollicitat.* Secundo, Factam infanti, ex l. 5 cap. *de Emancipationib.* Tertio, Factam ob piam causam, ex l. *Illud* cap. *de Sacr. Eccleſiaſtic.* Bartol., Fel., Ab., Leſs., Sanch., & alii. Verum Onn. ait, quod tunc lex acceptet pro Communitate, Reſp. pro infante, Deus pro causa pia. Leſs. ait, prohiberi tantum revocationem promiſſionis, itaut ſemper acceptari poſſit, at non eſſe obligationem implendi, aut etiam manifeſtandi, antequam petatur: Lug. tamen d. 23. ſ. 3. a n. 24. docet, omnes ejuſmodi promiſſiones non ſolum non obligare ante acceptationem, ſed etiam poſſe revocari, quia leges adductæ loquuntur de promiſſionib. acceptatis, ſed ſine ſtipulatione, & per modum pacti nudi factis: hinc etiam Pal. t. 32. d. 2. p. 2. n. 5. ait, in promiſſione ad piam causam requiri alicujus hominis acceptationem, cum facta ſit homini, ut ſupponimus, non Deo.

Neque dictis obſtat cap. *Si tibi, de Præb. in 6.*, ubi dicitur, Collationem Beneficii non poſſe revocari ab Epiſcopo; quamvis ille, cui collatum ſit, nondum acceptaverit: nam Dominus Beneficii non eſt Epiſcopus, ſed Papa, qui principaliter confert per Epiſcopum: Papa autem noluit mutare ſuam voluntatem, niſi ille, cui collatum ſit, renunciet. At promittens in caſu noſtro eſt, & manet Dominus rei ſuæ, & ideo, ſi velit, poteſt promiſſionem nondum acceptatam revocare: Croix n. 767. Neque obſtat ſecundo, quod poſſim Petro inſcio condonare debitum, uti Deus mihi inſcio poteſt condonare peccatum; nam, ut remittatur irrevocabiliter, requiritur acceptatio Petri, quia ſic Petrus acquirit jus contra me ad hoc, ut ſit liber a debito; ante vero ejus acceptationem remiſſio eſt revocabilis, quia ſub ea conditione remitto, niſi aliter voluero, antequam Petrus acceptet: Lug. n. 54.; ideoque n. 40. ait, acceptationem promiſſarii eſſe causam partialem obligationis promittentis, cum ſit pars juris, quo unus ligat, alter ligatur.

Quæres primo, Quid reipſa ſit acceptatio promiſſionis? Reſpondeo, Eſſe actum, quo promiſſarius admittit obli-

Digitized by Google

obligationem promittentis. Ait tamen Lug. d. 23. n. 64., hunc actum ſufficere, etſi ſit mere internus; quia poteſt abſens, dum ſolus eſt, acceptare promiſſionem, uti etiam rem donatam ad ſe miſſam; fruſtra ergo videtur requiri, ut externe ſignificet, ſe acceptare: ſed Haunol. t. 9. n. 25., Platel., Dicaſtil., Croix n. 780., & alii dicunt, requiri actum etiam externum, quia aliter non cenſentur illæ duæ voluntates humano modo in talem contractum convenire, juxta dicta d. 1. c. 1.; ideoque addunt, requiri, ut promiſſarius abſens acceptet promiſſionem coram Nuntio, vel per epiſtolam directam ad promittentem, licet non ſit opus, hanc iterum manifeſtari promittenti. Cæterum ſufficit acceptatio etiam tacita, quia, quando agitur de commodo, *Qui tacet, conſentire videtur, ex Reg. Jur. 43. in 6.* Mol., Sanch., & alii contra Tiraquel., Rodr., Turr., & alios: limitat Lug. n. 82., niſi res promiſſa non eſſet adeo grata promiſſario, itaut ex circumſtantiis poſſet colligi, quod eam non curaret, quia ſic *Qui tacet, non fatetur, ex Reg. 44. in 6.*

Quæres ſecundo, Quando ponenda ſit acceptatio?

Reſpondeo, Ponendam eſſe poſt notitiam promiſſionis factæ; quia, quamdiu tibi non manifeſtatur promiſſio, eſt reſpectu tui veluti non facta; quare non ſufficit voluntas, qua nunc velles acquirere quicquid unquam tibi offeratur: Lug. d. 23. n. 67. Hinc, ſi promiſſio fiat præſenti, acceptari debet in continenti, vel quaſi in continenti moraliter loquendo, ex *l. 137., ff. de V. O.*, quia promiſſor non cenſetur velle diu ſuſpendere ſuum conſenſum, niſi aliud conſtet ex circumſtantiis: Platel., Croix n. 783. Si vero promiſſio fiat abſenti, promiſſor ordinarie non vult ſe ei obligare, niſi id ei per epiſtolam, vel nuntium manifeſtet; ideoque, ſi promiſſarius aliunde id ſciens acceptet, invalide acceptat: Dicaſt. n. 159., & alii communiter; et, ſi putares promiſſarium abeſſe, & diceres, te ei promittere, quamvis præſens audiret, & acceptaret, non obligareris: Lug. d. 23. n. 7. Dixi *ordinarie*; nam ſi promiſſor publice manifeſtaret promiſſionem eo animo, ut notitia hoc modo ad promiſſarium perveniret, tunc ſatis eſſet per quemcumque deferri: Croix n. 785. At ſi promiſſio facta per nuntium abſenti, interim revocetur, & nun-

Digitized by Google

tius revocationis ignarus promissionem deferat, & acceptetur, tunc, si talis nuntius sit mandatarius, seu commissarius, qui simul esset veluti procurator, acceptatio valet, & promittens obligatur (excepto Matrimonio) quia mandans tenetur ratum habere id, quod mandatarius bona fide facit ex commissione illius, *l.* 15., *ff. Mandati*. Secus vero, si noluisses, talem nuntium esse commissarium tuum, sed tantum, ut manifestaret promissionem; quia tunc nuntius deferret voluntatem tuam, quæ amplius non existit: Sanch., Less., Croix n. 786.

Si promissor moriatur, & Nuntius mortis ignarus deferat promissionem, & acceptetur; tunc, si nuntius missus sit, ut indicet promissionem factam, hæredes promittentis obligantur; quia promissio jam facta per mortem non est revocata: ergo censetur adhuc moraliter durare in Nuntio, vel literis, & est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis: Suar., Sanch., Less., & alii contra Cov., Lop., Laym., & alios. Secus vero, si Nuntius sit missus, non ut indicet promissionem factam, sed ut nomine principalis promittat; quia mandatum gratiæ faciendæ expirat morte mandantis, ex l. 15. *ff. Mandati*; nisi vero factum esset ad causam piam, in qua prudenter præsumitur, quod mandans voluerit, suam voluntatem manere etiam post mortem, cum maxime sit profutura animæ: Lug. n. 75., & alii; vel nisi nuntius esset verus Procurator, quia acta per procuratorem, antequam constet de revocatione potestatis, valida sunt, excepto Matrimonio, ex *l.* 12., *ff. de Solutionib.*

Quæres tertio, An possit alius acceptare loco promissarii?

Respondeo, quod si promissarius moriatur, antequam acceptet, Cov., Mol., Sanch., & alii dicunt, ejus hæredes posse acceptare, quia repræsentant personam defuncti, cui gratia facta est; sed probabilius negant Less., Pal., & alii, quia intentio promittentis ferebatur ad personam promissarii in se, quæ non est amplius. Si autem promissarius deputat saltem specialiter (imo secundum Less. contra Dicastil. etiam generaliter) alium ad acceptandum, qui eo vivente acceptet, sufficit: Doctores communiter; modo promissio fiat immediate deputato: v. g.

pro-

Digitized by Google

promitto tibi, me daturum principali 100.; nam, si dicat *promitto principali* 100., & deputatus præsens acceptet, *non* valet, quia sermo non dirigitur ad ipsum: v. Sanch. l. 1. *Matr.* d. 7. Item sufficit acceptari ab aliquo, qui est sub potestate promissarii, & non est sui juris, puta a servo pro domino, a filiofamilias pro patre, a Religioso pro Prælato, seu Monasterio; quia cum his censentur esse una persona, ex instit. *De inutil. stipul.*, §. 4. Item sufficit acceptari a gerente curam promissarii, puta a Parocho pro Ecclesia; a patre (imo etiam a matre, juxta Sanch.) pro filio, aut filia; a tutore, vel curatore pro pupillo, aut minore: uti etiam hi sine auctoritate Tutoris, aut Curatoris, cum id fiat in eorum commodum, ex *l. 9., ff. de Auct. Tut.*, a Principe, Repul lica, aut alio ab his constituto pro quocumque subdito, item a quocumque, qui ex acceptatione refert commodum, puta ab eo, qui acceptando agit negotium alterius, & suum: v. g. a creditore, a socio, ab uxore promissarii, vel a compromissario sub conditione, quod promissarius det ei partem: Onn. d. 4. a n. 204. ex *plurib. legib.* Item quivis etiam privatus valide acceptat promissionem factam ad causam piam: Sanch., Less., & alii communiter: uti etiam factam in favorem dotis, ex *l.* 45., *ff. de Solut. Matr.* non potest tamen valide acceptare famulus pro domino, discipulus pro magistro, filius emancipatus pro patre; quia nec censentur ad hoc esse deputati, nec sunt una cum eo persona, nec faciunt simul *in* suum commodum, ut supponitur: Sanch., Croix n. 789.

Cæterum, qui pro alio legitime acceptavit promissionem, non potest eam acceptationem revocare, ex *Reg.* 53. *in 6.* Ea tamen acceptatio imbibit hanc conditionem, *si promissarius approbet;* unde, quamdiu is non approbet, promittens non tenetur dare, etsi non possit revocare, ex *l.* 10., *ff. de Donat.* Denique, si promittas Titio fundum sub hac conditione, *Ut post ejus mortem spectet ad Cajum*, & Titius acceptavit, aliqui putant censeri etiam acceptatam a Cajo, itaut etiam respectu Caii sit irrevocabilis; sed Sanch., Lug., & alii probabilius negant, quia Titius non potuit acceptare pro Cajo, cum sint duæ promissiones diversæ.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quid de Donatione?

DONATIO est *Datio liberalis*, quæ vel fit realiter, cum scilicet res donata simul traditur, & sic est complete donatio transferens perfecte dominium; vel fit verbaliter, cum scilicet dico, *Dono tibi meum equum absentem*, & sic obligat quidem ex justitia hoc ipso, quod acceptetur; sed non transfert perfecte dominium, donec fiat traditio rei. Cæterum omnis donatio, vel est mere liberalis, seu mere gratuita, cum scilicet fit a donante absque ullis meritis donatarii, vel est remuneratoria, cum scilicet fit ob merita donatarii, quæ, cum non obligent ex justitia, sed tantum ex gratitudine, adhuc sinunt, donationem esse liberalem, & gratuitam, licet non pure: gratitudo autem postulat, ut retribuatur merenti plus a Principe, quam a Privato, vel Religioso &c.; si quid ergo ab his excedatur, donatio quoad excessum erit mere gratuita. Videndum nunc de donatione inter vivos, & mortis causa.

§. I.

De Donatione inter Vivos.

EST, qua *Quis vult se vivo rem suam esse alterius*: talis est, si absolute dones, nihil aliud addendo; quia donare sine addito est velle nunc transferre dominium: quod verum est etiam, si sic absolute dones in periculo mortis; si enim nihil aliud addas, neque eam apponas testamento, aut codicillo, censeris donationem facere inter vivos. Imo si nunc absolute dones, sed transferendo tantum executionem post mortem, etiam donationem facis inter vivos, quia solum ejus effectum, seu complementum differs post mortem: Tamb. hic c. 2., & alii. Porro donatio inter vivos habet hoc proprium, ut sit irrevocabilis, exceptis tantum tribus casibus, scilicet ob ingratitudinem donatarii, ob prolem postea susceptam, & ob inofficiosam donationem, de quibus infra.

Quæres primo, Quis possit donare inter vivos?

Respondeo, Eos posse, qui habent sub suo dominio, & libe-

Digitized by Google

libera administratione rem donandam, juxta dicta d. 1. c. 4., & 5. Hinc Reges de suis propriis bonis donare libere possunt; de bonis vero Coronæ concessis ad administrationem, & defensionem Regni solum possunt facere donationes remuneratorias, aut moderatas; si autem sint profusæ in damnum successorum, revocari ab his possunt. Etsi vero gravati sint ære alieno, adhuc possunt moderatas donationes, & remunerationes facere, quæ decent suum statum, quia eorum dignitas sine exercitio liberalitatis sustineri non potest: Lug. d. 21. n. 148. Idem cum proportione possunt Magistratus de bonis Reipublicæ: pater de bonis familiæ, si nimirum alias nimis vilis haberetur Reipublicæ, vel familiæ status. Imo, quamvis Juristæ cum Gutt., Sanch., & aliis communiter dicant, patrem non posse consumere ultra quintam partem bonorum in præjudicium legitimæ filiorum; tamen Nav., Lug., Rodr., Veg., Cordub., Carden., & alii putant, posse consumere in eleemosynas, & opera pia quidquid est supra alimenta jure naturæ debita filiis, quia ad legitimam non spectant, nisi necessaria ad alimenta, & relicta post prudentem dispositionem factam. Tutores vero, & Curatores, cum non sint domini, solum possunt de bonis pupillorum, & minorum facere eleemosynas, & remunerationes in bonum ipsorum juxta eorundem statum. Prælati Ecclesiastici, Beneficiarii, &c. solum possunt ex fructibus beneficii donare id, quod decet eorum statum; si tamen superflua suo statui expendant in usus, aut donationes profanas, illicite quidem, sed valide expendunt, cum satis probabile sit, eorum fructuum esse dominos: Lug. d. 4., Sanch., Pal., Dian., & alii: si autem sint subditi spolio, & intra 20. dies ante mortem aliquid donent, invalide in foro externo, in quo præsumitur factum in fraudem spolii; valide tamen in foro conscientiæ donant, si revera non sit fraus: Bon., Dian., Tamb. c. 3.

Religiosi utriusque sexus (exceptis militaribus) etsi Superiores, Abbates, Generales, &c. illicite, & invalide largiuntur munera (præter leviora esculenta, & poculenta, vel ad devotionem pertinentia munuscula) cuicumque, sive intra, sive extra Religionem, etiam Cardinali, Regi, &c., etiam occasione susceptι habitus,

professionis, tonsuræ, &c., vel expendunt pecunias pro excipiendis honorifice, lauteque Benefactoribus, Procuratoribus, Ordinariis, aut pro commessationibus, compotationibusque quibusvis personis, aut pro exhibendis spectaculis etiam piis, aut pro quibuscumque rebus supervacaneis ad pompam, oblectationem, aut privatum commodum pertinentibus, nisi reipsa pro divino cultu, & veris pauperum indigentiis, sub pœna privationis dignitatis, officii, vocisque activæ, & passivæ, inhabilitatis, furti, & simoniæ ipso facto incurrenda; & res sic elargita nullatenus retineri potest a recipientibus. Ita ex Constit. 28. Clem. VIII. *Religiosæ, de Larg. muner.* ann. 1594. confirmata ab Urb. VIII.

Quoniam vero causa finalis hujus prohibitionis fuit impedire dissipationem bonorum, & ambitionem donantium; ideo, si largiendo neutrum habeatur, non fit contra Bullas. Hinc non prohibetur donatio mere liberalis duorum aureorum, quia hi in jure censentur modicum ad tales pœnas incurrendas; at persuasio, quod Rectores Societatis Jesu possint sic donare summam 10. Imperialium, videtur falsa: Croix n. 808. Nec prohibentur donationes moderatæ, & convivia ex justa causa, scilicet ob utilitatem ordinis, aut ne incurratur aliqua offensa, vel aversio, aut si ita deceat, vel conveniat: Less. in *Auctar. v. Religiosus, cap.* 5. Nec prohibentur donationes titulo gratitudinis, aut remunerationis, cum hæ non sint proprie donationes: Lug. d. 23. n. 141.; idemque est, si fiant ad conciliandos Monasterio, vel Ordini animos, ad pertrahendum aliquem ad fidem, ad avertendum a flagitiis, ad redimendam vexationem, ad eleemosynam utcumque magnam: addit Less. cit., si quis edat librum, posse aliqua exemplaria donare amicis, ne habeatur rusticus, sordidus, aut superbus. Cæterum, quantum sine peccato liceat huic, vel illi superiori, ac subdito, pendet a Consuetudine approbata, & modo, quo in quovis ordine receptæ sunt Bullæ citatæ.

Denique Novitius ante novitiatum valide renunciat, aut donat inter vivos, etsi ex intentione ingrediendi Religionem, quæ intentio in dubio præsumitur, si non multo post ingrediatur: at, si postea exeat, nulla est talis donatio,

Digitized by Google

natio,aut renunciatio,quia imbibit conditionem,*Si vixero in Religione*, quod Sanch. extendit ad caſum, quo exeat poſt profeſſionem probatam nullam: ſi vero additum ſit pactum non revocandi, probabilius ſunt irrevocabiles: Croix n. 1127. contra Barb. afferentem pro ſe deciſionem Rotæ. At renunciationes, aut donationes inter vivos factæ a Novitio, aut Novitia poſt ingreſſum ante 10. menſes novitiatus, vel poſt 10. menſes ſine licentia Epiſcopi (niſi ſint modicæ, vel remuneratoriæ, vel factæ a novitio Societatis Jeſu) ſunt omnino irritæ, etiamſi fuerint juratæ; ſi autem fiant poſt 10. menſes cum dicta licentia, valent, ſed non ſortiuntur effectum, niſi ſecuta profeſſione: Croix, & alii ex Trid. *ſeſſ.*25. c.16.; quare poſſunt uſque ad profeſſionem revocari: Sanch. l. 7. *Decal.* c. 5. contra Pal. item per mortem novitii ante profeſſionem: Croix contra Suar.; item per nullitatem profeſſionis rite probatam, modo non fuerit ratificata: Lug. l. 3. *Reſp. Mor.* d. 16. n. 5. ex eod. Trid. Novitius tempore novitiatus invalide donat Monaſterio aliquid magni momenti, ideoque reſtituendum cum ſuis fructibus, ut not. Sanch. addens probabilius, nec poſſe dare Monaſterio mutuum, quamvis poſſint ejus parentes ex ſuis bonis cum jure repetendi, ſi filius non profiteatur.

Quæres ſecundo, Cui donari poſſit inter vivos?

Reſpondeo, Patrem valide donare filio illegitimo, vel emancipato; at filio legitimo non emancipato, quamvis valide donet aliquid in remunerationem, vel in dotem, aut ad matrimonium, vel ad militiam, aut ad ſtudia proſequenda, vel uſumfructum, quem habet in bonis ipſius filii; attamen jure poſitivo invalide facit ei donationem mere liberalem; quia res ſic donata, cum ſit profectitia, non deſinit eſſe patris; unde poteſt ab eo revocari: ſi autem non revocaverit, & res ſit tradita, morte ipſius firmatur; uti etiam in vita firmari poteſt juramento: Bartol., & alii apud Dian. p. 8. t. 6. Mater autem omnino valide donare poteſt filio; niſi donet intuitu patris, cum ſic evadat bonum profectitium: Laym., & alii. Filius etiam valide donat patri, vel matri ex bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus, vel ex manuum artificio. Donatio autem mere liberalis inter Conjuges, aut Sponſos delato effectu

Digitized by Google

ad tempus Matrimonii invalida est jure civili, ne scilicet concordia maritalis pretio conciliari videatur; ideoque ad donantis arbitrium potest revocari; nisi ex revocatione sequerentur graves discordiæ; vel nisi talis donatio firmata fuerit juramento donantis, aut ejus morte etiam civili, puta exilio, servitute ad pœnas, professione Religiosa ante consummatum matrimonium, modo res fuerit tradita: Dian. r. 24., & alii. Valet tamen inter ipsos donatio reciproca in æquivalenti; vel remuneratoria, qualis censetur, si maritus senex donet uxori juveni, aut ignobilis nobili; vel ob causam, præsertim ob causam piam, puta ad accendendam lampadem perpetuam Sancto, ad sepulturam, &c. Haunol. t. 9. a n. 175.

Quæres tertio, An donatio inter vivos revocari possit ob ingratitudinem donatarii?

Respondeo, Revocari posse in quinque tantum delictis ingratitudinis: Primo, Si injurias atroces in donantem effuderit: Secundo, Si manus impias ei intulerit: Tertio, Si notabile damnum ejus bonis attulerit: Quarto, Si periculum vitæ ei creaverit: Quinto, Si gravamina donationi apposita non impleverit; ex *l. fin.*, cap. *de Rescin. donat.*; cum autem hæc lex sit positiva, & pœnalis, non debet extendi ad alia delicta etiam graviora: Mol., Lug. d. 20. n. 174.; ideoque Haunol. contra Busemb. ait, non posse revocari, si donatarius negaverit alimenta donatori in inopiam lapso. Imo neque in dictis quinque delictis revocari potest donatio facta Ecclesiæ, utpote facta principaliter in bonum animæ Deo, etsi Ecclesiæ Prælatus sit ingratus: Laym., Lug., & alii; neque demum, si donatio fuerit remuneratoria, ob merita scilicet præcedentia donatarii, vel suorum: Clarus, Less., & alii.

Ut autem reliquæ donationes revocentur, debet ingratitudo probari coram Judice, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere; post eam vero, etiam fructus perceptos a lite contestata; &, si res sit consumpta, id, in quo factus est ditior: DD. communiter contra Dicastil. dicentem, posse donantem occulte compensare, quod Tamb. putat non esse improbabile, & cum Less. addit, posse retinere rem donatam, si nondum sit tradita donatario. Si autem Donans juraſſet, se non revocaturum, Ju-

ra-

Digitized by Google

ramentum ſequitur naturam donationis, quæ ex diſpoſitione Juris involvebat conditionem, *ſi non fuerit ingratus*; at ſi expreſſe juraſſet, ſe neque ob ingratitudinem revocaturum, debet prius petere relaxationem Juramenti, quam Mol., Laym., & alii putant etiam a Judice ſeculari poſſe fieri in pœnam ingrati.

Cæterum, ſi Donatarius ingratus obierit, ejus hæredes non tenentur reſtituere, quia jus revocandi oritur ex ejus crimine, velut in pœnam ejus perſonalem: Pal., & alii contra Molin.; Si tamen res nondum eſſet tradita, poſſet excipi contra ejus hæredes: Pal. & alii. Contra vero, ſi Donator revocare non potuit morte præventus, aut aliter impeditus, poſſunt ejus hæredes revocare; Secus vero, ſi potens, dum vixit, non incepit revocare: Lug., Dian., & alii. Poſſunt tamen revocare legatum, ſi Legatarius defunctum Legatorem gravi injuria afficiat, v.g. Uxorem ejus carnaliter cognoſcat: Mol., Dian. r. 58.

Quæres quarto, An donatio inter vivos revocari poſſit ob prolem poſtea ſuſceptam?

Reſpondeo, Quod, ſi quis carens prole donaverit aliquam bonorum partem notabilem, & poſtea naſcatur proles, poteſt revocare, modo non fuerit remuneratoria: DD. communiter ex *l. ſi unquam, c. de Rev. Donat.* Et quidem revocari poteſt etiam, ſi juraverit, ſe non revocaturum, quia Juramentum includit tacitam conditionem, *ſi non naſcatur proles*. Si autem expreſſe hanc conditionem excluſerit, tunc, niſi relaxetur Juramentum, non poterit ipſe, ſed poterit proles poſt ejus mortem revocare: Bon., Leſ. c. 18. n. 14. Notat tamen Tamb., quando quis juravit, ſe non revocaturum, tunc donationem quoad legitimam tantum eſſe revocandam, quia quoad reliqua poteſt Pater ad libitum diſponere; addit inſuper, nata prole donantis Donatarium teneri in conſcientia reſtituere res donatas, ſi ab eo extrajudicialiter petantur; quia hæc non eſt pœna, ſed eſt diſpoſitio Juris irritans omnino donationem: ſi autem bona fide acceperit, & conſumpſerit, tenetur tantum ad id, in quo factus eſt ditior: Lug. d. 24. n. 218. Cæterum, ſi donatio non jurata facta ſit extraneo, revocari poteſt tota: Si alicui aſcendentium, ut Patri, vel Avo, vel ſi Eccleſiæ, aut cauſis piis, tantum revocari poteſt, quantum neceſſa-

Digitized by Google

ceſſarium eſt ad legitimam; quamquam recte notat Leſs. ad ædificationem expedire, ut quod Eccleſiæ, aut Monaſterio datum eſt, totum Prælatus reſtituat. Si autem proles nata non ſit legitima, non datur revocatio, niſi legitimetur per ſubſequens matrimonium; vel, ut addit Hurt. contra Dicaſtil., niſi legitimetur per Privilegium Principis. Denique, ſi proles moriatur, Dicaſtil. & alii negant, donationem reviviſcere, quia non poteſt denuo eſſe ſine novo conſenſu Donatoris; ſed affirmant Lug., & alii, quia ſemper præſumitur intentio Donatoris, ſi filiis, aut nepotibus non præjudicet.

Quæres quinto, An revocari poſſit donatio inofficioſa? Reſpondeo, Dici inofficioſam eam donationem, quæ a Patre habente jam filios fit, demendo in notabili quantitate de legitima debita filiis, quia eſt contra officium pietatis Paternæ; ideoque reſcindi omnino debet, etiamſi ſit Juramento firmata, quia hoc non poteſt obligare in præjudicium filiorum: Doctores communiter, ex *l. Si filius* 1., *c. de inoff. don.* Addunt tamen Leſſ., Tamb., & alii, quod filius non poteſt per Judicem petere hanc reſciſſionem, niſi mortuo Patre, quia tunc ei debetur legitima: ſed probabiliter contradicit Dian., quia licet antea non debeatur filio legitima, ut tradenda, debetur tamen, ut conſervanda; ideoque, ſi Pater bona diſſipat, poteſt a filio per Judicem cogi, ut ſervet legitimam. Cæterum vivente Patre non tenetur talis Donatarius reſtituere, niſi poſt ſententiam Judicis, quia fuit valida donatio. At mortuo Patre tenetur in conſcientia ante Judicis ſententiam reſtituere quidquid requiritur ad legitimam (quod ſi bona fide accepit, & totum conſumpſit, tenetur ad id, in quo factus eſt ditior) quia talis donatio imbibit hanc conditionem, *Si Filiis poſt meam mortem non defuerit legitima, ſeu ſaltem ſua alimenta.* Quoad reliquum vero non tenetur, ſi donatio facta fuerit abſque animo fraudandi legitimam; & probabiliter etiam cum tali animo, ut addunt Mol., Lug. d. 23. n. 202. contra alios: idem dic, ſi Pater uni ex Filiis exceſſive cum præjudicio legitimæ aliorum Filiorum donaverit, etiamſi dotis cauſa: Tamb. n. 12. Quod ſi talis Filius ſive bona, ſive mala fide acceperit, & conſumpſerit, nec in ullo factus ſit ditior, debet id computare in ſuam legitimam: ſecus ve-

Digitized by Google

vero, si bona fide consumpserit aliquid Patris non datum a Patre, quia sic ob bonam fidem nihil debet compensare fratribus: Tamb. ibid. Idem dic, si Filius carens descendentibus ita excessive donet extraneo, ut non remaneat pro Patre, vel Avo sua legitima, quæ certe ipsis debetur mortuo tali Filio; militat enim eadem ratio: Doctores communiter ex *l.* 1.

Quæres sexto, Quantum quis donare possit inter vivos?

Respondeo primo, Donationem omnium bonorum inter vivos esse jure positivo irritam, ex *l. ex eo, c. de Inutil. Stipul.* quia sic Donator non posset testari, quod est contra bonos mores Politicos. Hinc, si repetat etiam extrajudicialiter, debet restitui; secus vero, si non repetat, cum sic censeatur cedere jure suo: Tamb. cap. 4., ubi addit contra Lug. posse repetere, etiamsi juraverit, se non repetiturum, quia donatio erat contra bonos mores politicos. Cæterum, si quis donet omnia bona præsentia, nihil addendo de futuris, valide donat, quia testari poterit de futuris certo acquirendis. Idem est, si in donatione omnium sibi aliquam partem non valde modicam reservet, quam posset vendere, & de pretio testari. Item donatio omnium facta causæ piæ, vel ob professionem religiosam, valet, quia est juxta consilium Christi, *Vade, & vende universa, quæ habes, & sequere me*. Item valet donatio omnium onerosa, quia per eam aliquid accipit donator, de quo testari poterit: qua ratione valida est donatio omnium reciproca inter fratres: Jul. Clar., Bon., & alii.

Respondeo secundo, Donationem (vel remissionem debitorum liquidorum) una vice, sive uni, sive pluribus factam ultra summam 500. solidorum (hoc est 700., vel secundum alios 800. aureorum italicorum) non valere quoad hunc excessum, qui proinde potest a donante pro arbitrio repeti; nisi facta sit cum insinuatione, hoc est comparitione donantis, vel donatarii coram judice, qui mandet Notario, ut eam referat in actis: ex l. *Si quis*, cap. *de Donat.*

Excipe primo, Si talis donatio fuit remuneratoria, quia sic non est pura donatio, ad quam restringi debet prohibitio, utpote odiosa: Secundo, Si facta sit ob causam, puta ad reparationem ædium incendio, aut ruina destructarum:

Ter-

Digitized by Google

Tertio, Si fiat Principi ſummo, vel a Duce militibus ex rebus mobilibus: Quarto, Si fiat ad cauſas pias, puta ad redemptionem captivorum; quia lex civilis non poteſt comprehendere detrimentum operum bonorum: Quarto, Si ſit jurata, quia hoc juramentum ſine peccato etiam veniali ſervari poteſt: Leſs., Laym., Mol., Buſ., & alii.

§. II.

De Donatione cauſa mortis.

EST, *Qua quis ſive ægrotus, ſive ſanus donat cum addito mortis:* v. g. dicat, dono poſt meam mortem, ſi moriar ex hac infirmitate, navigatione, bello &c. Item, ſi donatio abſolute facta in vita, ſed nondum acceptata a donatario, apponatur poſtea in teſtamento, aut codicillo, evadit donatio cauſa mortis, quia ſic inducit rationem legati; imo ſi facta ſit coram quinque teſtibus (quæ eſt ſolemnitas requiſita codicillo) ſignum eſt eſſe cauſa mortis, ſecus vero, ſi coram duobus tantum teſtibus. In dubio autem, an aliqua donatio ſit inter vivos, an cauſa mortis, Pal., Onn., & alii cum Gloſ. dicendam volunt inter vivos, quia hæc præcipuum locum obtinet; ſed Tamb. tr. 5. *Matr.* c. 2. n. 15. Diana, & alii apud ipſum probabilius putant, dicendam cauſa mortis, quia donatio liberalis, quanto minus poteſt, nocere debet donanti, uti eſt cauſa mortis, utpote revocabilis.

Itaque donatio cauſa mortis, etiamſi acceptata, poteſt pro arbitrio donantis ſemper revocari; cum in hoc ſequatur naturam teſtamenti, & ultimæ voluntatis; ideoque etiam requirit quinque teſtes, & non indiget inſinuatione, & fieri poteſt inter abſentes, & confirmatur morte donantis, & non antea; & ſolum differt ab ultimis voluntatibus, quod acceptari debet, & non requirit acceſſionem hæreditatis, ſed morte donantis ſequuta affert plenum dominium donatario. Revocatur autem a donatore etiam implicite, ut ſi rem illam donet alteri: Leſs. l. 2. c. 18. d. 14.; item, ſi donavit intuitu periculi mortis imminentis, hoc ipſo, quod evaſit periculum, cenſetur tacite revocata: Bon., Buſemb., & alii; item, ſi donatarius moriatur ante donatorem, ipſo jure revocata eſt; uti etiam accidit

in

Digitized by Google

in teſtamentis, & legatis: Leſs.,Mol., Azor.,Bon., & alii.

Si autem donationi mortis cauſa adjectum ſit pactum, vel juramentum non revocandi, Mol., Onn., & alii communiter docent, revocari amplius non poſſe, quia tunc evadit donatio inter vivos; quamvis Gloſ., Bald.,Dec., & alii putent oppoſitum, eo quod clauſula illa cenſetur fruſtra adjecta; cum enim contractus ille ſit natura ſua revocabilis, etiam revocabilis eſt clauſula, cum acceſſorium ſequatur principale. Si vero juraſſet non contravenire donationi,Molina etiam putat,evadere donationem inter vivos, quia promiſſio non contraveniendi videtur eſſe promiſſio non revocandi: ſed contradicunt Pal., & alii, quia contravenire non eſt revocare, ſed agere contra donationem perſeverantem.

Quæres, Quis, quantum, & cui donare poſſit cauſa mortis?

Reſpondeo, Omnes poſſe donare mortis cauſa, qui poſſunt teſtari. Hinc donare poſſunt etiam minorennes,etiam ſine curatoris conſenſu: Mol., Dian. p. 8. t. 6. r. 71., & alii. Imo etiam filiifamilias, etſi teſtamentum condere non poſſint,poſſunt donare mortis cauſa ex conſenſu Patris; & ſine hoc conſenſu donare poſſe etiam de adventitiis, probabile eſt apud Dian. r. 68.,& 69. Item poteſt Novitius etiam intra bimeſtre ante profeſſionem ſine conſenſu Epiſcopi, quia Trid. *ſeſs.* 25. c. 16., tantum requirit hunc conſenſum ad donationem inter vivos: Dian. r. 46. Non autem poteſt uſurarius, niſi prius ſatisfecerit uſuris, vel cautionem præſtiterit, vel niſi ad cauſas pias: Dian. r. 71. Nec ſurdus ſimul, & mutus a natura; ſecus, ſi a caſu ſuperveniente, ex *l. Qui id, quod, ff. de Donat.* Azor., Dian. p. 5. t. 6. r. 12.

Donari cauſa mortis poteſt cuicumque, etiam conjugi, filio, patri, &c. Item donari poſſunt omnia bona, etiam ultra 500. ſolidos abſque inſinuatione: Doctores communiter.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De ultimis Voluntatibus.

ULTIMÆ voluntates sunt Testamentum, Codicillus, Substitutio, Fideicommissum, & Legatum, quæ omnia affinia sunt donationi causa mortis: habent tamen hoc speciale, quod requirant aliquas solemnitates, & valeant post mortem Testatoris, etiamsi nondum sint acceptata, nisi positive renuncientur.

CAPUT I.

Quæ sint ultimæ Voluntates, & quæ earum solemnitas?

1. TESTAMENTUM est *Voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post suam mortem, cum directa institutione hæredis*: per quas postremas particulas testamentum differt a reliquis ultimis voluntatibus, & esse potest duplex, clausum, & apertum, quod dicitur etiam nuncupativum.

Clausum ad sui valorem jure civili requirit septem testes idoneos, masculos, puberes, liberos, non defectuosos, nec cognatos Testatoris, hique sint vocati, & rogati, & coram illis Testator offerat profitendo, id esse suum testamentum; tum, si possit, manu sua subscribat, si non possit adhibendus est octavus testis, & deinde omnes, & singuli testes eodem tempore subscribant, si possint, per seipsos, & proprio, vel alieno, vel communi sigillo omnes consignent.

Nuncupativum ad sui valorem jure civili requirit septem prædictos testes, qui convocati audiant, & intelligant Testatoris voluntatem coram eis scripto, vel voce articulata prolatam. Scriptum autem Notarii non ad substantiam actus, sed ad meliorem probationem, & securitatem requiritur. Cæterum valet utrumque Testamentum etiam jure civili, si factum sit a rusticano coram quinque testibus, si plures haberi nequeant, nec opus erit subscriptione, si literatus non sit: Laym., Bon., & alii. Item milites in castris, vel in propinquo ex causa legitima versantes valide testantur coram duobus testibus etiam non

alias

Digitized by Google

alias idoneis, nec rogatis, modo non ſint impuberes, cæci, vel ſervi, nec opus eſt eorum ſubſcriptione, vel ſignorum appoſitione, vel ut ſint in conſpectu Teſtatoris, valetque teſtamentum etiam poſt miſſionem honeſtam, ſed non ultra annum: Dian. p.7. t.6. r.42., & alii contra Bald. Item tempore peſtis ſufficit, ſi ſeptem dicti teſtes ſinguli ſeparatim adhibeantur; & in Camera Imperiali valet, ſi peſte valde graſſante conditum ſit coram duobus, vel tribus teſtibus, inter quos Confeſſarius eſſe poteſt; imo abſolute loquendo tempore peſtis ſufficere feminam, & notarium ipſum, modo non ſit conſanguineus, & affinis defuncti, docent Dian., Laym., & alii ex Menoch., nec opus eſſe, ut ſint rogati, vel audiant vocem Teſtatoris, modo eum videant: Dian. p.7. t.6. r.37., & 38. Denique, ſi Parochus ſcribat coram unico teſte, habere vim teſtamenti nuncupatorii, docent Mol., & alii cum Dian. r. 34., & 41.

Si deſint dictæ ſolemnitates requiſitæ ad valorem teſtamenti in foro civili, adhuc valet in foro conſcientiæ teſtamentum factum ad pias cauſas, itaut obliget quæcumque ſcriptura, nutus, aut aliud ſignum Teſtatoris abſque ullo teſte juxta dicta d. 1. c. 1.; item valere debet etiam in foro externo, ſi adſint duo teſtes, inter quos etiam femina eſſe poteſt; imo etiam Confeſſarius, vel Parochus, licet legata ſint pro ſua Eccleſia: Lug. d.22. ſ.9., ubi etiam probat, in tali teſtamento ad pias cauſas non eſſe neceſſariam hæredis inſtitutionem; & Laym. c. 6. n. 6. addit, quod, licet morte interveniente Teſtatoris non fuerit abſolutum, adhuc valet quoad legata pia in eo expreſſa; & Dian. r. 25. addit, Teſtamentum ad cauſas pias non ſolemne revocare aliud ſolemne prius factum, etiamſi hujus mentionem non faciat: idque, etiamſi prius fuerit ad cauſas pias, ut addunt Mol., & alii contra alios apud eundem r. 26.

Si vero teſtamentum ſine dictis ſolemnitatibus factum ſit ad cauſas profanas, invalidum eſſe etiam in foro conſcientiæ (præterquam quoad legata pia) docent Covarr., Bon., & alii: quam ſententiam probabilem, & ſecuram dicit Buſemb.; ſed contrarium eſt verius, & communius; ideoque licite etiam retinetur, quod tali teſtamento poſſidetur: Barboſ., & alii: item hæres ab inteſtato, ſi ſciat volun-

Digitized by Google

luntatem defuncti, probabilius tenetur reſtituere id, quod ex ejus voluntate debetur aliis: Mol., Leſs. contra Bon.: addit Buſemb., quod ſi is retineat, poſſunt iſti uti occulta compenſatione; ſed hoc admitti non debet, cum in dubiis melior ſit conditio poſſidentis: Croix n. 1118.; item, ſi is faſſus ſit mentem defuncti, aut ſi oblato juramento jurare noluerit, cogi poteſt in foro externo ſolvere juxta ejus mentem: Buſ. n. 5. Denique teſtamentum inter liberos eſt maxime favorabile, valetque in foro externo, licet aliquæ ſolemnitates deſint, *l.* 21., c. *de Teſtam.*

II. Codicillus eſt, *Quod additur teſtamento ad aliquid explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum*, &c.; ideoque non fit ad inſtituendum hæredem (niſi interdum ex privilegio, quale habent milites ex *l. Milites, ff. de Milit. Teſtam.*) unde, ſi per illum hæres extraneus inſtituatur, is ſolum habet vim ſubſtitutionis fideicommiſſariæ, & inſtitutionis indirectæ, quatenus hæres ab inteſtato tenetur ei tradere hæreditatem retenta ejus quarta parte, quam vocant Trebellianicam (niſi hæreditas illa ſit diſpoſita ad cauſam piam, ex authentica *Similiter*, cap. *ad l. Falcid.*) vel retenta legitima, ſi hæreditas excluſis liberis in alium transferatur: Illſ. hic n. 467. Porro ad valorem codicilli ſufficiunt jure civili quinque teſtes, etiamſi non ſint rogati, inter quos poſſunt etiam eſſe mulieres; in foro autem conſcientiæ, & quoad cauſas pias idem dic, ac de teſtamentis.

III. Reliquæ ultimæ voluntates, quæ includuntur in teſtamento, vel codicillo tres enumerantur, ſubſtitutio, fideicommiſſum, & legatum.

Subſtitutio eſt, *Unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum in ultima voluntate facta vocatio*; & eſt duplex, directa, vel indirecta: directa eſt, vi cujus, ſine miniſterio alterius transferentis ſuum jus ſubſtitutus in bona defuncti ſuccedit loco alterius: ut ſi Teſtator dixerit, *Titius hæres eſto, quod ſi is noluerit, vel non potuerit, Cajus eſto hæres*: & hæc ſubſtitutio, vel eſt vulgaris, qua ſcilicet quis abſque ſpeciali privilegio hæredem ſubſtituit; vel pupillaris, qua ſcilicet pater filiofamilias impuberi ſubſtituit hæredem; vel exemplaris, ſeu quaſi pupillaris, qua ſcilicet pater, aut mater ſubſtituit hæredem filio mente

Digitized by Google

te capto, etsi puberi, modo non sit exhæredandus, ex privilegio Legis: vel compendiosa, qua scilicet plures substitutionum species pro diversis temporibus continentur: vel demum reciproca, qua scilicet hæredes sibi invicem substituuntur. Indirecta est, vi cujus ex ministerio unius succedit alius; ut si testator dixerit, *Titius hæres esto, quem volo, ut in morte cedat hæreditatem meam Cajo*. Et hæc eadem est, ac fideicommissum, quo scilicet gravatur Titius, vel ad restituendam totam hæreditatem Cajo, & tunc dicitur universale: vel ad restituendam ejus partem, & tunc dicitur particulare.

Legatum est *Donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præstanda: Instit. de Legat.* Hoc etiam potest esse duplex: purum, & non purum. Primum est, quo absolute legata est res determinata, & hoc cedit, seu incipit a die mortis Testatoris; quamvis (exceptis legatis ad causas pias) non possit exigi a legatario, nisi post aditam ab hærede hæreditatem, quod si ipse legatarius morte præveniatur, exigi potest a suis hæredibus, nisi res legata sit ususfructus, usus, aut habitatio, quæ morte legatarii finiuntur. Secundum est, quo legata est res determinanda ab hærede, vel sub conditione contingenter futura, & tunc hæres acquirit quidem jus immediatum in totam hæreditatem, sed est gravatus legatario, vel ejus hæredibus tradere debito tempore rem a se determinandam, vel expectare impletionem conditionis, eaque posita legatum dare, nisi legatarius ante adventum conditionis moriatur; tunc enim, cum res nunquam fuerit absolute debita legatario, neque evadet debita ejus hæredibus.

Denique nota omnes ultimas voluntates (nisi juramento non revocandi sint confirmatæ) esse revocabiles, quamdiu Testator vivit; ideoque non confirmari, nisi ejus morte; ut dictum est in de donatione mortis causa. Nota etiam, ad ultimas voluntates non sufficere earum promissionem: quare, si Berta v.g. multa obsequia indebita præstitit Marito, spe favorabilis testamenti promissi, & interea is moriatur intestatus, non videtur posse Berta occulte retinere aliquod ex ejus bonis; quia nondum fuit assignatio testamentaria, sed tantum animus assignandi, nec occulta compensatio habet locum, nisi in debitis cer-

Digitized by Google

tis : Croix n. 1120. Si autem ea obsequia præstitit spe v.g. catenæ aureæ, quam maritus jam fieri fecerat, ut donaret illi, Less. *in Auct. v. Testam. cas.* 13. dicit, probabile esse, quod possit retinere, aut occulte accipere, quanti valebat; quia videtur sufficere ea implicita donatio, ex vi cujus proveniisset donatio expressa, nisi mors interveniisset: additque, jure naturali per voluntatem transferri dominium, si voluntas signo aliquo externo manifestetur; quod videtur factum, quando jussit, catenam in eum finem fieri: sed oppositum Croix ait probabilius; quia, ut donatio valeat secuta morte donantis, debet res aliquo modo fuisse tradita; & multo minus valet occulta compensatio, quia debitum non est certum : Croix ibid.

CAPUT II.

Quid de Testatore?

NEMO, per se loquendo, obligatur facere testamentum; ideoque licite mori potest intestatus, itaut ejus bona cedant, cui de jure ab intestato: per accidens tamen aliquando tenetur testari, si nimirum Creditores alias non possent recuperare sua, vel si graves lites inter hæredes ab intestato orirentur.

Jure naturali testari nequeunt infantes, furiosi, & amentes, nisi habeant lucida intervalla, vel in una tantum materia delirent. In dubio autem standum dispositioni, si recte sit facta, ut decet hominem sanum : item judicio testium : quod si & isti dubitent, Molina ait, invalidum esse testamentum, quia jus hæredum ab intestato videtur esse in possessione; quamvis probabile etiam oppositum dicant aliqui apud Illsun. ex *l. 1. cap. de SS. Eccl.*

Jure positivo invalide testantur, Primo, Surdi simul, & muti a nativitate, ex *l. Discretis c. Qui testam.* Secundo Prodigi, postquam illis bonorum suorum administratione interdictum est, quamvis prius conditum testamentum valeat, ex *Inst. Quibus*, §. *Item Prodigus*. Et horum inhabilitas se etiam extendit ad causas pias, juxta communem apud Illf., Clar. q. 5. Tertio, Impuberes, etiamsi sint milites, vel testentur ad pias causas, juxta communem apud Mol., ultimus tamen dies, quo impubertas finitur, inchoatus pro com-

Digitized by Google

completo habetur, *l.a qua ætate, ff. qui teſtam.* Quarto Filiifamilias de bonis adventitiis teſtari non poſſunt, etiamſi Pater conſentiat, vel non habeat eorum uſumfructum; *Inſtit.Quibus,ff.eod.* Ex Patris tamen conſenſu poſſunt teſtari de his ad pias cauſas:de Caſtrenſibus vero,& quaſi Caſtrenſibus poſſunt omnino etiam ſine Patris conſenſu. Quinto, Servi, antequam libertatem acquirant, & ſe obtinuiſſe ſciant, teſtari nequeunt; poſſunt tamen teſtari ad pias cauſas, ſi vere libertatem obtinuerint, quamvis eam neſciant: Bart.,Ab.,Mol.,& alii.Sexto,Captivi,& Obſides pro captivis, ſi capti ſint in bello, nequeunt teſtari, ex *l. ejus, qui,ff. eod.*, ſi tamen antea teſtati ſint, valet, etiamſi in captivitate deceſſerint, *l.*12., *ff.eod.* Septimo, Damnati de crimine libelli famoſi in alterum, vel de crimine hoſtilis invaſionis in Cardinalem, vel de crimine hæreſis teſtari nequeunt:item uſurarii publici, niſi prius reſtituerint uſuras, vel de illis cautionem præſtiterint; quod ſi præſtare nequeant, & conterantur, ad cauſas pias teſtari poſſe, probabile reputant Covar., Sylv., Mol. d.137.

Beneficiati,etſi ſint Epiſcopi,per ſe loquendo,teſtari non poſſunt de acquiſitis ex Beneficio,nec donare mortis cauſa, etiam ad pios uſus, ex *cap. Ad hæc, de Teſtam.*, niſi alicubi ſit recepta conſuetudo, ut Clerici, præſertim inferiores Epiſcopis,ad pias cauſas teſtentur,quo caſu,inquit Leſſ. c.19. d. 4., eos debere, ne redditus Eccleſiaſtici ad conſanguineos, tanquam ad hæredes, ab inteſtato devolvantur. Cæterum poſſunt de talibus bonis aliquid moderatum relinquere ad pias cauſas ex *eod. cap.* Poſſunt etiam tantum legare ſuis conſanguineis,quantum de patrimonialibus attulerunt Eccleſiæ,ex *c.ſi quis Epiſcopus, q.*5. Poſſunt etiam iis, qui ſibi viventibus ſervierant, ſive conſanguinei ſint, ſive alii aliqua juxta ſervitii meritum conferre,ex *c.Relatum.*12.*eod.tit.*Quod Mol.intelligit de collatione gratuita; nam, quod ex juſtitia debitum eſt, ex bonis libere diſpoſitioni Clerici relictis ſolvendum eſt. Si autem obtinuerint a Sede Apoſtolica licentiam teſtandi de bonis beneficii, eam valere etiam pro codicillo, & donatione mortis cauſa,docent Doctores communiter, ex *l.Marcellus, ff.de don. cauſa mortis*, apud Merol., imo etiam pro teſtamento ante eam facto: Sanch., Sal., Ricc., Meroll., Dian. p. 8. t. 7. r.99.

Digitized by Google

r. 99. Denique libere testari possunt de Patrimonialibus, ac acquisitis aliunde, quam ex Beneficio, scilicet industria sua, vel opera personali etiam per actus Ordinis sui proprios: Inn., Abb., Piasc., & alii.

Novitii testari libere possunt de bonis suis, uti etiam donare mortis causa; quia Trid. tantum irritat eorum Renunciationes,& Donationes inter vivos ex dictis q.1.c.2.§. 2.Et hoc Testamentum sive in Novitiatu,sive ante Novitiatum factum, si non revocetur, per Professionem, quasi per mortem, firmatur: ita tamen, ut, si Monasterium sit capax dominii, acquirat Jus fruendi bonis talis Professi rejectis extraneis, usque ad tempus mortis naturalis,excepta legitima pro ejus filiis,si quos genuit in seculo, & consequenter etiam in perpetuum,si tale Testamentum morte hæredis, vel alio modo irritetur: Less. c.41. d.10. cum communi. Item, si ante Professionem de suis bonis non disposuit, Monasterium, si capax sit dominii, succedit, salva legitima debita ejus ascendentibus, si descendentes non habeat; quod si habeat, poterit talis Professus per modum Dispensatoris bona sua eis distribuere, æquali tamen ad minimum parte assignata Monasterio capaci: si autem illud sit incapax, transmittitur jus succedendi ad hæredes ab intestato: Doctores communiter ex *c. si qua mulier* 19. *q.* 3.

Professi vero (exceptis militaribus, qui suorum bonorum dominium retinent, & excipi solitis per licentiam Papæ,qui ad Episcopatum,vel Cardinalatum sunt evecti) sunt omnino inhabiles ad testandum: Doctores communissime ex *c.7.quia ingredientibus*, 19. *q.* 3. contra Caramuel. dicentem, testari posse ex licentia Superiorum. At Religiosi Soc. Jesu post Vota simplicia ante Professionem cum licentia Generalis valide testantur de rebus suis: sine licentia vero illicite, valide tamen,ut addunt Suar., Sanch., Pal., & alii contra Mol., & Less., quamvis tale testamentum sit a Superiore irritabile, quandiu Testator vivit, non autem eo mortuo, cum voluntas defuncti non amplius subordinetur ejus voluntati: Lug.d.3.n.81. Cæterum in mortis periculo, quando consuli non potest Generalis, potest Provincialis, & eo absente Superior localis dare eis licentiam condendi testamentum: imo sufficit licentia Provincialis, quando testamentum fit proxime ante Profes-

Digitized by Google

ſeſſionem, per quam ſtatim redditur omnino irrevocabile: Lug. d.3. n.116., & idem eſt, ſi fiat proxime ante mortem ſub ratihabitione Generalis: v. Pelliz. t.4. c.2. a n.157. Si autem fecerint prius teſtamentum, quando facienda eſt renunciatio bonorum, eſt revocandum, quia renunciatio fit per donationem irrevocabiliter inter vivos: Illſ.n.495.

CAPUT III.

Quid de Hærede?

HÆRES, alius eſt ex teſtamento, alius ab inteſtato, qui ſcilicet non ex teſtamento, ſed ex diſpoſitione legis in bona defuncti ſuccedit. Rurſus alius eſt hæres univerſalis, ſeu ex aſſe, qui ſcilicet ſine alio cohærede ſuccedit, alius particularis, qui ſcilicet cum alio, vel aliis in partem æqualem, aut inæqualem tranſit; qui vero in re certa tantum, v.g. in tali fundo directis verbis hæres inſtituitur, is potius legatarii loco habetur, nec hæredum obligationes ſubit, ex *l. Quoties*, cap. *de Hæredib. inſtituend.* Rurſus, alius eſt hæres liber, ſeu voluntarius, qui ſcilicet poſſet deſeri, alius hæres neceſſarius, qui ſcilicet ſaltem ad legitimam vocari debet in teſtamento facto ad cauſas profanas; nam in teſtamento ad cauſas pias ſatis eſt, ſi accipiat legitimam, etiamſi non nominetur.

Itaque hæredes neceſſarii ſunt deſcendentes linea recta, ſcilicet liberi etiam poſthumi; atque, ſi non ſint plures, quam quatuor, eorum legitima erit *Triens*, hoc eſt tertia pars bonorum defuncti æqualiter eis dividenda, modo in diviſione accipiat quiſque alimenta neceſſaria ad decentiam ſtatus. Si ſint plures, quam quatuor, eorum legitima erit *Semiſſis*, hoc eſt dimidium bonorum defuncti æqualiter etiam dividenda. Quod ſi unus iſtorum ſit mortuus, ſuccedunt ejus liberi, ſed in ſtirpem, hoc eſt omnes hi ſimul, velut una ſtirps, portionem ſui parentis inter ſe dividunt. In defectu autem deſcendentium, hæredes neceſſarii erunt aſcendentes in linea recta, ſcilicet pater, & mater defuncti, quorum legitima erit etiam *Triens* æqualiter eis dividenda, vel uni totaliter danda, ſi alter ſit mortuus: ſi vero uterque ſit mortuus, hæredes neceſſarii ejuſdem trientis erunt avus, & avia, ſed in ſtirpem, hoc eſt tantum

Digitized by Google

accipiet ſolus avus, vel avia vivens ex una parte, quantum avus, & avia viventes ex altera. Atque hi, & hoc ordine ſunt hæredes neceſſarii; non autem collaterales, puta fratres, & ſorores defuncti, etiamſi ex eodem patre, & matre; etſi poſſint infirmare teſtamentum, ſi inſtituta ſit hæres perſona infamis, ex Laym., & aliis. De illegitimis, & ſpuriis dicam infra.

Si ergo hæres neceſſarius inſtituatur in portione minori, quam quæ debetur, datur ei actio ad ſupplementum, quæ dicitur *Querela inofficioſi*. Si ultra legitimam plus relinquatur uni, quam alteri, eſt peccatum, ſi fiat ex affectu inordinato; ſecus vero, ſi ex cauſa juſta, ſcilicet ob majora ejus merita, & obſequia, ob majores ſumptus faciendos in ſuis ſtudiis, ob majorem ejus inopiam, aut minus lucrum in ſuo munere, &c. Addunt tamen Bon., & Dian. p. 1. t. 8. r. 83., id, quod eſt ſupra legitimam debitam, relinqui poſſe etiam extraneo. Si autem hæres neceſſarius omnino prætereatur, rumpitur teſtamentum: ſi vero exhæredetur, debet exprimi cauſa, & probari a teſtatore, aut ab alio hærede apud Judicem, apud quem, ſi exhæredatus effecerit, ut non ſit ſatis probata, quamvis a parte rei exiſtat, Mol. d. 175. ait, adhuc poſſe in conſcientia legitimam adire, quia non tenetur ſubire pœnam exhæredationis, quandiu ejus crimen non eſt plene probatum.

Cauſæ autem exhæredandi ſunt 14. I. Si parentibus ſuis manus intulerit: II. Si gravem injuriam eis ingeſſerit: III. Si eorum vitæ inſidiari tentaverit: IV. Si eos in cauſis criminalibus accuſaverit, modo non ſint adverſus Principem, vel Rempublicam: V. Si eos ad Judicem detulerit cum eorum gravi diſpendio, ſive honoris, ſive bonorum corporis: VI. Si contra eorum voluntatem mimorum munus ſuſceperit, & in eo perſeverarit: VII. Si eorum furioſorum curam neglexerit: VIII. Si ad eos a captivitate redimendos tardaverit, modo ipſe 18. ætatis annum compleverit: IX. Si eos violenter, aut doloſe a condendo, vel mutando teſtamento impedierit: X. Si cum maleficis, ut maleficus, verſetur: XI. Si filius novercæ ſuæ, aut concubinæ patris ſui ſe immiſcuerit; idque magis, ſi matri; XII. Si filius pro patre in vinculis detento rogatus fide-

Digitized by Google

fidejuſſionem præſtare recuſaverit: XIII. Si filia, aut neptis potens impetrare maritum, & competentem dotem ante ann. 25. fiat meretrix, vel invitis parentibus mancipio quandocumque nupſerit: XIV. ſi a fide Catholica parentum quiſpiam defecerit.

Denique filii illegitimi, ſi ſint naturales (hoc eſt ex parentibus, inter quos poterat eſſe matrimonium intra tempus, quo concepti, & nati ſunt) ſolum ſunt hæredes neceſſarii ex teſtamento matris, relate ad quam ſe habent, ac legitimi; non vero ex teſtamento patris (niſi ante natos legitimos fuerint legitimati) debentur tamen illis alimenta competentia ſtatui. Spurii vero (hoc eſt ex parentibus, inter quos non poterat eſſe matrimonium intra tempus, quo concepti, & nati ſunt) nullatenus eſſe poſſunt hæredes patris, neque ex teſtamento matris, neque ab inteſtato, neque per ſubſtitutionem, quamvis danda ſint eis alimenta neceſſaria tantum ad naturam, ut putant aliqui, vel etiam ad decentiam ſtatus, ut putant communiter cum Lug. d. 24. n. 126.

Quæres primo, Qui poſſint inſtitui hæredes?

Reſpondeo, Omnes, etiam amentes, ſurdos, mutos, ſervos, imo etiam communitates; niſi ſpeciali jure prohibeantur. Jure autem poſitivo hæredes inſtitui nequeunt: Primo, Apoſtatæ, & Hæretici, eorumque receptatores, credentes, aut defenſores; item eorum fautores, ſi intra annum non pœnituerit; item perſecutores, & percuſſores Cardinalium; item damnati ad metalla, vel qui ob crimen inteſtabiles ſunt active. Hos tamen probabile eſt non teneri ad reſtitutionem aditæ hæreditatis ante ſententiam Judicis: Sanch., Leſs. c. 19. n. 52. Secundo, Nec poſſunt hæredes inſtitui Fratres minores de Obſervantia, & Capuccini; quia ſunt incapaces, tum ſinguli profeſſi, tum eorum Conventus, ex Trid. *ſeſs.* 25. c. 3.; poteſt tamen in eorum favorem relinqui hæreditas, ut per executores vendatur, & detur Monaſterio pretium: Leſs. n. 54. Poteſt item relinqui legatum, modo non ſit perpetuum, nec in tanta quantitate, ut videatur eſſe in fraudem, ideſt hæreditas, aut ejus pars notabilis ſub nomine legati, ex *Clem. Exivi*. Similiter Profeſſi, & Coadjutores formati Societatis Jeſu (etſi ſint capaces legati, etiam perpetui) ſunt

Digitized by Google

incapaces hæreditariæ ſucceſſionis, uti etiam Domus, Eccleſiæ, & Collegia, eorum ratione, ex p. 6. *Conſtit.* c. 2. §. 12. Quod Sanch., Mol., Laym., & alii intelligunt de utraque ſucceſſione tum ab inteſtato, tum ex teſtamento; attamen Domus ipſæ, Eccleſiæ, & Collegia Societatis inſtitui poſſunt hæredes ratione ſui; ita tamen, ut ſi domui Profeſſæ relicta ſint bona immobilia, quæ ejus uſui, & habitationi non ſerviant, vendi debeant, cum alias poſſideri nequeant ex §. 5. Reliqui autem Profeſſi aliarum Religionum inſtitui poſſunt hæredes, ſed Monaſterium immediate adit hæreditatem, etiam inſcio, aut invito Religioſo, ut probabilius docent Sanch. l. 7. *Dec.* c. 12., Lug., & alii contra Wading., & alios dicentes, fieri tantum mediante Religioſo; ideoque repudiatio hæreditatis facta ſine licentia a tali Religioſo eſſet invalida, quia non cenſetur Superior id ratum habere: Sanch., Lug., & alii: ſimiliter capaces hæreditatis ſunt Scholaſtici, & Coadjutores non formati in Societate, qui eam acquirunt ſibi, utpote capaces dominii; ideoque nec poſſunt excludi, ſi ſint hæredes neceſſarii: &, ſi ante profeſſionem donent omnia ſua jura Collegio, Pal. tom. 3. tr. 16. d. 1. p. 18. putat ex Sanch., poſſe Collegium ſuccedere in hæreditatem advenientem illis jam Profeſſis, & viventibus; ſed negat Lug. l. 4. *Reſp. Mor.* d. 4., quia jus ad illam hæreditatem non erat præſens in ea donatione.

Quæres ſecundo, Qui eſſe debeant hæredes ab inteſtato? Reſpondeo, Eſſe primo loco filios, & filias legitimas, ſive ſint ſui juris, ſive non, qui in capita ad portiones æquales ſuccedunt; uno autem eorum mortuo, ejus portio ad ejus deſcendentes transfertur; ſecus vero, ſi ille eam portionem repudiaverit: Mol. d. 164., & alii. Si autem omnes immediati fuerint mortui, eorum deſcendentes probabilius proprio jure ſuccedunt non in ſtirpes, ſed in capita; Illſ. n. 506. Secundo loco deficientibus omnibus legitimis deſcendentibus ſuccedunt proximi aſcendentes, quorum uno tantum vivente, puta avo, omnes alii excluduntur, etiamſi repræſentent proximiorem, ſcilicet patrem; ſed cum aſcendentibus admittuntur etiam fratres, ſorores defuncti ex utroque parente actu exiſtentes: non vero eorum filii, ſi ipſi ſint mortui, ex Novell. 127. c. 1.

Ter-

Digitized by Google

Tertio loco, deficientibus omnibus prædictis, ad hæreditatem veniunt proximiores consanguinei collaterales usque ad decimum gradum inclusive, sive sint agnati, scilicet ex parte patris, sive cognati, scilicet ex parte matris, ex authent. *de Hæredib. ab inteſt.*; & in majoratu indefinite usque ad quemcumque gradum. Quarto loco, his omnibus deficientibus, Uxor Marito, & vicissim Maritus Uxori succedit in omnibus bonis, ex l. *Unica*, cap. *Unde vir*. Quinto demum, his etiam deficientibus, filii naturales (non autem spurii) succedunt in sexta parte dividenda inter ipsos, & eorum matrem, ad quam partem etiam succedunt, etiamsi adsint ascendentes: reliqua vero hæreditas laici devolvitur ad Fiscum secularem: Clerici vero ad Fiscum Ecclesiasticum, l. *Vacantia*, cap. *de Bonis vac.* Si autem peregrinus moriatur ab inteſtato in hospitali, bona ejus mobilia ibi reperta per Episcopum loci sunt distribuenda ad pias causas, auth. *Omnes peregrini*, cap. *Communia de ſucceſſion.*. Plura vid. apud Illſ. a n. 505.

Quæres tertio, Ad quid teneatur hæres adeundo hæreditatem?

Respondeo, Teneri ad debita, & onera relicta a defuncto; adeoque etiam perficere negotia ab eo inchoata, & nondum finita, *l.* 40., *ff. Pro ſocio*. Si tamen ille habuit piam voluntatem aliquid faciendi, & hæredi non imposuit hanc obligationem, potest hic pro libito omittere: Croix n. 1169. Cæterum per legem Falcidiam, hoc est Falcidii Tribuni, hæres necessarius, si fecerit inventarium, potest detrahere a legatis, vel donationibus mortis causa complementum suæ legitimæ per illa legata, & donationes imminutæ; &, si sit hæres, cui non debetur legitima, detrahere potest sibi quartam partem bonorum omnium defuncti, post soluta prius debita, expensas funeris, & mercedem servorum. Si autem sit fideicommissarius, per legem Trebellianicam, hoc est Trebellii Consulis, si rogatus sit totam hæreditatem restituere, potest quartam partem sibi retinere: Croix n. 1170. Excipit tamen Trull. legata pia, ex auct. *Similiter*, cap. *Ad leg. Falcid.*

Quæres quarto, Quomodo renunciari possit hæreditas?

Respondeo, Omnibus permissum esse renunciare hæreditatem sibi jam relictam sive ex testamento, sive ab inteſta-

teſtato, antequam illam adeant; imo etiam poſtquam adierint, ſi gaudeant privilegio reſtitutionis in integrum, juxta dicta d. 1. c. 5. at, ſi fiat renunciatio intuitu Religionis, requiruntur ſolemnitates Trid., juxta dicta q. antecedenti c. 2. §. 1. Si autem fiat talis renunciatio ab hærede ante mortem Teſtatoris, eſt ipſo facto irrita, atque illicita, ob occaſionem captandæ mortis Teſtatoris: Bald., Tuſch., Pal., & alii. Excipe primo, Niſi conſentiat is, de cujus hæreditate agitur, & in eo conſenſu perſeveret uſque ad mortem. Secundo, Niſi renunciatio fiat in favorem Communitatis; ſic enim ceſſat præſumptio periculi inſidiarum: idemque eſt, ſi fiat renunciatio hæreditatis incertæ, puta ſi qua hæreditas mihi obvenerit. Tertio, Niſi fiat ratione Inſtituti Religioſi obligantis ad renunciationem omnium, etiam acquirendorum, idque in favorem cauſæ piæ: Sanch. l. 3. c. 2. n. 54. Quarto, Niſi fiat ipſimet Teſtatori, idque juramento firmetur, ſi ſit renunciatio legitimæ; nam hæc abſque juramento fit invalide, ex l. *Pactum*, cap. *de Collation.*

Cæterum, ſi filius renunciavit Fratri, hoc mortuo ante patrem, ille in propria hæreditate ſuccedere poteſt, ac debet, quia cauſa renunciationis ceſſavit: Mol. d. 579. Si filia accepta dote a patre renunciet paternæ hæreditati, poteſt poſtea petere complementum legitimæ portionis ſuæ: Mol., Sanch., Lug. l. 6. *Reſp. Mor.* d. 34. ex *l. cit.*; item filius, vel filia, poſt juratam renunciationem poteſt ſuccedere in iis bonis, quæ pater tranſiens ad ſecundas nuptias relinquere cogitur liberis ex priore matrimonio ſuſceptis, quia hi non ſuccedunt jure ſanguinis, ſed ex favore juris civilis: Mol. n. 21.

CAPUT IV.

Quid de Legatario, & Exequutore Teſtamentario?

I. LEgatarius eſt, cui relinquitur legatum a Teſtatore; legatum autem, vel eſt ad pias cauſas, vel ad profanas: Primum eſt exequendum ante omnia; imo etiam ante aditam hæreditatem, ut addunt complures cum Bald. contra Covar., Jaſon., Tiraqu. & alios, quia lex magis piæ cauſæ favet, quam filiis, excepta legitima; ideoque addit

dit Illſung. n. 480. deberi etiam repudiata hæreditate; etiamſi non ſit impleta conditio propter caſum fortuitum, nec ſteterit per hæredem: Tiraqu., Croix n. 1137. & ſimiliter, etiamſi ejus exequutio nequeat fieri in ea ſpecie, in qua relictum eſt: Mol. d. 249. addit etiam Tiraqu. contra Sanch., ſi voluntas Teſtatoris ſit ambigua, interpretandam pro cauſa pia, quia propter Dei honorem, & utilitatem animæ augetur interpretatio teſtamenti; ideoque annuum legatum pro anima abſolute relictum cenſeri debet perpetuum, ex Prop. 43. damnata ab Alex. VII. *Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.* Imo *relicta pauperibus non patiuntur falcidiam, Extravag. 1. de Privil.*, Et, ut addunt Tiraqu., Leſſ., & alii nec Trebellianicam; & licet in codicillo facta ſit per verba generalia diminutio eorum, quæ relicta erant in teſtamento: tamen, quæ relicta erant ad pias cauſas, adhuc debentur integra: Tiraqu. Privil. 29., addens Privil. 72., quod, quamvis alias legata diminuantur pro rata, ut omnibus ſufficiant, tamen legata pia ante omnia deducenda ſunt, tanquam æs alienum: ſed id negant Buſemb., & alii.

Legatarius, niſi ſponte renunciet, ſtatim poſt obitum legantis habet jus ad legatum. Sed, ſi legatum ſit ad cauſas profanas, non poteſt illud exigere ante aditam ab hærede hæreditatem, quia debet illud exigere ab hærede complete jam conſtituto. Quod ſi morte præveniatur, tranſmittit Jus ſuum ad ſuos hæredes, niſi legatus ſit uſusfructus, uſus, aut habitatio, quæ morte Legatarii finiuntur: vel niſi res legata ſit ab hærede determinanda, aut ſub conditione contingenter futura, & Legatarius ante debitum tempus determinationis, aut conditionis moriatur, Illſ. n. 471. Item ſi legatum profanum hæres exequi non poſſit in ſua ſpecie, in qua eſt relictum, manet hæredi: Cr. n. 1137.

Si Titius legavit alicui Eccleſiæ bona ſua cum onere Miſſæ quotidianæ, expreſſe addens, ut ſi ſemel miſſa omittatur, eo ipſo bona devolvantur ad alium; tunc, ſi culpabiliter ſemel omittatur Miſſa, Eccleſia privatur, quia pœnæ appoſitæ in ultimis voluntatibus ſunt potius conditiones, quæ obligant, etſi alter non exigat, vel moneat: Cr. n. 1142. Si in teſtam. ſit hæc clauſula: *Si ſine liberis deceſſero, volo, ut hoc prædium cedat Eccleſiæ;* & poſtea naſcatur proles

Digitized by Google

les posthuma, quæ statim moriatur, prædium debetur Ecclesiæ: Menoch., & alii. Si sit hæc clausula: *Relinquo Cajæ, ut si moriatur absque prole legitima, bona redeant ad amicos*, & Caja absque prole profiteatur in Monasterio, potest ea bona absolute, & in perpetuum relinquere Monasterio, quod tanquam filius excludit alios; secus vero, si substitutio facta sit in alias pias causas: Doctores communiter: Novell. 123. *de Episc.*, cap. 37.; quamvis & tunc probabile dicat Lem. cap. 4., Monasterium, tanquam filium, jure suo posse succedere. Si autem dicat: *Lego Cajæ* 200., *si nubat*; 100., *si ingrediatur Religionem*, Tunc, si Testator ideo sic legavit, ut absterreret a Religione, tanquam conditio turpis habetur pro non adjecta, ideoque debentur Cajæ 200., etiamsi ingrediatur Religionem: secus, si ideo sic legavit, quia maritanda eget majori dote: Barb., Croix n. 1141. Reliqua, v. d. 1. c. 3. Si legatum sit, *In die sepulturæ meæ distribuantur* 100 *pauperibus*, possunt distribui etiam pauperibus exteris, nisi ex circumstantiis præsumatur, quod voluerit tantum pro inquilinis: possunt etiam distribui Religionibus Mendicantium, nisi speciatim iis factum sit ab eo aliud legatum: Croix n. 1143. At si Testator jussit, per 10. successive annos certam summam erogari pauperibus, hæres potest totam quantitatem semel primo anno erogare; quia sic prodest animæ defuncti, qui censetur in favorem hæredis divisisse per plures annos: Mol., Barb., & alii contra Bart., & alios.

Quæres primo, Quis commutare possit pias voluntates Testatoris?

Respondeo, Posse Episcopum loci ex justa causa commutare in alios pios usus: Sanch. l. 4. *Consil.* c. 2. d. 3. & 7., & alii communiter ex Trid. *sess.* 22. c. 6. *de Reform.* contra Mol. d. 246., & alios. At sine justa, & necessaria causa non licet Episcopo etiam de consensu hæredum commutare etiam in melius, ut addunt Barb., & alii contra Genuens., Graf., Vasq., Dian. p. 2. t. 3. r. 26. Neque potest Episcopus ex justa causa reducere numerum Missarum, quæ debentur ex legato, fundatione Beneficii, vel Capellaniæ, ex decr. Urb. VIII., & Inn. XII., ideoque pro hoc recurrendum est Romam: addit tamen Sanch. approbante Lug. d. 24. quod, si Ecclesia indigeat reparatione, nec habeat, unde reparet, possit de licentia Episcopi applicare ad tempus pro-

Digitized by Google

proventum 20. aureorum relictum pro Anniversario.

Quæres secundo, An in necessitate Reipublicæ licitum sit dispositiones pias convertere in alios usus?

Respondeo, Licitum esse ex illis, quæ ad usus pios etiam per ultimas voluntates destinata sunt, subvenire gravi necessitati Reipublicæ, puta ob famem, quæ ex Caj., Suar., & aliis, si sit communis, æquivalet necessitati extremæ, & bona externa ex Dei institutione destinata sunt ad sublevandam necessitatem indigentium saltem extremam, aut illi æquivalentem; ideoque, si Testator viveret, teneretur dispositiones suas relinquere isti fini. Cæterum talis commutatio fieri debet a Principe supremo seculari, si materia piorum operum sit ei subjecta: si non sit ei subjecta, fieri debet a Papa; Quod si non sit aditus ad Papam, vel periculum sit in mora, fieri posse ab Episcopo, docent Monet., Barb., & Carden. vocans securam sententiam: addens etiam, quamvis non sit expediens, fieri tamen posse etiam ab Executore ultimæ voluntatis, quia in casu urget Jus divinum sublevandi gravissimas Reip. necessitates,

Quæres tertio, Quid de Executore testamentario?

Respondeo, Posse a Testatore nominari quemcumque modo ann. 17. compleverit, unum, vel plures, etiam ex hæredibus, etiam feminam, etiam Clericum; imo etiam Religiosum (exceptis Fr. de Observantia) qui tamen sine licentia Superioris, & in Societate Generalis, illicite, valide tamen exequeretur: Dian. p. 8. t. 5. r. 9. Nullus tamen cogi potest, ut sit Executor; si tamen renuat, perdit legatum ei relictum quoad præmium muneris, ceditque aliis Executoribus: Dian. r. 27. Si autem a Testatore nullus sit nominatus Executor, executio pertinet ad hæredem etiam quoad legata pia; sed Episcopus jure communi potest ad se pertrahere: Laym. c. 11. n. 1.

Itaque Executor, post aditam hæreditatem, confectumque inventarium, debet intra annum exequi voluntatem defuncti, quæ tempus non præfixit; & in legatis piis intra sex menses, quovis die, etiam festo, etsi hæreditas non sit adita, vel repudiata: Dian. p. 7. t. 6. r. 25. Unde, si differat notabiliter, graviter peccat, nisi justo impedimento excusetur, & tenetur damnum compensare: Dian. r. 52. Et, si post annum a monitione Judicis exequi negligat,

omni

Digitized by Google

omni commodo ex testamento illi proveniente, excepta legitima, privatur; imo, si intra annum negligat exequi, jus executionis devolvitur ad Episcopum, & in defectu Episcopi ad Metropolitanum: Dian. p.8.t.5.r.57.; Si vero negligentia sit hæredis, tenetur monere Episcopum, ut hæredem cogat: Dian. r.32. Item tenetur reddere rationem executionis factæ, exceptis iis, quæ Testator jussit erogari secreto: Dian r. 14., Nec debetur ei salarium, cum sit officium voluntarium amicitiæ: Dian. r.39.

Quoad legata incerta, si incertus sit Legatarius, v. g. quia sunt duo ejusdem nominis, & amicitiæ erga Testatorem, jure civili corruit legatum; in foro tamen conscientiæ tenetur executor inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant: Mol., Dian. p. 5. t. 5. r. 58.; legata autem pia ob incertitudinem loci, vel Ecclesiæ, pauperiori Ecclesiæ, vel Xenodochio plerumque sunt danda. Si incertitudo sit ex parte rei legatæ, puta bovis, vel equi, dandum est, quod Legatarius elegerit juxta dicta d.1.c.4.n.4., quamvis alii cum Laym. id negent de artefactis, puta hac, vel illa domo, hac, vel illa veste, &c. Denique, si summa pecuniæ distribuenda sit pauperibus indeterminatis, dari etiam potest Ecclesiis indigentibus ornamentis, fabrica, &c., item nobilibus, aliisque, qui secundum suum statum non possunt vivere: Vasq., Mol., & alii. Item sibi, vel suis cognatis, si vere sint pauperes, & Testator id ignoraverit, nec eis quidquam legaverit: quare etiam Religiosus executor potest Monasterio suo applicare, etiamsi Testator aliquid Religioso reliquerit, quia causa Monasterii est distincta a causa, seu persona Religiosi: Bus., Sanch. l.6. c.11. n.59. At si pauperi determinato aliquid sit relictum, huic est dandum, & si ante solutionem moriatur, dandum alteri pauperi; quia defunctus principaliter intendit salutem animæ suæ: ita tamen, ut ejus intentio, quæ semper attendenda est, impleatur.

QUÆSTIO III.

De Deposito, Commodato, & Precario.

DEPOSITUM fit in gratiam solius Deponentis, Commodatum, & Precarium in gratiam solius Commo-

Digitized by Google

modatarii, ſeu accipientis, ideoque ſunt contractus gratuiti: in his autem non trasfertur dominium, ſed tantum conceditur cuſtodia, vel uſus rei.

CAPUT I.

Quid de Depoſito?

DEPOSITUM eſt, *Quo aliquid traditur cuſtodiendum, ut integrum reddatur*, qui contractus perficitur, dum res traditur a Deponente, & ſuſcipitur a Depoſitario: itaque non ſufficit deponere in domo alterius, niſi hic ſignificet, ſe ejus cuſtodiam ſuſcipere; niſi forte ex officio teneatur eam cuſtodire, ut ſunt Caupones, Stabularii, Nautæ, &c., tunc enim ſufficit illis videntibus deponere rem in domo, ſtabulo, navi, &c. Leſſ. c.27. n.2.

Depoſitum in rigore eſt, cum quis promittit operam ſuam ad cuſtodiendam rem alienam ſibi traditam, nullo convento pretio, aut mercede, ſed omnino gratis; quo ſenſu etiam Religioſus poteſt eſſe Depoſitarius: Mol., Lug. d.33. n.6. At, ſi tradatur res, v.g. Sartori, Molitori, aliive artifici pulienda, immutanda, &c., aut Cauponi, Stabulario, Nautæ, &c. cuſtodienda; aut ſi concedatur uſus rei depoſitæ, vel ejus abſumptio cum obligatione reddendi aliam ejuſdem bonitatis; tunc cum depoſito admiſcetur alius contractus in commodum etiam Depoſitarii, puta emptionis operæ, aut cuſtodiæ, locationis, mutui, aut alterius contractus innominati.

Quæres primo, An poſſit Depoſitarius uti re apud ſe depoſita?

Reſpondeo, Per ſe loquendo, non poſſe, ſi ſit pure depoſitum, & non cum expreſſa facultate utendi; alioquin cenſetur furtum committere, quia utitur re aliena invito Domino, & conſequenter, ſi uſus ſit pretio æſtimabilis, tenetur ſolvere pretium: Leſſ. d.2. Si tamen bona fide exiſtimet, domino non diſpliciturum, ſi re depoſita utatur, licebit uti: Leſſ. ibid. Item, ſi depoſitum ſit res uſu conſumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ expendendo abſumitur, atque ea tradita ſit in certo numero, pondere & menſura, Depoſitarius his utens, ſi certus ſit, ſe tantundem ejuſdem bonitatis habiturum, quando repetetur, non vi-

Digitized by Google

videtur peccare saltem graviter: Less. ibid. Secus vero, si pecunia v. g. tradita fuerit sacculo, vel arcæ inclusa, vel munita sigillo: Sylv., Azor., Less., Bon., & alii. Si Depositarius re deposita negotietur, inscio Domino, Dian. p. 2. t. 8. r. 32., Rodr., & alii dicunt, illum posse sibi lucrum retinere: quod admittit Lug. d. 17. n. 49., si fiat sine ullo præjudicio, aut periculo Domini. Idem dicunt alii apud Croix n. 829. posse Thesaurarium, vel Eleemosynarium Principis; imo, quamvis Princeps prohibeat ea uti, tamen, si utatur, putant non peccare graviter contra Justitiam, quia nullum grave damnum infert contra jus proprietatis; poterit tamen peccare leviter contra obedientiam, & jus jurisdictionis.

Quæres secundo, Quæ sit obligatio Depositarii in custodiendo depositio?

Respondeo, Notando, triplicem esse obligationem diligentiæ circa rem alienam, cui triplex opponitur culpa juridica, scilicet lata, seu crassa, levis, & leviſſima, prout scilicet omittitur diligentia adhiberi solita, vel ab hominibus communiter, vel a diligentioribus, vel a diligentissimis; sed talis omissio, si fiat inadvertenter, habetur culpa tantum juridica, si advertenter habetur culpa etiam theologica, hoc est vere peccatum, & offensa Dei. His notatis, Dico: si sit pure depositum, Depositarium teneri tantum ex culpa lata (modo sit etiam theologica, juxta dicenda in de Restitutione) quia pure depositum est in commodum tantum Deponentis; quare tenetur Depositarius reficere ei damnum, si depositum reliquit v. g. in loco publico, & inde sit furto ablatum. Si vero depositum sit in commodum etiam Depositarii, qui scilicet utatur re deposita, vel aliud commodum ex ea percipiat, tenetur non solum ex culpa lata, sed etiam levi, puta si negligat ostium cubiculi, in quo est, claudere; modo adsit etiam culpa theologica juxta dicta: & in dubio, an hæc adsit, non præsumitur: Sanch. l. 2. *de Matr.* d. 41. n. 8.

Hinc in primo casu tenetur Depositarius etiam facere ordinarios sumptus (&, ut aliqui volunt, etiam extraordinarios leves) necessarios ad rem conservandam, vel recuperandam: quod si etiam extraordinarios, & magnos fecerit: Mol., Lug., Onn., & alii contra Haun., & alios dicunt pos-

Digitized by Google

posse tamdiu eam retinere, quamdiu refundantur. At in secundo casu non tenetur, ne ordinarios quidem, sumptus facere ad rem conservandam, vel recuperandam: Lug. d. 8. n. 134.

Quæres tertio, Quando teneatur Depositarius rem depositam reddere?

Respondeo, Quod, si nihil aliud deductum sit in pactum, præsumitur depositarius se obligasse ad custodiendum tamdiu rem, quamdiu a deponente non repetitur, vel non emerserit causa urgens restituendi. At, si expressum sit certum tempus custodiendi, v. g. per biennium, poterit deponens repetere ante illud tempus, quando volet; quia terminus ille est adjectus non in præjudicium Deponentis, sed ad finiendam obligationem Depositarii. Excipe, nisi in utilitatem Depositarii concessa fuisset facultas interea utendi re deposita cum obligatione Deponentis ad non prævertendum tale tempus, quia sic non maneret purum depositum, sed accederet ratio mutui, vel alterius contractus innominati: Croix n. 830. Si Depositarius Domino repetenti depositum remiserit per hominem, qui fidelis habebatur, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, Domino periisse, dicit Mol. cit. ab Escob. Si certo constet, rem depositam non esse Deponentis, sed alterius, huic reddendam, dicit Less. n. 15., non Deponenti, nisi putetur, illam repetere, ut restituat Domino. Si bona omnia Deponentis addicta sint Fisco, tum depositum tradendum Fisco, ut colligitur, ex *l. Bona fides, ff. depositi;* Sed ante Judicis jussum, posse libere tradi, vel Deponenti, vel Fisco, ait Less. n. 14. Si Creditor Deponentis dicat Depositario, ne reddat rem depositam, donec sibi sit satisfactum; jura statuunt, ne ei obediat, alioquin damna solvere teneatur Deponenti, utpote adhuc Domino depositi; neque oppositio tertii numeratur inter casus non reddendi depositum: Onn., Lug. d. 17. n. 7. Si Deponens sit debitor ipsius Depositarii, hunc retinere non posse depositum ab eo repetitum, docent aliqui apud Croix n. 831., sed posse retinere, vel ex eo sibi compensare in foro conscientiæ, si aliunde non possit, docet Less. n. 16., quamvis in foro externo id non admittatur. Denique, si Deponens repetat rem depositam in suum, vel aliorum damnum, non est obligatio reddendi: &, si De-

Digitized by Google

positarius reddat, peccat contra Charitatem: Croix n. 828.

Quæres quarto, An possit aliquid accipi ratione depositi? Respondeo primo: Deponens rem usu consumptibilem concedendo usum, nihil accipere potest a depositario eo ipso, quod hic incipit uti, quia sic induit naturam mutui, ex quo nihil licet accipere, secluſa ratione lucri cessantis, vel damni emergentis juxta dicenda q. 4. Si vero res ita deposita non sit usu consumptibilis, potest pro eo usu aliquid accipere, quia is est pretio æstimabilis; licet in hoc casu non depositum, sed locatum, & commodatum sit dicendum: Bon., Busemb., & alii.

Secundo, Depositarius pro custodia, & obligatione reddendi, quando alter volet, accipere potest moderatum stipendium, ut patet. Idque etiam concedunt Mol., Less. c. 23. & alii communiter, etsi non sit pure depositum; sed cum facultate utendi, ut si apud Bancarium, vel Campsorem deponatur pecunia; quia se obligare ad custodiendum, & restituendum, videtur esse pretio æstimabile; quæstus autem, qui interim habetur ex usu pecuniæ, non est fructus pecuniæ, sed industriæ. Illud hic notandum, depositum esse contractum bonæ fidei; ideoque in illo habet Judex facultatem judicandi, quod sibi fuerit visum ex bono, & æquo, etiamsi in conventione non sit expressum: Mol. d. 259. Noto etiam, ad depositum referri sequestrum, qui est contractus, quo res inter plures controversa apud aliquem, qui dicitur Sequester, deponitur, ut postea ei tradatur, qui causam evicerit: si tamen pro hac re offeratur idonea cautio parti adversæ, jura statuunt, ut res sequestrata parti caventi relaxetur: Croix n. 834.

CAPUT II.

Quid de Commodato, & Precario?

I. COMMODATUM est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore expresse, aut tacite determinato;* ut si dicatur, *Commodo tibi librum ad unum mensem; vel donec eum transcribas*, quo casu tantum temporis implicite determinatur, quantum est necessarium ad commode transcribendum.

Infers primo: Commodator non potest repetere absque inju-

Digitized by Google

injuſtitia rem ante præfixum tempus: Laym.c.14., & alii. Excipe primo, niſi ei damnum impendeat, licet ſimile damnum impenderet etiam Commodatario ex rei ante tempus redditione; quia intelligitur hæc tacita conditio, niſi interea contigerit, rem eſſe neceſſariam commodanti: Leſs. c.27. contra Nav. Excipe ſecundo, niſi pupillus, minor, aut prodigus commodavit ſine auctoritate Tutoris, aut Curatoris juxta dicta d.1.c.5. Item Commodator, ſi ſcivit vitium rei, & prævidit damnum inde ſecuturum Commodatario, quod impedire poterat, & debebat, ut ſi commodavit equum morbidum, qui infecit alios equos Commodatarii, tenetur compenſare ejus damnum; ſecus vero, ſi neſcivit: Croix n.822. Demum Commodator nequit aliquid accipere pro commodatione, aut deterioratione rei; quia ſecus non eſſet commodatum, quod eſſentiale habet, ut fiat gratuito, ſed eſſet Locatio, de qua d.3.

Infers ſecundo: Commodatarius non poteſt uti re commodata ad alium uſum, vel aliter, quam ſit ſibi conceſſum, niſi bona fide exiſtimet, non diſpliciturum Domino, juxta dicta c.1.q.1.de depoſito. Cæterum poteſt, per ſe loquendo, rem commodatam etiam alteri commodare, niſi aliter conventum ſit, vel ſciret de contraria mente Commodantis: Croix n.820. Item tenetur ad ſumptus ordinarios circa rem commodatam, puta paſcere equum commodatum, ſoleis ferreis inſtruere, ſi deficiant, &c. At ad ſumptus extraordinarios non tenetur, puta pro ſanando equo, ſi ægrotare incipiat; pro redimendo, ſi ab hoſte capiatur, &c. modo non contigerit ex ejus culpa, juxta mox dicenda: tenetur tamen monere Dominum; quod ſi non poſſit, tenetur expendere ſumptus, & poſtea rem detinere poteſt, donec refundantur: Lug. d. 8. n. 134. Denique Commodatarius tenetur rem cuſtodire eo modo, quo ſolent homines ſuæ profeſſionis diligentiſſimi; quod ſi negligat, dicitur juridice culpa leviſſima obligans ad reficiendum damnum Domino, modo adſit culpa theologica, juxta dicta, & dicenda in de Reſtitut. Excipe tamen pupillum, aut minorem, qui ſine auctoritate Tutoris, aut Curatoris accipiens commodatum, tantum obligatur ratione doli, & in quantum factus eſt ditior, ex *l.2.*, *& 3.*, *ff. Commodati*.

Digitized by Google

II. Precarium est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore, nec expresse, nec tacite determinato.* Quare Precarium habetur, cum ad preces alterius datur res utenda, donec concedens repetat, & in hoc differt a Commodato. Cæterum, qui precario dat, non debet statim datum repetere absque necessitate: alioquin videbitur illum illudere, aut creare ei damnum: Abb., & alii. Itaque revocatur Precarium primo, Voluntate concedentis expressa, vel tacita, ut, si eam rem det, aut vendat tertio: Secundo, Morte ejus, cui est concessa; quia censetur gratia quasi personalis, quæ ad hæredes non transit. Tertio, Morte concedentis, si rem concesserit cum addito, quamdiu voluero, vel mihi placuerit, quia hæc voluntas cessat morte personæ: Ab., Mol., Laym., & alii contra Pal., & Tamb. At, si res sit absolute concessa, vel cum addito, *Donec revocavero*, non finitur morte concedentis, ideoque, si alter incipit uti, potest pergere, donec illius hæredes repetant: Croix n. 825.

Denique, quoad usum Precarii eadem dic, ac de usu Commodati, & similiter quoad custodiam; itaut teneatur non solum ex culpa lata, sed etiam levi, non autem levissima; cum enim sit pro libito domini revocabile, non debet ex eo oriri tanta obligatio, *l. Quæsitum, ff. de Precariis*: modo sit etiam theologica, seu cum advertentia. Si autem diligentiam debitam in ea custodienda adhibere non potes sine jactura propriæ rei, tunc, licet in foro externo præsumatur dolus, tamen in foro conscientiæ, si res propria sit præstantior, potes pro hac servanda negligere curam rei alienæ precariæ (vel commodatæ, & a fortiori depositæ) quia solum te obligasti ad illius curam, ac si esset propria, & cura propriæ rei major est erga rem præstantiorem, quam minus præstantem: contra vero, si res aliena sit præstantior; tunc enim (excepto pure depositio) teneris ejus curam præferre curæ rei propriæ, itaut nec possis repetere æstimationem damni proprii, si ea res aliena in tuam tantum utilitatem esset concessa, quamvis possis repetere saltem dimidiam, si etiam in partialem utilitatem concedentis erat concessa. Quod si tua, & aliena sint æque præstantes, tunc, si aliena sit concessa solum in tuam utilitatem, ejus curam præferre debes, si utramque

Digitized by Google

que ſervare nequeas; ſi vero in partialem utilitatem etiam concedentis, potes eligere, quam ſervare velis, & a fortiori, ſi ſit pure depoſitum: Illſun. n. 394., & alii.

QUÆSTIO IV.

De Mutuo, & Uſura.

QUI dat mutuum, mutuans, ſeu mutuator dicitur: qui accipit, mutuatarius. Quamvis autem mutuatarius ſubeat obligationem reſtituendi ſuo tempore tantundem mutuanti: tamen, quia mutuans nihil inde lucrari poteſt, ideo contractus mutui inter gratuitos numeratur: ſi quid vero inde lucretur, habetur uſura. Agam I. De Mutuo: II. De Uſura: III. Qua ratione liceat aliquando lucrum in Mutuo?

CAPUT I.

Quid de Mutuo?

MUTUUM eſt *Traditio rei in ſuo genere functionem recipientis, facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis cum obligatione, ut ſimilis ſpecie, & bonitate reſtituatur*: Doctores communiter, ex *l.* 2., *ff. ſi certum*.

Dicitur *Traditio*, quia mutuum traditione perficitur, juxta dicta d. 1. c. 1. Dicitur, *Rei in ſuo genere, &c.*, hoc eſt, quæ ſub eodem genere ita poteſt eſſe ſimilis alteri, ut una poſſit fungi, ſeu ſubſtitui vice alterius: tales ſunt, quæ conſtant pondere, numero, aut menſura: ut vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata; item libra argenti, auri, &c.; item ovis, bos, &c. ſi tradantur cum obligatione, ut reddatur ſimilis ſpecie, & bonitate: Mol., Reb., Pal., & alii contra Leſs. putantem, hunc dici potius contractum innominatum. Dicitur *Facta eo animo, &c.*, quia mutuum ex *leg. cit.* dicitur, quaſi *Ex meo tuum*; itaut transferat ſtatim dominium rei in mutuatarium; ideoque differt a commodato, depoſito, pignore, locato, &c. Hinc, ſi pecunia v.g. mutuata pereat, perit mutuatario: & ſimiliter, ſi ejus valor creſcat, aut decreſcat, creſcit, aut decreſcit mutuatario. Dicitur demum, *Cum obligatione, &c.*,

per

per quod mutuum differt a donatione; at non est obligatio in mutuo, ut eadem numero res restituatur, ut fit in deposito, commodato, pignore, &c.; sed ut reddatur *similis in specie, & bonitate*, per quod mutuum differt a permutatione, quæ potest esse inter dissimilia.

Noto tamen primo, Similitudinem in mutuo sufficere, per se loquendo, etiam moralem, seu in communi æstimatione: nam, licet mutuatarius pecuniam mutuo acceptam v.g. in auro, restituat in metallo inferiori, puta argento, modo sit æqualis valoris, videtur, per se loquendo, satisfacere; quia, quamvis in metallis habeatur inæqualitas bonitatis intrinsecæ, tamen ratione valoris provenientis ab extrinseco in morali hominum æstimatione unam speciem, seu rationem pecuniæ constituunt: Mol., Reb., Tamb., Pal., Illsun., & alii contra Bart., Bald., Covar., Panorm., & alios. Dixi, *Per se loquendo*; secus enim esset, si aliter sit conventum: vel si pecunia in diverso metallo sit valde incommoda mutuanti: vel si reddatur triticum pro pecunia, cum sic esset permutatio, quam non tenetur subire, qui mutuavit, nisi expresserit: Croix n.841.

Noto secundo, Similitudinem in specie, & in bonitate, aliam esse in mutuo pecuniario, aliam in mutuo frumentario, & aliarum mercium; in pecunia enim qua tali attenditur ratio pretii, seu valoris extrinseci: hinc, si mutues 100. ducatos in 100. monetis aureis, & deinde augeatur earum valor, non potes exigere 100. monetas, sed valorem 100. in paucioribus monetis: & similiter, si earum valor decrescat, debet mutuatarius reddere plusquam 100. monetas; quia aliter non servaretur æqualitas in valore. At in mercibus attenditur numerus, pondus, vel mensura; ideoque, si crescat pretium frumenti mutuati, reddendæ sunt tot mensuræ, quot acceptæ sunt mutuo; & similiter, si decrescat ejus pretium: idem dic de aliis mercibus.

Noto tertio, Dictum discrimen valere, quando aliter non sit præfixum, neque aliter sit conventum ex certis, & licitis causis. Cæterum, si æque incertum sit, utrum res erit deinde pluris, an minoris valitura, potest mutuans pacisci, ut restituatur non solum eadem quantitas mercium: verum etiam idem numerus monetarum; quia sic par est utriusque contrahentis conditio.

Si-

Digitized by Google

Similiter, si probabilius sit, vel saltem certum, rem postea minoris valituram, potest paciſci non solum, ut restituatur idem valor monetarum; verum etiam idem valor mercium, sive ab eo pro tunc servandarum, sive non servandarum, quia potest illas æstimare secundum præsentem valorem; at, si probabilius sit, vel quasi certum, quod res erit deinde pluris valitura, non potest paciſci, ut restituatur eadem quantitas mercis, sed pro valore præsenti; nisi vero illam esset servaturus usque ad illud tempus, & tunc etiam subtrahi debet æstimatio laboris, periculi, & sumptuum in ea usque ad illud tempus conservanda: Less. c. 20., Croix a n. 912.

Quæres primo, Ad quid teneatur mutuans?

Respondeo primo, Neminem obligari ad mutuandum, nisi aliquando ex præcepto Charitatis in extrema, & probabilius etiam in gravi necessitate proximi: in quo casu, cum Charitas obliget ad eleemosynam, a fortiori obligat ad mutuum, & quidem etiam cum periculo amittendæ sortis: Croix n. 849.; unde etiam cum Vasq., & aliis contra Bon. infert, tunc nec posse aliquid accipere ratione lucri cessantis; quia, licet tunc non teneatur ex justitia mutuare, tamen tenetur absolute sub peccato: ergo in conscientia tenetur subire damnum lucri cessantis. Imo, quamvis extreme nunc indigenti, sed speranti bona futura ex hæreditate, labore, &c. possis loco eleemosynæ dare mutuum, tamen carenti etiam tali spe debes dare eleemosynam, nec potes ei dare mutuum sub conditione, si forte in meliorem fortunam veniat, quia nunc urget præceptum eleemosynæ, quæ non est sine donatione: D. Th., Con., Val., & alii contra Vasq., Les., Lug.

Respondeo secundo, Mutuantem debere monere mutuatarium de vitio rei, puta de falsitate monetæ, quam mutuo daret; alioquin tenetur in conscientia ad damnum inde proveniens in mutuatario: Busemb., & alii communiter. Cæterum, si sciat, aut prævideat monetam tempore futuro fore, ut decrescat in valore, &c., non tenetur de hoc monere mutuatarium; quia pro tempore, quo dat, nullum habet vitium. Excipe, nisi tam modica interfit mora, ut mutuatarius moraliter nequeat uti mutuo; sic enim cessetur vitium præsens, juxta mox dicenda.

Digitized by Google

Respondeo tertio, Mutuantem non posse repetere restitutionem mutui, statimac dat mutuatario, nisi forte ipse sit in pari, aut majori necessitate; quia est essentialis mutuo obligatio ad non repetendum, antequam mutuatarius potuerit eo commode uti: Doctores communiter. Item nec potest mutuare cum pacto, ut mutuatarius non possit restituere, nisi transacto tali, vel tali tempore; quia non posse mutuatarium antea liberare se a debito est novum, & grave onus mutuo extrinsecum; si ergo ex pacto præfigitur tempus restitutionis, intelligi debet præfixum ad non differendam, non vero ad non anticipandam.

Quæres secundo, Ad quid teneatur mutuatarius?

Respondeo primo, Si in contractu mutui determinatum sit justum tempus restitutionis, puta Kal. Jan., permitti ad minimum spatium 10. dierum ad restituendum, juxta dicta d. 1. c. 3. Si nullum determinatum sit tempus, determinatio facienda est ex circumstantiis: v. g. frumentum mutuatum agricolæ in hyeme censetur mutuatum usque ad messem; pecunia mercatori eunti ad nundinas, usquedum vendiderit merces; opifici, usquedum vendiderit operas; si pauper mutuat alteri modium farinæ intelligitur pro una, vel altera septimana; sed tempore abundantiæ intelligitur etiam mensis; quod si tu sis dives, & mutuatarius pauper, intelligitur etiam annus: Tamb., Croix n. 844. Cæterum, si mutuator potens repetere sponte taceat, potest mutuatarius differre, quia videtur ille consentire dilationi, juxta dicta loc. cit.

Respondeo secundo, Qui scit, vel probabiliter credit, se non posse restituere, non potest pecuniam mutuo, vel ad censum accipere; alioquin esset fur, ut recte Less. in *Auct.* v. *Mutuum, caſ.* 5., nisi vero esset in casu, in quo liceret occulte, & more furum accipere. Ad quid autem teneatur mutuo accipiens in extrema necessitate, colligitur ex dictis. Cum quis mutuo accipit a fure pecuniam furtivam, tunc proprie non est mutuum, quia per hoc non acquirit dominium: si tamen bona fide eam consumpserit, per consumptionem censetur fieri mutuum, & translatum dominium; ideoque est obligatio restituendi tantundem domino rei tanquam mutuanti; si autem mala fide consumpserit, non est quidem mutuum, sed domino rei datur

actio

Digitized by Google

actio contra illum, ac si pecunia extaret: Doctores communiter ex *l.* 11., *&* 13., *ff. de Reb. Cred.*

Respondeo tertio, Qui privatim scit, valorem monetæ mox augendum, vel pretium frumenti mox minuendum, potest nunc petere, & accipere mutuum pecuniarium, vel frumentarium, & probabiliter postea reddere pecuniam in valore, licet non in quantitate, & frumentum in quantitate, licet non in valore; quia in petendo, & accipiendo utitur jure suo, cui non debet nocere scientia privata; & in reddendo (nisi aliter sit conventum) solum tenetur dare id, quod acceperat, & in pecunia acceperat valorem, in frumento quantitatem. Dixi, *Qui privatim scit*; nam Magistratus, & qui mutant pretia rerum, non excusantur, si studiose id faciant, juxta dicenda d. *3. de Empt., & Vendit.*

Respondeo quarto, Si quis accipiat mutuum pro Ecclesia, vel causa pia, pro civitate, vel oppido, pro pupillo, pro minorenni, hi, pro quibus acceptum est, non tenentur reddere, nisi mutuans probaverit, in utilitatem illorum esse conversum: idemque est, si illi per se acceperint mutuum cum consensu Administratoris, Tutoris, Curatoris, &c. Si autem acceperint absque tali consensu, tenentur solum reddere, quantum facti sunt ditiores, cujus probatio etiam incumbit mutuanti: Laym. c. 15. n. 6. ex jure communi; vide tamen Pal. p. 4., 5., & 6.

Respondeo quinto, Filiusfamilias, etiamsi pubes, si accipiat mutuum restituendum post mortem patris, tale mutuum non est restituendum in foro externo, ex. *l.* 9., *ff. de S.C. Maced.* An autem sit restituendum in foro conscientiæ, negant etiam Bart., Inn., Panor., Les., Sanch., Laym., Lug., & alii communius, quia leges potuerunt hoc juste statuere in pœnam mutuantis ob occasionem optandæ, vel inferendæ mortis patri. Sed affirmant Covar., Rebel., Illsun., & alii, quia non est certum, quod prædicta lex irritet obligationem, quæ naturaliter consurgeret ex tali mutuo; & in dubio est possessio pro obligatione, & hæc sententia spectato textu videtur probabilior: Croix n. 842. Conveniunt tamen communiter Doctores, obligare in conscientia, si filiusfamilias habeat peculium castrense, aut quasi castrense: vel si post emancipationem ratificet mutuum: vel si fuit miles, quando illud accepit: vel si publi-

Digitized by Google

blice videbatur esse sui juris, &, ut addunt Ab., & Laym., si mutuans ob ignorantiam non fuit in culpa: vel si consenserit pater, aut sciens non contradixerit: vel si acceperit in tali necessitate, in qua pietas patris recusare non poterat: vel si expenderit in rem, aut negotiationem patris; vel demum, si accepit mutuum, non in pecunia, sed in re alia, qua uteretur: v. Onn. d. 25. a n. 207. Denique Regulares absque licentia Papæ, nequeunt accipere mutuum solvendo interesse, ex Declar.S.Cong.apud Delb.d.1.n.12.

CAPUT II.

Quid de Usura?

USURA est *Lucrum immediate proveniens ex mutuo;* Doctores communissime; itaque, si mutuans supra sortem, seu summam capitalem restituendam a mutuatario exigat aliquid pretio æstimabile (quod dicitur auctarium, & lucrum) præcise, & immediate ratione mutui, habetur usura.

Hæc autem prohibita est jure naturali, divino, & humano: jure naturali, quia injustitia est, quod mutuans exigat lucrum ex re aliena, cum mutuum sit res mutuatarii, & non mutuantis, juxta dicta c. 1.: jure divino, ex Psal. 14., *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram;* & Ezechiel. 18. *Ad usuram dans, & amplius accipiens, non vivet;* & Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet supra sortem, ut explicant Doctores, & Urb. III. cap. *Consuluit, de Usuris;* ubi etiam, & toto tit. *de Usuris* prohibetur jure canonico: unde nec posse concedi jure civili, ostendit Rodr. apud Croix n. 846.

Hinc usurarius recipiens usuram non acquirit ejus dominium; quia mutuatarius non habet voluntatem transferendi dominium, cum sciat, se non obligari; imo, etsi voluntatem habeat transferendi dominium, adhuc non acquiritur ab usurario; quia mutuatarius non aliter voluit transferre, quam teneretur; sed reipsa non tenebatur: ergo non transtulit: Mol., Cov., Sylv., Less., Tamb., Laym., & alii communiter contra Nav., Lug., Croix, & alios putantes, in casu acquiri dominium licet inefficax, & revocabile, cum ob injuriam illatam teneatur restitue-

re.

Digitized by Google

re. Hinc mutuatarius, etiamsi promiserit solvere usuras, non tenetur vi promissionis, cum non adsit titulus debiti ex mutuo: si autem juraverit, tenetur tantum ex Religione, juxta dicta d. 1. c. 8. Si autem usurarius per usuram acceptam aliquid postea lucretur, tunc distinguendum; si res usuraria sit natura sua sterilis, ut pecunia, instrumenta artis, &c., acquirit dominium rerum, quas re tali lucratur, quia sunt fructus industriæ: D. Th., Mol., Less., & alii communiter; si vero res usuraria sit fructifera, tunc juxta nostram sententiam non acquirit dominium fructuum, quia res fructificat domino suo, qui est mutuatarius.

Quæres primo, Quæ sit obligatio usurarii, & cooperantium usuris?

Respondeo primo, Usurarium, ejusque hæredes teneri in conscientia restituere usuras una cum interesse mutuatario, vel ejus hæredibus, etiam his non petentibus; quia res clamat ad Dominum. Idque verum est, etiamsi nullum adfuerit pactum externum, tamen mutuatarius dederit usuram, ut debitam ex vi mutui (& præsumitur ita dare, si sciat indolem mutuantis, quod non soleat gratis mutuare) quia sic etiam involuntarie dedit; ideoque mutuans tenetur restituere, sive bona, sive mala fide accepit: Lug. d. 25. Si tamen mutuatarius dederit ex mera gratitudine, vel amicitia (nullo tamen prævio pacto, ne implicito quidem) & mutuans hoc sciat, potest retinere, quamvis acceperit animo usurario; quia per donationem liberalem acquisivit dominium; licet enim habuit talem animum, tamen implicite voluit acquirere omni meliori modo: Tamb., Croix n. 921. Quod si dubium sit, an mutuatarius dederit ex vi mutui, an ex liberalitate, est interrogandus a mutuante: &, si non possit resciri, potest retineri, si dubium sit positivum; si vero sit negativum, Mol., Tamb., & alii contra Lug., & alios probabilius dicunt, esse restituendum, quia melior est conditio mutuatarii, utpote vere possidentis.

Respondeo secundo, Cooperantes ad usuram, si sint causa efficax, cur usuræ exigantur, vel solvantur, peccant, & obligantur ad restitutionem, saltem secundo loco, si usurarius non possit, aut nolit restituere: talis est Notarius scribens contractum usurarium, Testes firmantes, &c.,

quia

Digitized by Google

quia ſunt cauſæ efficaces exigendi, vel ſolvendi, adeoque circa hos mutuatarius eſt invitus. Secus vero, qui juvat uſurarium in numerandis pecuniis, in ſcribendis nudis rationibus, in deferendo pignore pro ſecuritate uſuræ, in exigendis amice uſuris, ne aliter videatur infidelis, &c.; quia circa hos mutuatarius non eſt invitus, uti eſt circa priores: Lug. d. 25. n. 214., Tamb., Croix n. 926.

Quæres ſecundo, Quænam ſint pœnæ uſurarii?

Reſpondeo, Uſurarium notorium notorietate juris, vel facti eſſe jure infamem; ideoque incapacem obtinendi Beneficium: item arcendum a Communione, non vero a divinis Officiis: item ab offerendis oblationibus; itaut, qui ejus oblationes acceperit, ſit ſuſpenſus ab officio, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerit, & reſtituerit: item a Confeſſione, donec reſtituerit uſuras, vel idoneam cautionem dederit coram Parocho, & Teſtibus, aut Notario habenti mandatum ab Ordinario; &, ſi cautionem pignoratitiam, aut fidejuſſoriam præſtare nequeat, juret, ſe non poſſe, & ſe facturum quicquid potuerit, ut fiat reſtitutio; ſi autem periculum ſit in mora, abſolvitur, & poſtea exigitur cautio. Item arcendum a ſepultura Eccleſiaſtica, itaut, qui eum ſepelire præſumpſerint, ſint ipſo facto excommunicati, nec abſolvendi, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerint: Leſs. c. 20. a n. 185., ubi addit probabiliter, has pœnas non incurri, niſi poſt Judicis ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis. Item teſtamentum talis uſurarii eſt irritum, niſi ante mortem ſolverit, vel cautionem legitimam dederit, ex cap. *Quamquam, de Uſuris in 6.* Denique Eccleſiaſtici ſub pœna Excommunicationis ipſo facto, ſi ſint minores Epiſcopis, Suſpenſionis, ſi ſint Epiſcopi, Interdicti, ſi ſit Communitas, non poſſunt uſurario extero locare domum, aut permittere in ea habitare, ex cap. 1. *de Uſur. in 6.* At Principes permittentes Judæos, aut alios uſurarios ex juſta cauſa, puta, ne impediatur utilitas multorum, non peccant, & poſſunt tunc exigere ab eis aliquid pro utilitate communi. Peccat tamen Judex, & excommunicatur ipſo facto, ſi compellat mutuatarium ad ſolutionem uſurarum, aut impediat reſtitutionem illarum, & tenetur ipſe ad reſtitutionem deficiente uſurario, ex *Clem. de Uſur.*

Quæ-

Digitized by Google

Quæres tertio, An mutuatarius poſſit licite petere mutuum ab uſurario?

Reſpondeo affirmative, Si adſit rationabilis cauſa, puta, ſi indigeat pecunia ad negotiationem, aliudve neceſſarium, nec poſſit æque commode aliunde habere; in quo caſu, etſi ſciat, illum non mutuare, niſi ipſe offerat ſolutionem uſuræ, poteſt etiam offerre. Ratio eſt, quia ex rationabili cauſa excuſatur a cooperatione materiali peccato alterius: Mol., Sanch., Hurt., & alii apud Dian. p. 5. t. 5. r. 8. Si autem petat ſine neceſſitate, ſed tantum ad luſus non neceſſarios, vel ad negotiationem ſuperfluam, Cajet., Nav., & alii multi adhuc putant, peccare tantum venialiter, quod Sanch. putat probabile; ſed Pal., & alii communius dicunt, peccare mortaliter, quia non adeſt ſufficiens cauſa honeſtans permiſſionem peccati uſurarii. Denique mutuatarius, accepto mutuo cum onere uſuræ, poteſt ſecundum Leſs. cedere talem contractum tertiæ perſonæ volenti, & ſcienti; ſed Pal., Tamb., & alii communiter tunc id permittunt, cum talis ceſſio eſſet illi cauſa lucri ceſſantis, aut damni emergentis: non autem præciſe, ut ſe reddat immunem a ſolvenda uſura; alioquin, ſi emiſſet aliquid ſupra juſtum pretium, etiam poſſet illud eodem pretio vendere tertio, ut ſe redderet indemnem; quod nemo dixit.

CAPUT III.

Ex quibus titulis exigi poſſit auctarium in Mutuo?

TRES ſunt tituli, quibus exigi poteſt aliquid ultra ſortem: Primus eſt Lucrum ceſſans: Secundus Damnum emergens: Tertius Periculum amittendæ ſortis. Hi tituli, ſi revera ſint in mutuo, Lug., Leſ., Tamb., & alii dicunt, poſſe licite exigi auctarium, etiamſi de illis non moneatur mutuatarius; ſed probabilius eſt oppoſitum: nam admonitus poſſet alibi ſibi quærere mutuum abſque hoc onere, in quod proinde non libere conſentit ignorans titulum: Croix n. 864. Rurſus, ſi aliquo ex his titulis exigatur auctarium plus juſto, habetur injuria, & obligatio reſtituendi, licet proprie non ſit uſura, cum non exigatur ratione mutui: Mol., Leſ., Croix n. 867. Nunc de ſingulis ſeorſim agendum. §. I.

Digitized by Google

§. I.

De Lucro ceſſante.

LUCRUM ceſſans eſt, quando pecunia, quæ deſtinata erat negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ, ſubtrahitur a tali negotiatione in gratiam mutuatarii, & ſic amittitur ſpes lucri, quod ceſſat. Idem dic de frumento, quod deſtinaveras venditioni tempore futuro Maii, ex qua ſubtrahis ad mutuandum.

Dico: Licite poteſt exigi aliquid ultra ſortem ratione lucri ceſſantis: Doctores communiter. Ratio eſt, quia non tenebaris, ut ſuppono, te privare hoc lucro in gratiam mutuatarii, & eo privari eſt pretio æſtimabile: ergo potes ratione ceſſationis talis lucri aliquid ab eo exigere ultra ſortem; quæ, licet eſſet pecunia, adeoque per ſe ſterilis, tamen per eam deſtinationem facta erat fœcunda, ac veluti ſemen lucri, ut notat Leſ. c. 20. n. 86. Dixi, *Ut ſuppono*, nam in extrema, aut etiam gravi neceſſitate proximi, quando teneris mutuare, probabilius nihil potes exigere ratione lucri ceſſantis, juxta dicta c. 1.

Infers primo, Exigi poſſe auctarium ratione lucri ceſſantis, non ſolum, ſi vi, vel fraude ſis inductus ad mutuandum, adeoque ad te privandum pecunia deſtinata negotiationi; verum etiam, ſi ſponte te hac prives, ut mutues petenti, quia ſic etiam militat ratio lucri ceſſantis: Doctores communiter contra Sot., & alios Canoniſtas. Imo, etiamſi te offeras ad eam mutuandam; quia juſtitia contractus non pendet ex eo, quod deſideres, vel non deſideres, illum fieri, ſed ex æqualitate ceſſationis lucri cum auctario exacto: Leſ. n. 101. contra Conr., monendus eſt tamen mutuatarius de pecunia negotiationi ſubtracta.

Infers ſecundo, Poſſe paciſci pretium certum, ac determinatum pro ſpe lucri, qua mutuans ſe privat, idque dandum, etiamſi eventus poſtea declaret, nullum fuiſſe obventurum lucrum, ſi negotiatus fuiſſet; quia ſic vendit ſpem præſentem, quæ erat pretio æſtimabilis: ſed duo hic requiruntur ad juſtitiam: alterum eſt, ut hoc auctarium non exigatur ſtatim ſolvendum dato mutuo, quia, ſi ſtatim velis ſolvi, revera non mutuas, quantum das mutuo,

Digitized by Google

tuo, ſed minus: alterum eſt, ut non tantum exigas, quantum eſſet lucrum, quod ſperabas, ſed quanti nunc valet ſpes illa lucri futuri, & incerti, deductis etiam expenſis, laboribus, & periculis in ea negotiatione, cuſtodia frumenti, &c.; quare, ſi paratus ſis, ſpem illam vendere 10. aureis, & expenſas, labores, ac pericula ſubeunda redimere 3. aureis, non potes exigere ratione lucri ceſſantis, niſi 7. aureos: Leſſ., & alii.

Infers tertio, Poſſe paciſci pretium incertum, ac indeterminatum pro ipſo lucro, itaut mutuatarius promittat ſolvere tantum pro intereſſe, quantum eventus declarabit, futurum fuiſſe lucrum, quod ſciri poterit ex eventu, quem alii mercatores in ſimili negotiatione tunc ſortiuntur; quare, ſi eventus docent, futurum fuiſſe 20., teneatur pro eo ſolvere 20. (deductis tamen deducendis, ut ſupra) ſi 10., ſolum 10., ſi nullum, nihil. Noto tamen, quod ſi mutuatarius velit paciſci hoc ſecundo modo, promittendo ſcilicet pretium indeterminatum pro ipſo lucro, non eſt cogendus paciſci primo modo, ad promiſſionem ſcilicet pretii determinati pro ſpe lucri; quia ſecundo modo reddit mutuantem indemnem a lucro ceſſante.

Quæres primo, An liceat exigere aliquid pro lucro ceſſante, ſi habens alias pecunias otioſas ſubtrahas negotiationi illam, quam mutuas?

Reſpondeo cum communi Doctorum contra Tamb. negative; quia, ſi commode potes mutuare otioſam, non videtur mutuum eſſe cauſa lucri ceſſantis. Dixi, *Si commode, &c.*, nam, ſi illam habeas repoſitam in alios eventus, puta ad alendam familiam, ad dotandas filias, ad ſolandam ſenectutem, ne ſtatum tuum periculo exponas, &c., ideoque nolis eam propter ſpem lucri in aliquod diſcrimen conjicere, tunc potes exigere aliquid pro lucro ceſſante ex alia pecunia negotiationi ſubtracta; quia ſic revera ceſſat lucrum ratione mutui: Nav. apud Leſſ. n. 87., & hoc ſenſu intelligo illud Mol. apud eundem abſolute dicentis, ſufficere, ut nolis aliam loco mutuatæ impendere.

Quæres ſecundo, An liceat exigere, &c., ſi antequam petatur mutuum, ſubtraxeris pecuniam negotiationi, ut alteri, quem ſcis petiturum, poſſis mutuare?

Reſpondeo affirmative; Quia ſic pecuniam a ſtatu fœ-

Digitized by Google

cundo ad ſtatum ſterilem reducis in gratiam alterius: ergo potes exigere tantum, quanti hæc reductio æſtimabitur. Hac ratione excuſari etiam poſſunt mercatores, qui præſcientes, Regem petiturum, pecuniam ſuam a negotiatione ſubducunt, vel ab ea abſtinent, ut ingentes ſummas paratas habeant, ut notat Leſſ. n. 89. Cæterum in caſu hujus quæſiti exigi debet auctarium minus, quia pecunia illa jam evaſerat ſterilis, & ſolum pretio æſtimatur dicta reductio ad hunc ſtatum: Leſſ. n. 88.

Quæres tertio, An liceat exigere, &c., ſi ob pecuniam negotiationi ſubtractam pro mutuo te applices aliis induſtriis, quibus tantundem, & æque facile lucreris?

Reſpondeo negative; Quia ſic revera non ceſſat tibi lucrum ratione mutui, ſed per hoc datur tibi occaſio lucrandi alia via, quam non habuiſſes, ſi in negotiatione perſtitiſſes. Cæterum, ſi minus iſta alia via lucreris, vel ea ſit moleſtior, laborioſior, &c., potes exigere, quantum prudens vir arbitrabitur, perpenſis circumſtantiis: Leſ. n. 85.

Quæres quarto, An liceat exigere, &c., ſi pecuniam, quam mutuas, deſtinaveras negotiationi tantum ſub conditione, quatenus velles ea negotiari, niſi multi mutuum a te peterent?

Reſpondeo, Speculative loquendo, probabile eſſe, quod poſſis; quia, licet in hoc caſu nulla particularis mutuatio ſeorſim ſpectata ſit cauſa lucri ceſſantis, ſunt tamen omnes collectim acceptæ: ut enim mutues paſſim occurrentibus, abſtines a negotiatione, & ſubis ceſſationem lucri inde eventuri: ergo potes onus compenſandi hoc lucrum diſtribuere in ſingulas mutuationes ſecundum cujuſque proportionem: Leſſ. n. 95. Addit tamen, in praxi non eſſe id facile admittendum ob periculum palliandi uſuras; poſt factum autem non auſim cogere ad reſtitutionem.

Quæres quinto, An liceat exigere, &c., in mutuo pecuniæ nondum deſtinatæ negotiationi, ob ſpem incertam, qua te privas, deſtinandi in futurum?

Reſpondeo, Non videri improbabile apud Lug., quod poſſis, quia ſic mutuans te privas poteſtate deſtinandi ad lucrum forte alias habendum. Sed probabilius videtur oppoſitum cum D. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. *Quia non debes ven-*

Digitized by Google

vendere id, quod nondum habes, & potes impediri multipliciter ab habendo; ſpes enim illa, cum ſit remota, nondum vere habetur, ut in ſimili dicam §. ſequ. de damno remoto. Idemque eſt, etiamſi promptæ erant occaſiones negotiationis, tu tamen pecuniam his nondum deſtinaveras, etſi mutuando te privas poteſtate deſtinandi; quia videtur id eſſe intrinſecum mutuo.

§. II.

De Damno emergente.

DAMNUM emergens eſt, quando mutuans ratione mutuationis patitur detrimentum in rebus, quas habet, vel quæ ipſi debentur; puta, cogitur res ſuas minoris juſto vendere ad ſuccurrendum ſuis neceſſitatibus, vel pecunias ab aliis accipere, ſolvendo uſuras, &c.

Dico: Licitum eſt exigere aliquid ultra ſortem ratione damni emergentis, ſi hoc prævideatur prudenter futurum: Doctores communiter cum D. Th. contra Scot. Ratio eſt, quia nulla æquitas poſtulat, ut mutuans ex beneficio mutuandi damnum reportet: ergo tale damnum, ejuſque periculum eſt pretio æſtimabile, adeoque pro eo poteſt aliquid exigi; ſic enim non eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare. Dixi, *Si hoc prævideatur, &c.;* requiritur enim, ut mutuatio ſit cauſa talis damni, ſine qua non eveniret, & qua efficeris impotens illius impediendi: requiritur etiam, ut periculum talis damni ſit prudens, adeoque moraliter proxime futurum; ſi enim ſit periculum tantum remotum, ac mere poſſibile, non potes pro eo quidquam paciſci ab initio, nec exigere, ſi deinde evenerit; quia hoc damnum eſt intrinſecum mutuo, & abunde tibi compenſatur cum eo commodo, quod ſi mutuum aliquo eventu fortuito pereat, non tibi, ſed mutuatario pereat: requiritur demum, ut mutuatarius ab initio moneatur de tali damno probabiliter emergenti, ut ſcilicet libere conſentiat in onus, quod illi imponitur, ut dictum eſt de lucro ceſſante ſub initium hujus capitis.

Quæres primo, An eſſe debeat liberum mutuatario paciſci vel de damno, vel de periculo damni?

Reſpondeo affirmative; Quia, ſi paratus ſit ſarcire tibi

Digitized by Google

omne damnum, prout eventus patefecerit, jam servaris indemnis: ergo non potest cogi, ut pro periculo talis damni aliquod certum tibi ab initio promittat. Cæterum, si ipse sit indifferens ad paciscendum utrovis modo, vel malit pro periculo certum pretium solvere, potes acceptare pactum; & quamvis damnum postea non evenerit, potes, quod conventum est, exigere; quia tale periculum erat in se pretio æstimabile, juxta dicta similiter de lucro cessante. At, si neque periculum, neque damnum deductum sit in pactum, nihil tenetur mutuatarius solvere, etsi postea damnum eveniat; quia non tenetur ratione pacti, sed neque ratione culpæ, ut supponimus: ergo &c., teneretur autem ratione culpæ, si per vim, aut dolum extorsit mutuum; vel si fuerit in mora restituendi sortem elapso jam termino, & mutuans inde passus sit damnum; imo alicubi est etiam consuetudo reficiendi hoc damnum, etiamsi talis mora fuerit inculpabilis: quod aliqui etiam tenent, licet mutuans sortem non exigat, quia ipsa dies interpellat pro homine: Less. n. 69., sed in hoc contradicunt Cajet., Tamb., & alii; quia, si potens non repetat, censetur condonare damnum subsequens, neque dies interpellare videtur pro homine, nisi præcesserit pactum reficiendi damnum ex mora, aut solvendæ pœnæ pro illa.

Quæres secundo, An, qui mutuat pecuniam, quam ipse mutuo acceperat ab usurario, possit ratione talis damni tantundem exigere a suo mutuatario, quantum ipse solvit usurario pro usura?

Respondeo, Si ea pecunia erat adeo tibi commoda, ut non te pœniteret solvere pro ea usuras, posse a tuo mutuatario tantundem exigere, quia in gratiam ipsius privas te eo commodo, & consequenter, si pluris existimares illud commodum, posses plus exigere: si minus, minus: si nihil, nihil: Less. n. 78. Monendus tamen de his tuus mutuatarius, ut sæpe est dictum.

§. III.

De periculo amittendæ sortis.

HOc aliud est remotum, ac mere possibile, & ob ipsum nihil potest exigi ultra sortem, cum sit intrinsecum mu-

Digitized by Google

mutuo, & compenſetur commodo non amittendi illam apud te exiſtentem, quam poſſes etiam perdere furto, aliove caſu fortuito: aliud eſt periculum proximum, probabile, ac prudens, quale eſt, ſi mutuatarius non ſit ſatis notus, ſi decoctor, ſi profugus, ſi non bonæ fidei, ſi difficilis ſolvendo, ſi alio tranſportaturus ſortem, &c., & de hoc

Dico: Licitum eſt exigere aliquid ultra ſortem ob periculum ejus amittendæ: Doctores communiter contra Nav., Sot., & alios. Ratio eſt, quia non teneris exponere te tali periculo: & exponi eſt pretio æſtimabile: ergo ſic te exponendo in gratiam mutuatarii, potes ab eo aliquid exigere. Quantum autem exigi poſſit, taxandum eſt judicio prudentium, attenta qualitate periculi, pro quo traditur hæc regula: ut ſcilicet vir probus, & prudens cogitet, quanti ipſe redimeret tale periculum, ſeu timorem: tantundem enim poteris petere, quantum ipſe bona fide velles dare alteri, qui hoc periculum in ſe ſuſciperet: Leſſ. *in Auct.* v. *Mutuum caſ.* 3.

Objicies: *C. Naviganti, de Uſur.* dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcepit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt contractus:* ergo non poteſt exigi aliquid ultra ſortem ratione periculi.

Reſpondeo, Hunc textum intelligi de eo, qui cogit mutuatarium ad ſolvendum ſibi aliquid ultra ſortem ratione periculi; itaut tollat ei libertatem compenſandi illud alia via æque commoda mutuanti; itaque liberum eſſe debet mutuatario, vel promittere pretium juſtum pro tali periculo, vel pro eo dare pignus, vel fidejuſſores ſufficientes: Leſ. n. 116., & alii communiter. Porro poteſt exigi pignus, quia quilibet negotiari poteſt cum omni ſua cautela, & ſecuritate, ut notat Tamb. *de Cambio* c. 5. n. 7. Si ergo datum ſit pignus, vel fidejuſſor ſufficiens, non licet mutuatori privato aliquid accipere ratione periculi; nam reipſa tunc ſublatum eſt. An autem in montibus pietatis tunc etiam licitum ſit aliquid accipere, dicam quæſit. 3. At ſi nullum ſit tale periculum, per ſe loquendo, videtur nec poſſe exigi pignus; exigitur tamen vulgo abſque ſcrupulo, eo quod in communi hominum convictu frequentes ſunt fraudes, pro quibus proinde ſtat præſumptio non impru-

Digitized by Google

dentis periculi. Quæ dicta sunt de periculo amittendæ sortis, procedunt proportionaliter de prævisione molestiæ, & adhibendis expensis pro ea recuperanda. Addit tamen Pallav. apud Croix n. 857., mutuantem Principi, qui non poterit cogi, & forte non volet restituere, non posse ratione istius periculi aliquid accipere; quia alias talis Princeps necessitaretur semper ad dandum plus, quam accepit; sed contradicunt communiter alii, quia talis Princeps per suam malitiam, quæ prudenter prævidetur futura, cogit mutuatarium ad ita sibi compensandum periculum.

Denique multo magis licitum est mutuanti accipere aliquid, si in se suscipiat periculum rei mutuatæ, v.g. si navigaturo in Indias mutuet pecunias, & in se suscipiat periculum transportationis in Indias; dummodo alter libere consentiat in hunc contractum, juxta dicta in textu cit. Item, si mercatori navigaturo trans mare mutues 100. cum pacto, ut si navis pereat, nihil restituat; si redeat salva, solvat 125., non fore usuram, dicunt Nav., Laym., & alii; quia hoc periculum videtur æquale illi pretio, & potius hic est contractus sponsionis, & ludi, de quo infra. Denique in Regno Chinensi accipitur 30. pro 100. absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis, sed ob aliquod periculum in recuperanda pecunia, eo quod, qui accipit, fugiat, aut tardet in solvendo, aut necessarium sit coram Judice repetere, & ob alia hujusmodi, & annuit S. Congr., ut refert Daniel. Ep. 7. ad Alex. Natal. apud Croix n. 856.

Quæres primo, An liceat pacisci, ut mutuatarius, si non restituerit tempore statuto, aliquid solvat ultra sortem in pœnam suæ moræ?

Respondeo affirmative, ut dictum est d. 1. c. 3. de pœna conventionali adjecta contractui; ideoque requiruntur etiam hic conditiones ibi dictæ: nimirum, ut mora sit culpabilis, & notabilis, ut pœna sit moderata, & ut reipsa apponatur ob periculum, ne nimium differatur, vel omittatur restitutio sortis; ideoque deterreatur mutuatarius ab ea dilapidanda, a fide violanda, &c. Si enim hæc non adsint, videtur potius apponi pœna pro pallianda usura, & tanquam pretium dilationis; ut, si non cures, utrum restituat tempore præfixo necne, sed ut possis lucrari ex mutuo, terminum illum cum pacto pœnali constituas;

tunc

Digitized by Google

tunc enim non ex culpa, ſed ex vi mutui cenſeris illud lucrum expectare: idemque eſt, ſi ut lucreris, brevem nimis terminum, intra quem ſcis, illum reſtituere non poſſe, conſtituas. Dictum eſt etiam loc.cit., hanc pœnam, utpote conventionalem, ſolvendam eſſe poſita mora culpabili, probabilius ante ſententiam Judicis; non autem ante expreſſam, vel tacitam petitionem mutuantis, niſi eſſet impoſita ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: Croix n. 897.

Quæres ſecundo, An liceat percipere fructus ex pignore dato a mutuatario in ſecuritatem ſortis?

Reſpondeo negative; Quia dominus pignoris eſt mutuatarius, adeoque fructus pertinent ad ipſum: unde, etiamſi agrum ſterilem, quem mutuatarius non colebat, acceperis in pignus, ſi tua diligentia inde fructus collegeris, teneris eos, deductis expenſis, & laboribus in colendo, referre in ſortem: Nav., Leſ. c. 20. n. 137. contra Sotum. Cæterum potes percipere fructus ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, juxta jam dicta, vel demum ratione expenſarum in pignore cuſtodiendo factarum: Leſs., & alii communiter. Item, ſi loco mutui emeris illud pignus cum pacto retrovendendi, donec ſcilicet alter illud redimeret; nam interim tua eſſet res, ejuſque periculum, ideoque etiam fructus: quo ſenſu excuſari etiam poteſt contractus Antichriſeos, vulgo *A Godere*, quo ſcilicet convenitur, ut mutuans tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ, donec ſors ei reſtituatur; ſi autem non intercedat dicta emptio cum pacto retrovendendi, eſt uſura, ut dicetur ſuo loco.

Quæres tertio, Qua ratione montes pietatis excuſentur ab uſura?

Reſpondeo, ex Concil. Later. ſub Leone X. c. 10. licitos eſſe montes pietatis, *in quibus pro eorum indemnitate, aliquid moderatum, ob ſolas miniſtrorum impenſas, ultra ſortem, abſque lucro eorumdem montium, recipitur*. Impenſæ autem ſunt ſumptus neceſſarii pro ſtipendiis miniſtrorum, qui montem cuſtodiunt, adminiſtrant, ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda: item pro conducenda domo montis, pro libris rationum, cæteriſque neceſſariis inſtrumentis,

Digitized by Google

tis. Neque obstat, quod illi, qui dant pignora, pro quibus nihil causant molestiæ, ut sunt annuli, tantum solvant, quantum, qui dant molestiora, ut vestes; nam debet certa quædam, & æquabilis ratio erga omnes constitui; quando enim ob varias circumstantias non potest ubique servari æqualitas, sufficit aliquid generatim determinare, quod maxime videatur accidere; Less. c. 20. n. 194. Hinc in talibus montibus, publica auctoritate erectis, quandoque exiguntur usque ad 15. in 100., plus enim est licitum exigere illis, quamvis illicitum sit privatis; tum quia agunt causam omnium; tum maxime, quia faciunt ex publica auctoritate, quæ habet dominium altum in bona privatorum relate ad bonum commune: qua ratione videntur etiam posse aliquid exigere, ut mons augeatur, usquedum censeatur sufficere omnibus incolis, non autem amplius, neque exteris. Quod valde notandum, præsertim in montibus frumentariis, quibus solvitur octava pars in modium mutuo acceptum.

Sunt præterea liciti etiam montes mixti auctoritate publica erecti, qui dant similiter mutuum indigentibus, & ab aliis accipiunt mutuum, solvendo aliquid mutuantibus, seu potius ementibus census super monte fundatos; tales enim census sunt optimi, & securissimi; unde etiam nunquam deerunt, qui pecuniam copiose conferant, & mons poterit copiose aliis indigentibus mutuare.

CAPUT IV.

An sint alii tituli exigendi auctarium in mutuo?

CERTUM est, te non posse quidquam exigere, eo quod mutuando privas te consolatione, quam habebas in possessione tuæ pecuniæ; quia privatio talis consolationis est intrinseca mutuo, & in commercio humano censetur ita levis, ut æstimari pretio non debeat: Croix n. 868., & alii communiter contra Caramuel. non bene in hoc audientem apud Dicastil.

Quæres primo, An liceat exigere, &c., eo quod pecunia præsens, qua te privas, censetur melior, quam futura restituenda a mutuatario?

Respondeo negative, ex prop. 41. damnata ab Inn.XI.

Cum

Digitized by Google

Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari. Et ratio damnationis eſt, quia (præciſo titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ſortis amittendæ) pecunia præſens non eſt utilior, puta ſi manſura fuiſſet otioſa in arca, cum de ſe ſit ſterilis.

Hinc Val., Azor., Rebel., Leſ., & alii communius contra Nav., Cajet., Bellar., & alios docent, eſſe uſuram palliatam emere minoris, quam valent, apodixas, & credita immatura, quæ matureſcent v.g. poſt annum, ſi ementi nullum ſit probabile periculum damni intra talem annum eventuri, aut lucri ceſſaturi, nec ſit difficilis, aut ambigua ſolutio. Contra vero, ſi mutuas Titio creditum 100. aureorum, quod tibi eſt difficilis ſolutionis, Titio vero facilis, cum pacto, ut reſtituat poſtea etiam 100., Mol. Leſſ. c. 21. n. 76. Lug. l. 6. *Reſp. Mor.* d. 8. dicunt, eſſe licitum, quia tanti valoris erat in ſe illud creditum; neque obſtat, quod tale creditum acerbum, hoc eſt difficile, æſtimetur minoris, itaut potuerit a Titio emi minori pretio, ut fatentur omnes; nam non ideo tenebaris vendere minoris, & poteras ſimiliter pro eo acceptare æquale pretium, ut etiam fatentur communiter cum Lug., & Leſs.: ergo potes etiam ſic mutuare. Denique, ſi mercatores credito vendentes v.g. rem valentem ad ſummum 100., vendant pro 105. numerandis poſt annum, committunt uſuram, nec illis favet hic titulus lucri ceſſantis; quia vendendo ad creditum (quod eſt virtualis mutuatio) plures habent emptores, pluresque res vendunt, & ſic compenſatur lucrum ceſſans, atque adeo illud non ceſſat ratione hujus venditionis: Dian. p. 2. t. 8. r. 34. Buſemb., & alii.

Quæres ſecundo, An liceat exigere, &c., eo quod mutuans te obliges ad non repetendam ſortem intra certum tempus?

Reſpondeo negative, ex Prop. 42. damnata ab Alex. VII. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Et ratio damnationis eſt, quia obligatio ad carendum pecunia mutuata eſt intrinſeca mutuo; & quamvis fiat ad longum tempus, id tamen aliud non eſt, quam mutuum pro-

Digitized by Google

rogatum, seu extensio beneficii gratuiti: ergo, si nullum sit periculum lucri cessantis, damni emergentis, aut sortis amittendæ, nihil ex tali obligatione potes ultra sortem exigere. Idemque est, si proroges terminum, qui præfixus erat pro restituendo mutuo; sicut enim nihil potes exigere ratione præcedentis temporis, ita nec sequentis; quia quidquid exigitur ratione temporis præcise, est usurarium: D. Th., & alii communiter.

Itaque, si mutuans obliges te ad non repetendam sortem v. g. per decennium, vel prævides periculum probabile, quod interim ea indigeas, & poteris aliquid exigere, ut serveris indemnis: vel non prævides tale periculum, & nihil potes exigere pro periculo mere possibili, ac remoto, juxta dicta cap. antecedenti. Cæterum, si expresse te obliges ad non repetendam sortem, etiamsi postea gravissime ea indigeres, Steph. apud Croix putat, posse aliquid exigere, quia talis obligatio ita expressa non videtur intrinseca mutuo, juxta dicta c. 1. q. 1. r. 3.

Quæres tertio, An liceat aliquid exigere a mutuatario tamquam debitum ex benevolentia, vel gratitudine?

Respondeo negative, ex Prop. 42. damnata ab Inn. XI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum.* Et ratio damnationis est, quia hoc ipso, quod exigitur tanquam debitum determinate, jam exigitur tanquam ex justitia: obligatio enim gratitudinis, quæ dicitur antidoralis, non cogit ad conferendum aliquod temporale, sed sufficit, si mutuatarius oret pro mutuante, aut si exhibeat alia signa benevolentiæ, ostendendo se paratum ad succurrendum ei in necessitatibus, &c., ergo obligatio, ut ex gratitudine solvat determinate auctarium, est onus, quod non oritur præcise ex gratitudine, adeoque usurarium. Contra vero non est usura, si mutues cum spe tantum, seu desiderio recipiendi aliquid supra sortem ex mera benevolentia, & gratitudine mutuatarii, quia talis spes non obligat, sed relinquit ei libertatem, & consequenter, si det aliquid, censetur donare, ac pro suo libito velle sic remunerare, cum æque posset aliter: neque obstat illud Luc. 6. *Date mutuum nihil inde sperantes*, quod etiam habetur cap. *Consuluit, de Usur.*; nam

in-

Digitized by Google

intelligitur de ſpe auctarii tanquam debiti immediate ex mutuo, non vero de ſpe mediante amicitia, vel gratitudine antidorali, cum plena libertate mutuatarii: D. Th., Navar., Mol., Leſ., Laym., & alii.

An autem ſit uſura, ſi mutuans moneat mutuatarium de hac gratuita remuneratione? Negant Cajet., Mol., Bonac., Salon., Lug., & alii, quia reipſa non obligat, ſed tantum petit obligationem antidoralem, ad quam quivis beneficium accipiens jure naturæ tenetur. Verum hæc ſententia non videtur practice probabilis; præſertim, ſi aliquod determinatum petatur, v.g. pecunia; nam obligationi antidorali ſatisfieri poteſt per quodvis: vel ſi petatur, antequam detur mutuum, cum ſic mutuatarius intelligeretur non ex mera liberali gratitudine, ſed ex tacita quadam conventione obligari: idemque eſt, ſi ſciat ejus indolem, quod non ſoleat aliis gratis mutuare: vel demum, ſi mutuans ſit nimis importunus in admonendo, cum ſic mutuatarius cogatur dare, ut redimat vexationem: Croix n. 908., & alii apud ipſum.

An autem mutuans teneatur ad reſtitutionem, ſi ipſe animo uſurario acceperit remunerationem, mutuatarius vero dederit liberaliter; vel vice verſa, ſi ipſe putavit datum liberaliter, ille vero putavit dare tanquam debitum; dictum eſt c.2., obligari in ſecundo caſu, poſtquam id noverit; in primo vero caſu non obligari, poſtquam ejus animum reſcierit.

Quæres quarto, An liceat in mutuo contractus mohatra, ſeu *a Baratta?*

Reſpondeo negative, ex prop. 40. damnata ab Inn. XI. *Contractus mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.* Et ratio damnationis eſt, quia contractus mohatra eſt, cum Cajus indigens pecunia adit mercatorem, qui nolens mutuare, offert merces, ut emat eas pecunia credita pretio juſto ſummo, puta 24., cum pacto ſive explicito, ſive implicito, ut eaſdem ſibi revendat pecunia numerata pretio juſto minori puta 20., ſicque Cajus accipit 20. pecunia numerata, cum onere reſtituendi poſt annum 24. Hic certe habetur injuſtitia, quia venduntur merces pretio ſummo, licet juſto, ſed cum onere retrovendendi

pre-

Digitized by Google

pretio minori, quod onus est supra valorem mercium: habetur etiam usura palliata, quia oretenus tantum fit venditio, & emptio, revera tamen habetur mutuum, & lucrum ex mutuo.

Cæterum, si mercator bona fide offerret Cajo merces ad creditum pretio summo, absque ullo pacto retrovendendi sibi, sed cui illi placeret, tunc si Cajus ei revenderet easdem pretio minori, satis probabile est, non committi injustitiam, nec usuram; quia sic nihil exigeretur vi primæ venditionis: Nav., Mol., Less., Bonac., & alii. Peccare tamen posset talis mercator peccato scandali, si videretur velle ditescere ex miseriis Caii indigentis pecunia, & etiam contra charitatem, si videret gravem ejus indigentiam. Imo si in ea venditione dicat, *Paratus sum redimere, si velis, pretio minori*, quamvis speculative loquendo excusetur a Lugo; practice tamen facile intercedit pactum implicitum.

Quæres quinto, An sit usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius aliquid tibi præstet?

Respondeo, Si mutues cum pacto, ut ille tibi de præsenti, non quidem donet, sed mutuet aliud, quod habet, vel vendat, aut emat (dummodo id non sit gravius illi, quam tibi tua mutuatio) probabiliter excusari ab usura; quia remutuare, vel vendere in præsenti, non est pretio æstimabile, nec petitur, ut pretium, sed ut mera conditio, sub qua vis mutuare: D.Th., Suar., Less., & alii. Similiter neque est usura, si te obliges ad mutuandam imposterum pecuniam cum pacto, quod alter vicissim se obliget ad mutuandum imposterum tibi frumentum, vel ad emendas a te merces; quia hæc reciproca obligatio (modo sit æqualis) non imponitur ratione mutui, sed propter obligationem mutuandi: Mol., & alii. Unde etiam fit, ut si mutues obligando te ad iterum mutuandum, quandocumque alter petierit, possis pro tali obligatione aliquid exigere; talis enim obligatio non est intrinseca mutuo, & est valde onerosa, & pretio æstimabilis: D.Th., Less., Tamb., & alii communiter contra Moyam. Contra vero, si mutues cum pacto, ut alter imposterum tibi vicissim mutuet, est usura; quia imponitur ei obligatio pretio æstimabilis, quæ non est intrinseca mutuo: D. Th., & alii communiter.

Idem-

Digitized by Google

Idemque est, si mutues cum pacto, ut colat tuos agros, etiam pro pretio justo; vel ut pro te fidejubeat in alio negotio; vel ut frequentet tuas officinas ad emendas merces; vel ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget; vel ut restituat mutuum, v. g. pecuniarium in frumento, aliave re, licet æqualis valoris; vel ut partem mutui exigat a tuo debitore, a quo non facile extorquetur; vel ut interim, dum non restituitur mutuum, sis liber a tributis, aut oneribus justis solvendis; vel ut restituat mutuum frumentarium eo tempore, quo scis, fore majoris pretii, aut alibi, ubi pluris valet cum majoribus sumptibus, & laboribus, vel demum ut tibi remittat injuriam, quam aliunde non tenetur remittere. Ratio horum est, quia hæc omnia sunt extrinseca mutuo, & pretio æstimabilia: Croix n.891.,&c.

Non est autem usura, si mutues cum pacto, ut tibi remittat odium, vindictam, aut exequatur aliquid aliunde debitum ex justitia; quia sic petis quod aliunde debetur: si autem, ut exequatur aliquid debitum tantum ex charitate, Nav., Sal., & alii dicunt, esse usuram, quia superadditur nova obligatio justitiæ; & hæc sententia est probabilior, quia obligatio justitiæ obligat etiam ad damna sequuta, quod non facit obligatio charitatis: sed Pal., & alii negant, quia obligatio justitiæ addita debito charitatis cedit potius in utilitatem ejus, quem obligat, ut contra charitatem non peccet: utramque sententiam vocat probabilem Tamb. apud Croix n.894. Si vero mutuas cum pacto, ut honoreris, vel commenderis ab illo, est usura; quia, quamvis laus non sit pretio æstimabilis, tamen est talis obligatio ad illam; ideoque, quamvis D.Th. dicat, licere pro mutuo amorem, benevolentiam, & similia; tamen hæc exigere, tanquam debita, est usura, ut notat Val. idemque est, si mutues cum pacto Beneficii Ecclesiastici, Reliquiæ, Sacramenti, &c., in quibus est etiam Simonia.

Quæres demum, Quandonam committatur usura circa alios contractus?

Respondeo, Si petenti mutuum dicas, non mutuo, sed hac pecunia emo operas tuas ad futuram messem, quanti tunc valebunt, non est usura; quia tunc non est mutuum, sed emptio operum cum anticipata solutione pretii: Mol., Laym., & alii communiter. Item, si petenti 100. duca-

Digitized by Google

ducatos mutuos dicas, non mutuo, sed a te emo tuas sex vaccas pro 100., quos trado, easque vaccas tibi iterum loco pro annua pensione 12. ducatorum, non est usura; quia periculum vaccarum spectat ad te Dominum; est tamen periculum usuræ, si non fiat sincere, nec serventur conditiones locationis: Croix n. 895. Si deponas pecuniam apud Titium, data ei facultate utendi cum pacto, ut pro usu solvat aliquid annuatim, est usura palliata; quia videtur reipsa mutuum, ut habetur *l. Certi, ff. de Reb. cred.*; cum enim detur jus disponendi de re usu consumptibili, reipsa transfertur dominium: Laym., & alii. Idem est, si constituas Titium Procuratorem tuorum reddituum, data ei facultate utendi tuis pecuniis cum pacto., ut aliquid amplius solvat: Croix n. 898.

Contractus *Antichriseos*, vulgo *a godere*, est contractus pignoris, vel hypothecæ adjectus mutuo, quo convenitur, ut mutuator tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ, vel hypothecatæ, donec sors restituatur: an autem id liceat, videbimus d. 3.

* Meminisse hic ultimo juvat Epistolæ Encyclicæ Benedicti XIV. editæ hac super re die 1. Nov. 1745., incipientis: *Vix pervenit*, cujus hæc summa:

I. Coacta coram Pontifice Congregatione ex Cardinalibus, Theologis, Virisque Canonum peritissimis, Pontifex præcipit, Doctrinam de Usura exponi. Doctrina unanimi illorum consensu probata hæc continet. Primo: *Quod Usura sit lucrum ultra sortem ratione mutui proveniens:* Secundo: *Quod ad istam labem purgandam nullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non est magnum, sed exiguum; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; vel datam sibi mutuo summam non relicturus otiosam, sed eam utilissime sit impensurus.* Tertio: *Per hæc non negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos concurrere, aliosque diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, ex quibus justa causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi.* Quarto: *In ejusmodi contractibus servari debet æqualitas, itaut ne quid plus justo recipiatur, si minus ad usuram, spectans: at certe ad aliam veram injustitiam.* Quinto: *Illud*

ani-

Digitized by Google

animadvertendum, falso sibi quemquam persuasurum, cum divinis Documentis, Ecclesiæ judicio de Usura, sensui communi, & naturali rationi adversetur, reperiri semper titulos justos in mutuo; vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum præsidio semper liceat auctarium moderatum; Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur Homo simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, Christo Domino dicente: Volenti mutuare a te ne avertaris. Matth. 5. 42. *Et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit.*

II. Pontifex relatam doctrinam probat, eamque doceri, & servari jubet, & *eum, qui parere detrectet, obnoxium declarat, & subjectum pœnis per Sacros Canones statutis in eos, qui mandata Apostolica contempserint, ac violarint. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit nihil*, ait, *in præsentia statuimus: nihil modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias.* *

DISPUTATIO III.

De Contractibus Onerosis.

CONTRACTUS Onerosi præcipue sunt Emptio, & Venditio, Census, Cambium, Societas, Sponsio, & Ludus, Locatio, & Conductio, Emphyteusis, Libellus, & Feudum, Assecuratio, Fidejussio, Pignus, & Hypotheca. De omnibus est hic agendum.

QUÆSTIO I.

De Emptione, & Venditione.

EMPTIO est *Pactio pretii pro merce:* Venditio est *Pactio mercis pro pretio*; ut colligitur ex *l.* 1., *ff. de Contr. Empt.* Itaque videndum I. de Pretio: II. de Merce: III. de ipsa Venditionis, & Emptionis pactione.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid de Pretio?

PRETIUM est *Pecunia, quæ pro merce datur*. Hinc ante inventionem pecuniæ non erat emptio, & venditio, sed tantum permutatio rerum per contractum innominatum *Do, ut des*. Quia vero id erat vulgo incommodum, inventa est pecunia, ut esset mensura, & pretium omnium, quæ in contractus humanos veniunt, ut not. Philos. 5. eth. 5.

Quæres primo, Quodnam sit pretium justum?

Respondeo, Esse illud, quod taxatum est, vel a Lege, vel a communi hominum æstimatione: illud dicitur legitimum, seu legale: hoc vulgare, seu naturale. Itaque

I. Pretium legale consistit in indivisibili, & ex justitia servari debet sub onere restitutionis: desinit autem obligare hæc taxa legalis, si ab initio, vel mutatis deinde circumstantiis fiat certo injusta, hoc est infra, aut supra fines pretii naturalis: Illsun. n. 309. cum communi: aut, si res tuæ sint notabiliter meliores, vel alienæ deteriores, quam, quæ communiter in foro venduntur; aut si Superior permittat vendi extra taxam, quamvis unum, vel alterum puniat: Fagund., Tamb., & alii. Potest autem emptor emere infra taxam, si hæc in ejus favorem sit posita, quia nemo obligatur uti tali favore: contra vero peccat v. g. macellarius, si meliores carnes vendat supra taxam, ossa vero, & viliora infra taxam, quia tenetur æqualiter partiri carnes cum proportione partium meliorum, & viliorum: Croix n. 931.

II. Pretium naturale, seu vulgare, quod scilicet secluso lege positiva res habent ex communi hominum æstimatione, est triplex: infimum, medium, summum. Qua in re, si pretium medium sit 10, infimum erit 8, summum 12. Et ita de aliis, servata proportione; semper tamen minuendo, ut putat Mol., ut si medium sit 100. infimum debeat esse 95. summum 105., notat tamen Spor., pro hoc tempore id dici scrupulose; ideoque, putat standum judicio prudentium, secundum circumstantias fori, & communem sensum negotiatorum: Croix n. 932. Itaque, si pretium non sit taxatum a lege, licite vendi, aut emi potest merx

intra

Digitized by Google

intra latitudinem pretii vulgaris ſive ſummi, ſive medii, ſive infimi. Noto etiam, hoc pretium ſecundum ſuam latitudinem ſæpe mutari; nam creſcere poteſt ex penuria mercis, item ex frequentia emptorum, & pecuniarum, item, ſi res vendatur apud celebrem artificem, quia hujus nobilitas celebrat artefactum; item, qui res minutim vendunt, poſſunt aliquanto carius vendere, quam, qui in magna ſimul quantitate, quia majores expenſas, labores, &c. expendere debent ad eas conſervandas: Salon., Trul., & alii. Item vendi poteſt res carius pretio currente, ſi adſint alii boni tituli, & de his emptor moneatur, cum ſic non fiat ei injuria; tales ſunt lucrum ceſſans, damnum emergens, incommodum, vel moleſtia tibi obventura ex rei venditione, &c. Laym., & alii: At non licet vendere rem ultra pretium juſtum hoc ſolo titulo, quod videas, emptorem valde ea indigere, aut erga illam affici, quia indigentia illa, vel affectus emptoris non eſt quid merci intrinſecum: Bon., Leſs. n.31., & alii: neque eo titulo, quod ipſe venditor circa eam mercem paſſus ſit infortunium, quia res tanti valet, quanti æſtimatur communiter, non quanti tibi per infortunium, vel imprudentiam valuit; quod ſi infortunium multis mercatoribus commune induceret penuriam mercis, jam augeri poſſet pretium, etiam pro eo, qui infortunium non eſſet paſſus: Croix n. 933.

Contra vero, decreſcere poteſt pretium vulgare ex copia mercium; item ex penuria emptorum, vel pecuniarum; item, ſi emptor multa ſimul emat ab eodem, quia tunc eum liberat multis curis, & expeditum facit ad alia nova comparanda: Bon., Leſs. n.32., item merces extra officinam ultro oblatæ vileſcunt pro tertia parte ex communi proverbio apud Cajet., imo ſecundum Reb., & alios vileſcunt uſque ad dimidium; quia ſignum eſt, quod ſit, vel paucitas emptorum, vel modica mercis neceſſitas, aut exigua utilitas. Item poteſt emptor rem emere vilius, quam valeat, ſi ei non ſit commoda, vel emat in gratiam venditoris, aut ſimiles ſint circumſtantiæ, quæ rem faciant viliorem. Quod autem venditor neceſſitate ductus vendat vilius, non facit, ut venditio non ſit voluntaria, inquit Cajet.; poteſt tamen peccari contra charitatem, ſi, quando pauperculi extrema inopia res ſuas vendere coguntur, ni-

mis

Digitized by Google

mis viliter ab eis emas: Laym. n. 10.

Quæres secundo, Ad quid teneatur, qui vendidit rem supra summum pretium, vel emit infra infimum?

Respondeo, Si læsio sit ultra, vel infra dimidium justi pretii, dari sæpe, etiam in foro externo, actionem contra lædentem, ut, vel rescindatur contractus, vel reducatur ad æqualitatem: Pal., Illsun. a n. 419. Si autem excessus, vel defectus non attingat dimidium justi pretii, sit tamen extra hujus fines, quamvis aliqui Juristæ, dixerint licere; tamen Doctores communiter cum D. Th. docent, certam esse in conscientia obligationem restituendi, quia revera fit injuria. Excipe res, quæ sub hasta venduntur, quæ admittunt totum illud pretium, quod sine fraude haberi potest, ideoque emi, vel vendi possunt pretio parvo, vel magno, etiam infra, vel supra dimidium, quo venderentur in officina; quia ita usus præscripsit: Mol., Bon., Laym., & alii.

Quæres tertio, An, qui scit pretium mercis mox notabiliter augendum, emere eam possit pretio nunc currente multo minore?

Respondeo affirmative, Si id sciat scientia privata: idemque est, si privatim sciat, mercem, vel monetam aliquam mox prohibendam. Ratio est, quia potest mercem vendere, vel exponere monetam secundum æstimationem præsentem, cum hoc sit justum pretium, aut valor publicus pro nunc, nec ei nocere debeat privata notitia, quam de re aliqua habet: Croix n. 938. Dixi, *Notitia privata*; nam omnes cum Lug. d. 26. n. 140. docent Magistratus ipsos, qui pretia rerum mutant, vel talia vendi, aut exponi prohibent, non excusari, si studio id faciant, vel expectent, donec ipsi omnia sua vendiderint, aut exposuerint, quia ex officio tenentur impedire damna communia, & facere, ut ex suis legibus, quantum fieri potest, unus non gravetur præ altero. Addit tamen Lug., posse eos non aliter, ac alios, bona fide vendere sua, non obstante tali notitia, quando in eadem quantitate sine tali notitia venditurі fuissent. Item, si quæstor jubeatur a Principe, ut statim vendat 100 modios pretio currenti, v. g. singulos aureo, & sciat, pretium augendum intra mensem, licite facit dando principi 100 aureos, volendo sibi rem emere cum spe istius lucri post mensem; quia habebat jus emendi non aliter, ac quivis alius: Croix n. 939.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres quarto, An res, quæ non habent pretium legitimum, nec vulgare, possint vendi, quanti volet Dominus?

Respondeo, Has res esse, quæ dicuntur raræ, & peregrinæ, & voluptuosæ, ut gemmæ quædam, insignes canes, falcones, aves indicæ, picturæ veteres, & similia; & de his affirmant Sot., Med., Led., Salon., Valent., Nav., Sa, Baun., & alii, quia, cum non sint necessaria vitæ humanæ, non veniunt in commercium, & taxationem communem; ideoque, si quis velit ea emere, censebitur sponte velle dare, quantum alter exigit; alioquin enim non emeret, cum nulla necessitas eum ad hoc compellat. Contra Cajet., Mol., Rebel., Less., Sal., Pal., & alii putant, non posse vendi, nisi quantum prudentium arbitrio spectatis circumstantiis censetur, quia non ideo res tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere, sed quia ita judicio prudentium videtur: atque hæc sententia est probabilior, licet illa sit etiam probabilis: Croix n. 941.

Quæres quinto, An liceat vendere rem supra summum pretium præcise ob dilationem solutionis, aut emere infra infimum pretium præcise ob anticipatam solutionem?

Respondeo negative; Quia utrobique habetur implicitum quoddam mutuum, & consequenter usura; dum enim venditor permittit dilationem solutionis, perinde facit, ac si acceptam pecuniam ab emptore eidem mutuet: & similiter, dum emptor anticipat solutionem, implicite mutuat: ergo, dum talis venditor pro dilatione solutionis aliquid accipit ultra pretium summum, est usurarius: & similiter est usurarius talis emptor, dum ei res empta pluris valens traditur: Doctores communiter. Dixi, *Præcise*; nam, si vendendo ad creditum, interveniat titulus lucri cessantis (nisi forte hoc compensetur frequentia emptorum) aut damni emergentis, aut periculi sortis, potest merx vendi carius pretio summo, juxta dicta in de Mutuo; uti etiam, si certum, vel satis probabile sit, rem tempore solutionis pluris valituram, & eam venditor constituerat usque ad illud tempus servare (qua ratione etiam posset præsenti pecunia pluris vendere) secus vero, si non constituerat servare: Less. c. 21. n. 52. Item merces, quæ ingenti copia ex India, aliisque locis deferuntur ad emporia, & communiter vendi solent credito variis mercato-

Digitized by Google

ribus ad terminum, ut dicitur, 6., 8., 9., vel 10. menſium, licite carius venduntur; quia hic modus facit, ut plurimi emptores ſeſe offerant, quorum copia auget pretium: Leſs. n. 57. Similiter contra minui poteſt pretium in anticipata ſolutione, ſi ex modo ſic emendi contingat, eſſe paucos emptores, & multos venditores, vel ſi interveniant tituli jam dicti.

Quæres ſexto, An liceat emere minoris apodixas, chirographa, & credita acerba, quæ ſcilicet matureſcent poſt annum?

Reſpondeo, Poſſe, ſi ea ſint dubia, aut difficilis exigentiæ, &c. Doctores communiter: quod verum eſt, etſi eadem ob ſingularem circumſtantiam eſſent facilia ementi; quia eorum æſtimatio pendet ex communi æſtimatione, licet huic, vel illi aliter contingat: Mol., Leſ., Bonac., Laym., Lug., & alii probabilius contra alios. Si autem ea credita ſint certa, & facilia, nec adſit damnum, nec ceſſet lucrum ementi, adhuc poſſe ea emi minoris, putant Cajet., Ab., & alii, quos ſequitur Dian., quia jus recipiendi poſt annum v.g. 100. videtur quoad humanum uſum quid minus, quam 100. præſentes; ſed communiſſime contradicunt D. Th., Lug., Leſſ., & alii, quia committeretur uſura ob virtuale mutuum, juxta dicta d. 2. q. 4. c. 3. excipiunt tamen Nav., & Leſſ., niſi talia credita obtruderentur, quia merces ultroneæ vileſcunt, & merito tunc præſumitur ſubeſſe vitium, vel periculum; ideoque notat Lugo, in praxi veram eſſe primam ſententiam, cum vix ſint credita tam certa, ut abſit omne periculum ſortis, ſumptuum, aut moleſtiarum; additque contra Mol., poſſe etiam emi minoris ab ipſomet debitore, dummodo ipſe non ſit cauſa difficultatum, &c.

Si Cajus habens redditum annuum 6. aureorum, ob indigentiam pecuniæ eum vendat Titio ad tres annos pro 16. aureis, D. Th. *Opuſ.* 73. c. 9. recte ait, eſſe uſuram ex parte Titii, quia plus acquirit, aut ſaltem certo ſperat, quam det, eſtque virtuale mutuum. Si Cajus prætendens, deberi ſibi 100. a Titio, vendat hanc actionem litigioſam Sempronio pro 40. addens, ſe gratis ei donare reliquos 60., Juſtin. *L.* 23. cap. *Mandati* ſtatuit, Titium ſatisfacere ſolvendo Sempronio ſolos 40., quos is dedit Cajo pro ceſſione illa,

eo

Digitized by Google

eo quod per istas emptiones litium dantur occasiones vexandi proximum; verum hæc lex, cum sit pœnalis, non obligat in conscientia Sempronium, ut acquiescat, nisi post sententiam Judicis; ut notant communiter cum Haunol. Denique, si Cajus debeat Titio 100., solvendo singulis annis 5. pro interesse, rogetque Sempronium, ut suscipiat in se debitum ad quatuor annos, promittens ei post 4. annos satisfacere: Sempronius autem primo anno solvat capitale Titio, sicque se liberet ab interesse solvendo, Lug. d. 28. putat, Cajum post quatuor annos teneri dare Sempronio 120., quia talis contractus fuit ab initio justus.

Quæres demum, An vendens rem frugiferam ad creditum possit contrahere cum emptore de percipiendis fructibus, donec solvatur pretium, vel de pensione solvenda?

Respondeo negative, per se loquendo, quia res vendita transit in dominium emptoris, cui proinde perit, si pereat; ideoque illi debentur fructus, nec tenetur ad pensionem præcise ratione dilatæ solutionis: Reb., Les., Laym., Pal., & alii communiter contra Covar., Mol., & alios. Dixi, *Per se loquendo*; nam, si venditori emergat damnum, vel cesset lucrum ex tali dilatione, aut si suscipiat in se periculum rei venditæ, potest percipere fructus saltem ex parte, uti statuitur a lege: idemque est, si contrahentes velint, tamdiu rem non censeri venditam, sed quasi locatam sub certa pensione, usquedum solvatur pretium, quia sic periculum remanet apud venditorem, tamquam dominum. Præterea Lug. d. 25. n. 140., & alii putant, posse venditorem, translato rei dominio, velle retinere sibi jus ad fructus, donec ei solvatur pretium, tumque locatis fructibus exigere aliquam pro his pensionem; sed in hoc contradicunt communiter Doctores apud Croix n. 981.

CAPUT II.

Quid de Merce?

MERX vocatur quævis res vendibilis; tales sunt omnes res mobiles, & immobiles, actiones, & jura, quæ pecunia æstimari, & comparari solent: item pecunia ipsa, non secundum se, sed ratione materiæ, vel circumstantiæ antiquitatis, novitatis, pulchritudinis,

Digitized by Google

&c. Item omnia bona præsentia, & futura; hæc enim uno actu simul vendi possunt (licet non possint donari, juxta dicta d. 2. q. 1. c. 2.) quia per talem venditionem non impeditur libera facultas testandi. Item merx vendibilis est hæreditas jam delata, non tamen, quæ expectatur ab homine vivente; hujus enim venditio est irrita, utpote contra bonos mores, juxta dicta d. 1. Neque Beneficia, & reliquæ res Sacræ, utpote pretio inæstimabiles, juxta dicenda in de Simonia. Neque demum officia temporalia, quæ jure naturæ invendibilia dicunt Andr., & Salon., Jure tantum positivo dicit Azor., quod tamen passim non observatur, etiam in Curia Romana, modo vendantur pretio moderato, & iis, qui bene officium administrent.

Quæres primo, An venditor teneatur vitium, vel emptor bonitatem mercis manifestare?

Respondeo primo, Si vitium sit ita manifestum, ut quivis facile possit advertere, non teneri venditorem illud edicere, dummodo rem illam vendat justo pretio etiam considerato tali vitio; quia sibi imputet emptor, quod non adverterit: D. Th., & alii communiter. Excipe, nisi emptor ob imperitiam, aut aliam invincibilem ignorantiam advertere non potuit, quia respectu hujus est, ac si esset occultum, ut recte limitant communiter cum Pal. p. 22. n. 7. Si vitium sit occultum, & emptor interroget, tenetur vendens manifestare, quia secus habetur dolus dans causam contractui: Doctores communiter: quod Sporer putat esse verum, etiamsi vitium esset leve, quia emptor interrogando satis declaravit, se habere voluntatem emendi tantum conditionatam, si nullum vitium inesset, quod scire voluit; quamvis tunc possit venditor tacito vitio dicere, se bona fide vendere, spondendo indemnitatem, ut addit Tamb. apud Croix n. 950. Si vero emptor non interroget: tunc, si vitium occultum sit grave relate ad finem ab emptore intentum, tenetur venditor ex se manifestare; quia secus deciperet in re gravi: Salon., Rebel., Pal., & alii communiter contra Gabriel.: & sic peccat cum obligatione restituendi, qui frumentum venditurus ponit prius in loco humido, ut intumescat: si vero vitium illud occultum non reddat mercem inutilem fini ab emptore intento, vel sit admodum leve, satis proba-

Digitized by Google

babile eſt, non teneri manifeſtare, quia ſic res non venditur pluris, quam juſto pretio, ideoque non fit ementi injuria, licet forte emptio ſecundum quid ſit involuntaria: Sot., Val., Pal., & alii contra Ab., Reb., & alios.

Reſpondeo ſecundo, Emptorem teneri manifeſtare venditori ſimplici, & ignaro bonitatem mercis, puta gemmæ, quam is invenit, & vendere vult neſciens ejus valorem; quia ſecus non emit pretio juſto, ſeu non tanti, quanti in communi æſtimatione valet: Doctores communiter cum Pal. n. 2. idque verum eſt, etiamſi emptor dicat, *Volo tanti emere, ſi condones, ſi forte valeat ſupra*, quia ſic venditor non condonat libere, ſed involuntarie: Mol., Lug., & alii communiter contra Cajet., & Armil. Contra vero, ſi res in communi æſtimatione ſit vilis, & pro tali ematur, juſte retinetur, etſi dein cognoſcatur eſſe pretioſa, quia empta eſt juſto pretio vulgari, adeoque abſque errore in ſubſtantia morali: Doctores communiter cum Tamb. n. 41. Idem dicunt Lug., & Bonac. de illo, qui emeret piſcem, in quo reperiret gemmam, aut ſaccum lanæ hoſti ereptum, in quo lateret pecunia, aut faſcem herbarum ſciens, unam ibi eſſe pretioſam, & aliis communiter ignotam. Idem dicunt D. Th., Bonac., Lug., & alii multi contra Vaſq., Tur., Dian., & alios, ſi quis emeret agrum communi pretio, ſciens, ibi eſſe occultum theſaurum, vel venam auream, quia juxta communem hominum æſtimationem illud eſt juſtum pretium talis fundi, qui nec emitur ratione rei latentis, ſed ratione ſuperficiei, nec res latens eſt pars, aut fructus agri, & hoc dato, tamen pretio æſtimari non ſolet, niſi communiter cognoſcatur ſaltem a venditore; ſcientia autem privata ementis ei nocere non debet; ſecus enim eſſet deterioris conditionis, quam quicumque alius, qui ignorans rem ibi latentem emeret communi pretio, & poſtea reſciens non debet hoc compenſare. Denique neque committit dolum, quia utitur jure ſuo, quod ei dat communis æſtimatio: Leſſ., Bon., & alii.

Reſpondeo tertio, Emptorem, qui ſolvit pretium in moneta falſa tantum formaliter, hoc eſt in materia bona, ſed cum ſigno Principis ſine ulla auctoritate, non teneri tale vitium manifeſtare; quia, licet cudens peccaverit, tamen,

men, si ea postea exponatur, habet valorem intrinsecum, & communem. At si est materialiter falsa, hoc est non habens pondus communiter requisitum, aut justam ligam saltem in parte notabili, qui scienter exponit, peccat contra justitiam cum onere restituendi: & qui ignoranter exposuit, tenetur, id rescicns, commutare: & similiter, qui ab eo ignoranter accepit, & postea advertens defectum nesciat a quo acceperit, tenetur supprimere, aut vendere, quanti potest, manifestando vitium: Nav., & alii communiter. Hinc non est audiendus Dian. p. 3. t. 6. r. 3. dicens, probabiliter non obligari ad restitutionem, qui bona fide eam exposuit, vel accepit; non enim ei licet decipere alium, eo quod ipse sit deceptus ab aliis, sed suum detrimentum assignare debet suæ imprudentiæ, vel casui. Denique D. Th. *Opusc.* 73. c. 9. ex Aristotele ait, esse vitium usuræ, si quis cudat monetam, ut seipsum reddat ditiorem, intendendo tantum ejus multiplicationem sine necessitate Reipublicæ.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de venditione mercis, in qua intercedat fraus, vel mendacium?

Respondeo primo, Si fraude, vel mendacio inducas emptorem ad emendam mercem majori pretio, quam emptorus esset, teneris ad restitutionem excessus, quamvis pretium, quod dedit, adhuc fuerit intra fines justi; ratio est, quia agis contra jus, quod quisque habet, ne fraude, vel mendacio inducatur ad aliquod damnum: Pal. p. 35., & alii. Idem est, si fingas literas, vel spargas falsum rumorem de navibus submersis, quæ similes merces vehebant; ideoque carius vendas merces tuas: Pal., Reb., & alii. Si autem pretium sit jam auctum ex falso rumore non causato a te, Med., & Graff. te excusant a restitutione, si fuisti inscius fraudis; secus vero, si fuisti conscius; quamvis in neutro casu te excuset Pal., eo quod pretium falsis, & iniquis rumoribus introductum non sit voluntarie a Republica constitutum, nec approbatum. Cæterum, si ementi tantum diceres, vel etiam jurares, rem tibi pluris constare, pluris vendidisse aliis, te non posse vendere minoris, &c., utut emens sic inducatur ad plus (intra fines justi pretii) dandum, non est obligatio restituendi; quia, licet peccaveris sic mentiens, aut jurans, tamen satis notum est, ta-

Digitized by Google

lia communiter dici a venditoribus, licet vera non ſint; ideoque ſibi imputet, qui credit: Rebel., & Pal.

Reſpondeo ſecundo, Si vino meliori vinum vilius admiſceas, itaut ad commune fori vinum accedat, & hujus pretio vendas, licitum eſſe, dicunt Doctores communiter: idemque eſt de alia merce, quæ ex alterius rei mixtione non reddatur deterior, quam illa, quæ ſimili pretio venditur communiter ab aliis: Mol., Laym., aliique 12. apud Mendo. At ſi vino aquam admiſceas, abſolute non licere, dicunt Tamb., & alii multi, quia ſic ſemper redditur in ſe deterius, & citius aceſcit; quamvis Laym. c. 17. n. 15. ex Rebel. excuſet, ſi aliter non poſſis vendere pretio juſto, aut ſi injuſte taxatum ſit ejus pretium, & ematur, ut cito bibatur, ut cautius addunt alii, modo medicinæ non deſerviat. v. Tamb. Denique, ſi merx ſecundum ſe deterior ita per induſtriam admiſceatur, ut res melius temperetur, poſſe vendi conſueto pretio, dicunt Leſſ., & Lop.; negant tamen Pal., & alii cum Mendo, quia ſic daretur occaſio injuriis: Croix n. 957.

Reſpondeo tertio, Si vendas quid pro quo (ut Pharmacopolæ, qui ne cogantur fateri, ſe non habere certas ſpecies petitas, ſupponunt alias) eſt injuſtitia gravis, vel levis, pro ratione damni, vel periculi ægro cauſati; ſecus vero, ſi res ſit æquivalens virtute, nec ullum ſit tale periculum: Doctores communiter. Si vendas mercem pretio infimo, ſed tradas minorem menſuram, ita tamen, ut ſpectata etiam diminutione menſuræ maneatur intra fines juſti pretii, adhuc eſt injuſtitia, dicit Spor. apud Croix n. 954., quia non ſtas contractui, quem iniiſti de tradenda integra menſura; imo ſic fraudas etiam alios mercatores, qui jus habent, ne ementes per talem fraudem a ſuis officinis abſterreantur. Denique, ſi Piſtores faciant panes minoris ponderis, eo quod alioquin juſtum pretium ſecundum magiſtratus taxationem conſequi non poſſunt, licitum eſſe, inquiunt Laym., & Rebel.; ſed recte notat Pal., non eſſe facile præſumendam iniquitatem magiſtratus in taxando pretio, licet forte privatus per accidens patiatur damnum, quod alia via facile compenſabitur majori lucro.

Reſpondeo quarto, Si vendas in fraudem creditorum, quibus re vendita non poteris ſatisfacere, peccas; venditio

Digitized by Google

tamen est valida, si facta sit nescienti; si tamen facta sit scienti, rescindi potest a creditoribus intra annum; postea vero Mol., Less., & alii dicunt, emptorem esse in conscientia tutum, quod negant Nav., Laym., & alii, & utrumque est probabile: Croix n. 958. Si emas rem obligatam ad debita, teneris ad illa, quia res transit cum onere suo reali; nisi vero vendita fuerit ob extremam necessitatem, ut limitat Lug. d. 17. a n. 95., sicut enim poterat tunc consumi, ita alienari tamquam libera onere pro pleno pretio.

Quæres tertio, Quid dicendum de merce furtiva, vel de pretio furtivo?

Respondeo primo de merce: Si scias rem, quæ venditur, esse furtivam, potes modico pretio emere animo reddendi domino suo, si datum pretium refundat, quia sic utiliter geris ejus negotium: Doctores communiter; imo, si prudenter judicasses, illum voluisse refundere etiam magnum pretium, ideoque hoc furi dedisses, potes etiam hoc a Domino exigere, quia censeris utiliter gessisse illius negotium ex præsumpta ejus voluntate: Less., Tamb., & alii plures contra Lug. Contra vero, si eam emas animo retinendi, facis domino injuriam, etiamsi scias, ab aliis emendam, vel consumendam; quia quicumque sic emens cooperatur furi: ergo tu præveniens in emendo prævenis in injuria: idemque est, si prudenter dubites, eam esse furtivam, quia exponis te periculo usurpandi alienum; nisi vero dubium sit leve, cum delicta non præsumantur. Quod si certo sciens, rem esse alienam, tamen præsumeres, a domino haberi jam pro derelicta, potes emere tibi etiam viliſſimo pretio, quia sic facis tuam titulo occupationis: domino tamen postea comparenti deberes reddere, si eam reipsa non habuisset pro derelicta: Tamb. c. 8. n. 14.

Si tum venditor, tum emptor sciant, mercem, v. g. equum esse alienum, restitui debet pretium emptori, & equus suo domino, quia contractus ex utraque parte fuit nullus: idemque est, si neuter, vel si solus venditor sciat, equum esse alienum; quia sic emens non vult transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium equi, quod in casu non obtinet, contra Less. At, si solus emptor sciat, equum esse alienum, venditor autem bona fide putet, esse suum, hic acquirit dominium pretii jam accepti, quia

hoc

Digitized by Google

hoc ille voluntarie tranſtulit, cum ſciret, ſe non poſſe acquirere dominium equi: Croix n. 694. ex l. 28. *de Contrah. empt.*

Emptor bonæ fidei, qui eadem bona fide vendidit Cajo equum furtivum, poſtquam id noverit, tenetur reſtituere pretium Cajo, ſi equus a proprio domino repetatur, quia tenetur Cajo de evictione: Doctores communiter; at non tenetur reſtituere illud pretium domino equi jam mortui apud Cajum, quia illud erat Caii, nec ſuccedit in locum equi, quem bona fide dedit: Sanch., Laym., Lug., & alii contra Sot., Med., Cov., Nav., & alios apud Croix n. 966. At, ſi equum dono acceptum a fure vendidiſſes Cajo pretio ſummo, teneris pretium ſaltem medium dare domino equi, quia ſecus ex re aliena fieres ditior; exceſſus autem cenſetur potius fructus tuæ induſtriæ: Lugo d. 17. n. 105. Idemque probabiliter eſt, ſi equum emptum a fure vendidiſſes Cajo pretio ſummo, & poſtea redemiſſes pretio medio, cum hic etiam exceſſus ſit fructus induſtriæ, vel fortunæ: Mol., Reb., Leſ., Laym., Lug. n. 19.

Denique licitum eſt bona fidelium injuſto bello a piratis capta emere ſibi; quia præſumitur voluntas dominorum eſſe, ut potius fideles ea ſibi habeant, quam infideles: requiritur tamen animus reſtituendi ſic empta, ſi domini compareant, & pretium datum reddant; ita ex Decr. S.C. approb. ab Urb. VIII. apud Croix n. 972. Idem probabiliter eſt, ſi emas bona immobilia Eccleſiaſtica ab Hæreticis poſſeſſa, & retineas uſquedum ab Eccleſia occupari poſſint, quia hic etiam eſt præſumpta voluntas Papæ, & dominorum; ſi autem ſint bona mobilia, debes, ſi potes, tradere Eccleſiæ, & datum pretium ab ea repetere: Croix ib.

Reſpondeo ſecundo de pretio furtivo: Si pro venditione tui equi bona fide accepiſti pretium furtivum, & deinde compareat dominus pretii, teneris reddere, ſi adhuc extet; ſi autem conſumpſeris, vel immiſcueris tuis pecuniis, ut diſcerni non poſſit, ad nihil teneris, quia non es factus ditior: Nav., Sanch., Vaſq., Laym., & alii communiter. Idem eſt, ſi bona fide emiſti triticum alienum, & immiſcuiſti tuo, quia per mixtionem factum eſt tuum.

Quæres quarto, Quid dicendum de iis, qui vendunt, vel emunt ex mandato alterius?

Re-

Digitized by Google

Respondeo, Si cui datum est aliquid vendendum pretio, v. g. medio, & is vendat summo, Less. negat, posse sibi retinere excessum, quia Dominus sic determinando videtur solum voluisse, ne venderetur infra, non autem, ne supra; sed probabile est, posse, quia sua industria acquisivit: Busemb., & alii; & consentit Less., si ille rem sibi emerit pretio illo determinato, & postea suo nomine venderet pluris. At, si Dominus ei mandasset rem vendere meliori modo, quo posset, tunc, si is sit in ejus famulatu, vel mercede conductus, vel gratis hoc officium præstandum suscepit, quanticumque vendat, nihil potest sibi usurpare: Less. c. 21. n. 138., nisi vero industriam, ac laborem omnino indebitum ea intentione adhibuerit. Eadem dic de iis, quibus mandatur aliquid vendere, & de Proxenetis, vulgo *Sensali*. Denique Sartores pro aliis ementes pannum a suis mercatoribus minoris, quam communiter alii emunt, possunt partem pretii sibi remissam retinere; quia sic nulli fit injuria: Bus., Fil., Dian., p. 1. t. 8. r. 26. contra Sal. Si Cajus ex commissione Titii adhibita debita diligentia comperit, pretium rei offerri 1000, &, dum eam liberat, alius obtulit 1500., ac retinuit sibi 500. bona fide, ex Lug. eruitur posse retinere; quia virtualiter habuit voluntatem sibi prius emendi, &c.

Quæres quinto, Quid dicendum de periculo, & commodo rei venditæ?

Respondeo primo, Si res vendita pereat post traditionem, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit: at si pereat ante traditionem; tunc, si res sit certa, ac determinata, puta hic equus, hoc dolium vini, etiam perit emptori, adeoque non tenetur venditor ejus pretium restituere; quia talis venditio absolute, & perfecte celebrata sufficiens est jure gentium ad transferendum dominium; quod autem re ipsa dominium rei nondum traditæ non transferatur, est ex dispositione juris civilis, quod tamen voluit impedire, ne omnia rei commoda, & incommoda ad emptorem pertinerent: Less. c. 22. n. 96., & alii communiter ex *plur. leg.* Excipe, nisi aliter sit conventum, vel nisi venditor sit in mora tradendi, vel nisi sua culpa res periisset; sic enim teneretur reficere damnum emptori: Less., Croix n. 705. Si autem res vendita sit indeter-

mi-

minata, puta 10 modii tritici ex meſſe, vel granario, 10 oves ex grege, &c., aut determinata, ſed ad menſuram, aut ſub conditione, puta totus acervus tritici menſurandus, totum dolium, ſi deguſtetur; tunc ante menſurationem, aut deguſtationem periculum pertinet ad venditorem; quia in his intelligitur tacita conditio, *ſi res tradatur*: Leſs. n. 97. ex *iiſdem legib.* Deterioratio autem, ſi ſit abſque culpa, & mora venditoris, ſemper pertinet ad emptorem, quia emit rem, prout erit tempore traditionis, exponens ſe fortuitis eventibus: Sylv., Cov., Leſs. n. 98.

Reſpondeo ſecundo, Si res abſolute, & perfecte vendita, nondum tamen tradita, habeat fructus maturos, aut immaturos actu pendentes, hi omnes ſpectant ad emptorem, etiamſi nondum ſolverit pretium (niſi aliter ſit conventum) quia ſic ſunt pars rei emptæ: Leſs. n. 100., & alii communiter ex *cit. leg.* Hinc, ſi vinea habens uvam vendita ſit ante autumnum, traditio autem fiat, poſtquam uvæ a venditore ſunt collectæ, detrahendum eſt de pretio, quantum uvæ tempore contractus pendentes æſtimabantur: ſimiliter penſio domus locatæ pro tempore ſequente ad venditionem, etiam ante traditionem ſpectat ad emptorem, quia ſe habet per modum fructus pendentis: Mol., Leſs., & alii. De fructibus vero non pendentibus, ſed futuris, Juriſtæ, quibus accedunt Cov., Mol., Reb., Sanch., Leſs., & alii dicunt, eos pertinere ad venditorem, etſi res ſit tradita, ſed pretium nondum ſit ſolutum, aut oblatum, quia videtur iniquum, ut emptor percipiat fructus ex re, & venditor non poſſit frui pretio. Sed Sylv., Arm., Lop., Pal., & alii probabiliter dicunt, etiam pertinere ad emptorem, quia, cum ei debeatur res, debentur etiam fructus, quandocumque naſcantur, tanquam acceſſorii; quod commodum compenſatur incommodo, quod ſi interim pereat, ſibi etiam pereat: pretium autem nondum ſolutum per ſe loquendo eſt ejuſdem valoris, ac ſolutum, juxta dicta de mutuo: hinc etiam, ſi poſtea reſcindatur contractus, fructus temporis intermedii pertinent ad ipſum: Mol. Similiter ei debetur media pars theſauri a tertio ibi reperti: Illſ. n. 414.

Cæterum ex jure poſitivo dominium rei venditæ nunquam cenſetur translatum in emptorem, etiamſi res ſit tra-

Digitized by Google

tradita, nisi solutum sit pretium; præsertim, si venditor sit Fiscus, Minor, aut Ecclesia; pro aliis enim sufficit, si pretium sit saltem assecuratum per pignus, vel fidejussorem, vel fidehabitionem, vel si recusent pretium oblatum, vel contenti sint promissione: Mol., Lug., & alii. Si autem eadem res sit duobus vendita, tunc, si prior emptor solvit pretium, posterior, qui non solvit, licet rem habeat, non acquirit dominium, nisi sit locus pius, vel Civitas bona fide ementes: Illsi. n. 413.; si posterior emptor solvit, & non sit locus pius, aut Civitas bona fide ementes, prior emptor intra annum a die scientiæ habet jus repetendi rem; quod si intra annum non repetat, secundus emptor in utroque foro est tutus, modo ipse non induxerit venditorem: Illsi., Laym., & alii.

CAPUT III.

Quid de reliquis pertinentibus ad venditionem, & emptionem?

PERTINENT ad venditionem, & emptionem Pactum retrovendendi, aliave Pacta, Retractus gentilitius, Monopolium, & Negotiatio.

Quæres primo, Quid dicendum de Pacto retrovendendi? Respondeo primo, Licitam esse venditionem, & emptionem cum pacto redemptionis, vel retrovenditionis, modo fiat justo pretio. Et quidem de venditione cum pacto redemptionis in favorem venditoris est communis Doctorum sententia, quia quivis est arbiter rei suæ, adeoque potest imponere ei modum, quem vult. De emptione autem cum pacto retrovenditionis in favorem emptoris, quamvis aliqui negent, tamen Cov., Less., & alii communius etiam affirmant, quia, sicut justo pretio potest compensari onus, quod venditor imponit emptori, ita etiam onus, quod emptor imponeret venditori, modo utrumque fiat justo pretio. Itaque, quando res venditur cum pacto redemptionis in favorem solius venditoris (quo scilicet fiat ei tantum potestas redimendi, si velit) debet ea vendi minoris, quam per se res æstimetur, quia imponitur emptori onus quoddam pretio æstimabile: quando res emitur cum pacto retrovenditionis in favorem solius emptoris (quo scilicet

fiat

Digitized by Google

fiat ei tantum potestas retrovendendi, si velit) debet ea emi pluris, quam ipsa per se valeat, quia imponitur onus venditori pretio æstimabile. Quando vero pactum appositum sit contractui in favorem utriusque, itaut in potestate venditoris sit redimere, & emptoris retrovendere, tunc res vendi quidem debet minoris, quam in se valeat, sed pluris, quam si venderetur cum pacto redimendi in favorem solius venditoris: quare, si res per se valeret 100, cum pacto autem in favorem solius venditoris, 80; dum apponitur pactum in favorem utriusque, valebit forte 88, vel 90, prout prudens vir arbitrabitur spectatis circumstantiis: Less. c. 21. a n. 113., & alii communiter.

Quæres secundo, Quid dicendum de aliis pactis venditioni, & emptioni adjectis?

Respondeo, Adjici posse primo, *Pactum commissorium*, itaut, si intra certum tempus non solvatur pretium, res censeatur non vendita, sicque emptor dicitur cadere in commissum: &, si hoc pactum sit conceptum verbis directis, quibus scilicet exprimatur, quod contractus ab initio censeatur irritus, omnes fructus rei interim percepti pertinent ad venditorem; quia ex vi talis pacti irritatio retrotrahitur ad tempus contractus: si vero hoc pactum conceptum fuit verbis indirectis, quibus scilicet significetur, contractum esse rescindendum imposterum, vel rem rediturum ad venditorem, tunc fructus medii temporis pertinent ad emptorem, quia sic irritatio non retrotrahitur: Less. n. 124. Secundo, *Pactum additionis in diem*, quo scilicet res alicui venditur ea lege, ut si intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, non censeatur ei vendita; & quoad fructus idem dicendum hic, ac in pacto commissorio: addo, in neutro deberi vectigal consuetum solvi Principi in venditionibus, si pactum initum fuit verbis directis, quia sic ita dissolvitur venditio, ac si nunquam facta fuisset: Less. n. 127. Tertio, *Pactum mohatra*, quod non licere dictum est de mutuo; ubi alia etiam dicta sunt huc pertinentia.

Quæres tertio, Quid dicendum de retractu gentilitio?

Respondeo, Hunc esse jus, quod habet proximior consanguineus venditoris, ad rescindendam venditionem rei immobilis, oblato pretio, quo ab extraneo, vel a remotio-

Digitized by Google

tiore conſanguineo empta fuit, modo id fiat intra annum, & diem a venditione, & in propriam conſanguinei retrahentis utilitatem: Doctores communiter ex *l. Dudum*, cap. *de Contr. empt.* Poteſt etiam retrahens in dubio cogere emptorem ad jurandum, quanti emerit, ut notat Tiraquel.: ſi autem emptor timens, ne res retrahatur a conſanguineo venditoris, cum hujus conſenſu ſcribat in inſtrumento, ſe ſolvere, pluſquam revera ſolvit, committit dolum, qui in jure dicitur *Stellionatus*; ait tamen Leſſ. in *Auct.* v. *Contractus*, cap. 7., non facere injuriam illi conſanguineo; ſed melius contradicit Croix n. 995., quia dolo, & mendacio impedit illum a conſecutione boni, ad quod habet jus; & certe, ſi ille refudiſſet pretium, quod apparet in inſtrumento, non poſſet exceſſus retineri. v. Laym.

Quæres quarto, Quid dicendum de monopolio?

Reſpondeo, Monopolium eſſe, cum unus, vel plures efficiunt, ut ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant, vel certo pretio vendant, quod fit quatuor modis: Primo, Si conſpirent inter ſe de pretio, ut ſcilicet nemo ipſorum vendat minoris, & hoc, quamvis eſſe poſſit contra charitatem, non tamen contra juſtitiam, ſi pretium non ſit ſupra legitimum, aut vulgare ſummum, nec fraude, aut minis impediant alios, ne minoris vendant: ſimiliter non peccant contra juſtitiam emptores, ſi conſpirent in pretium vulgare infimum, aut rogent alios, ne pluris emant, quam tanti, vel tanti, modo id non ſit infra juſtum, nec fiat fraude, aut minis: Leſſ. c. 21. n. 144. Secundo, Si obtineant privilegium, ut ipſi ſoli certas quaſdam merces vendant, quod dici ſolet *Jus prohibendi*; & tunc, ſi privilegium conceſſum eſt juſta aliqua ratione (quia ſcilicet aliter nemo tales merces ſufficienti copia inveheret, vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico) eſt licitum, modo Princeps taxet pretium, ſi merces ſint communiter neceſſariæ; ſecus, ſi ſint ad delicias, & luxum, ut ſunt picturæ, aleæ, &c. Si vero privilegium ſine aliqua juſta cauſa ſit conceſſum, fit injuria tum aliis vendere volentibus, tum emptoribus, qui mitiori pretio emerent: Leſſ., Nav., & alii. Tertio, Si coemant omnes merces certi generis, v. g. frumentum tempore meſſis, ut ipſi poſtea pro ſuo arbitratu vendant; & ſic eſſe contra juſtitiam, docent Sylv.,

Digitized by Google

Sylv., Nav., Laym., & alii paſſim, quia fit injuria Reip., inducendo caritatem, & compellendo emptores ad augendum pretium. Contra negant Mol., Bon., Fil., Leſs., Pal., Tamb., & alii, modo non impedierint alios, quominus emerent tunc, ſi vellent: nec obeſt, quod inducatur caritas; quia actio illa, ex qua provenit talis caritas, non eſt contra juſtitiam; neque compelluntur emptores, &c., quia libere poſtea emunt carius, eo quod neglexerint antea emere vilius. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior: Croix n. 946. Quarto, Si impediant, ne major copia talium mercium importetur aliunde in Civitatem: & ſic, ſi vi, & fraude impediant, faciunt injuriam, tum Reipublicæ, quatenus ſunt cauſa injuſta majoris pretii, tum Mercatoribus, quos impediunt, quatenus privant eos probabili lucro; ſecus vero, ſi ſine vi, & fraude: Sylv., Leſſ. n. 153., & alii.

Quæres quinto, Quid ſit dicendum de negotiatione? Reſpondeo, Negotiationem eſſe, cum quis emit mercem eo animo, ut integram, & non mutatam vendendo aliis lucretur, ex cap. *Ejiciens*, *d.* 88., ubi ly *vendendo* accipitur etiam pro permutatione, qua apud Barbaros fit etiam negotiatio, uti etiam apud Campſores permutatione pecuniæ. Negotiatio per ſe non eſt illicita, ut oſtendit D. Th.; eſt tamen prohibita Clericis, conſtitutis tamen in Sacris: Doctores communiter; vel in Minoribus cum beneficio, apud Lug., & alios contra Leſs., & alios. Item Religioſis omnibus (exceptis Novitiis, apud Lug.) ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ex cap. *Conſequens*, *d.* 88., & ſub interminatione anathematis, ex cap. *Secundum*, *Ne Clerici*, *vel Monachi*; & ratio prohibitionis eſt, quia eſt valde indecens eorum ſtatui, valde diſtractiva, & obnoxia periculis peccatorum. Hinc peccant mortaliter, ſi multum negotiationi dent operam: Leſs., Laym., & alii communiter. Si vero ſemel, vel iterum negotientur in materia non gravi, non eſſe mortale, dicunt Fill., Dian., Lug., & alii: quod Cajet., Salas, & alii concedunt etiam ſemel in materia gravi. Neque, ſi negotientur per alium, modo ſe nimium tali negotiationi non implicent: Laym., Pal., & alii; addit tamen Leſs., id non faciendum abſque juſta cauſa. Neque demum, ſi adſit neceſſitas propria,

vel

vel

Digitized by Google

vel familiæ, vel pupilli, viduæ, aut personæ miserabilis, quæ aliter non habeat propriam subsistentationem ad decenter vivendum: Laym., Pal., Lug., & alii.

Cæterum, si emant cum animo vendendi sine lucro, non est proprie negotiatio, ut patet. Similiter, si Clericus, vel Monachus emerit aliquid, ut consumat, & postea pretium illius crescat, potest vendere sperans, se vilius empturum, nec peccat, quia est actus œconomicæ prudentiæ: D. Th., & alii. Similiter potest emere plura pro securitate suæ provisionis, & quod superfluet, etiam carius vendere, quia emit animo obviandi periculo defectus, qui sæpe multum nocet: Lug. d. 26. n. 32. Similiter non est negotiatio, si emat materiam, ex qua conficiat artefactum, & vendat: si emat equum rudem, ut cultiorem faciendo vendat, aut pecora, quæ pascuis suis saginata vendat; quia vendit fructus suæ industriæ, aut suorum prædiorum, quantum attinet ad excessum: Lug., & alii communiter. Et similiter potest agros proprios colere, ut fructus vendat: lapides, vel metalla ex suis fundis cædere, aut eruere, etiamsi non mutet in aliam speciem: greges in suis prædiis alere, & vendere fœtus, lanam, lac, &c.

Si autem conducat aliena prædia, vel similes res fructiferas, ut fructus vendat, & ita quæstum faciat, etsi proprie id non sit negotiatio, tamen specialiter est ei prohibitum in Concil. Carth. 1. & 4., Lessius n. 6. Similiter Mol., Laym., Pal. dicunt, illicitum ei esse, emere jumenta, ut ea pro pretio locet, quia videtur esse quædam negotiatio; sed de hoc dubitat Lug. n. 34., quia emere potest domum, ut locet, & cum quid emit, facit suum, nec prohibetur, sic emptum locare. Si emat uvas, ut vinum ex eis expressum vendat, Mol., Pal., Lug., & alii dicunt, esse ei illicitum, si fiat per homines conductos: & similiter, si emat lanas, ut vendat pannos ab artificibus conductis faciendos; secus vero, si ipsemet, vel sui familiares vinum exprimant, pannos faciant, ut addit Delb. apud Gob. Si autem ex lana propriorum animalium conficiat pannos per homines conductos ad vendendum, quamvis Mol., Pal., & alii dicant, esse illicitum; tamen de hoc dubitat Lug., quia potest vendere lanam suam, & operas suorum ministrorum; ideoque Gob. putat, in Germania licitum esse Monasteriis per famu-

Digitized by Google

famulos vendere vinum, et panem, quia id non eſt proprie habere tabernam, aut negotiari, ſed ſua vendere tranſeuntibus.

Denique dedecet Clericum exercere officium Proxenetæ, hoc eſt mediatoris inter vendentes, & ementes; quamvis non facile eſſe mortale, inquit Pal. n. 9. Nec poteſt ſuſcipere adminiſtrationem, vel procurationem domus ſecularis, ex Concil. Carthag. cit.

* Huc ſpectat Epiſt. Bened. XIV. contra Clericorum negotiationem edita Romæ 25. Febr. 1741., quæ incipit *Apoſtolicæ*, quæque ſtatuit ſequentia: Primo, Confirmat Conſtitutiones omnes apoſtolicas, omneſque pœnas in iis contentas contra Clericos illicite negotiantes: Secundo, Dictas conſtitutiones, & pœnas expreſſe extendit etiam ad Clericos illos, qui non ſuo, ſed alieno Laici nomine illicitam negotiationem quomodolibet exercent: Tertio, Bona cuncta illicite acquiſita per negotiationem alieno Laici nomine exercitam inevitabili ſpolii pœnæ ſubjecta declarat, ad formam Conſtit. Pii V., quæ incipit, *Decens eſſe:* Quarto, Negotia Clericis illicita, ſi a Laicis ſint inchoata, & ad Clericos deinde quocumque titulo delata, ſtatim ab his ſunt dimittenda. Quod, ſi ſtatim dimitti nequeant ſine temporali Clerici detrimento, permittitur continuatio, ſed ad tempus dumtaxat, & per interpoſitam Laici perſonam, ac de licentia Congr. Card. Trident. Interpretum, ſi Clericus ſit intra Italiam: ſi extra, de licentia ejuſdem Congr., vel Ordinarii illius loci. Quinto, In hoc caſu, ſi Clericus, vel ſine dicta licentia, vel cum hac quidem, ſed ultra tempus præſcriptum, vel intra hoc tempus quidem, ſed per ſeipſum, non per Laici perſonam, hæc negotia adminiſtraverit, ſubjicitur omnibus præfatis, etiam ſpolii, pœnis. Sexto, Dicta ſpolii pœna quoad bona per illicitam negotiationem acquiſita extenditur etiam ad eos, qui a Pio IV. Conſt. *Romanus Pontifex*, & a Paulo V. Conſtit. *In Eminenti*, eximuntur a tali ſpolio, ad affectum teſtandi, vel tranſmittendi hanc facultatem iis, qui ſibi ſunt propinquiores; dictas ideo conſtitutiones, aliaſque omnes in contrarium abrogat quoad hoc, atque abolet. *

Quoad reliqua pertinentia ad emptionem, & venditionem,

Digitized by Google

nem, Noto primo, Principes juxta Adr. & Salen. illicite jure naturæ vendere officia temporalia; tum quia sunt tantum administratores Reip., & officiorum, tum quia sæpe sic excluduntur aptiores; tum quia sic datur occasio emptoribus emungendi subditos; sed Azor. ait, id tantum prohiberi jure positivo, quod tamen, addit, passim non observari etiam in Curia Romana. Illsf. ait, ex gravibus causis posse id excusari: Haun. ait, prævalere consuetudinem vendendi; addit tamen, fieri debere pretio moderato, & personis aptis, quo servetur jus naturæ. Noto secundo, Gabellas impositas venditioni rerum solvendas esse ab emptore. Noto tertio, venditionem posse rescindi, vel mutuo consensu; vel, si adfuerit pactum commissorium, addictionis in diem, aut retrovendendi; vel privilegium restitutionis in integrum, vel ob læsionem ultra dimidium, quæ durat etiam ad 30 annos: quod, si hæc læsio fuerit sine culpa, potest lædens manere in contractu, supplendo defectum; nec tenetur compensare fructus perceptos: hoc autem jus rescindendi est etiam contra tertium, cui res sit alienata: Croix n. 903.

QUÆSTIO II.

De Censibus.

CENSERE est æstimare: unde nomen census varie accipi potest; proprie tamen accipitur pro jure quodam in re alterius, ut ex ea quotannis aliquid solvatur. Itaque videndum Quid, & Quotuplex sit Census? An, & Quomodo sit licitus census realis, personalis, & vitalitius?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Census?

CENSUS est *Jus percipiendi pensionem aliquam ex re utili, vel persona alterius:* Doctores communiter.

Dicitur *Jus*, quia census non est ipsa pensio solvenda, sed jus exigendi illam quotannis, cui juri respondet in altero debitum eam solvendi. Dicitur *percipiendi pensionem aliquam*, sive in fructibus, quo sensu dicitur census fructua-

Digitized by Google

ctuarius; ſive in pecunia, quo ſenſu vocatur pecuniarius. Dicitur *ex re utili*, quia res, in qua fundatur cenſus, debet eſſe fructifera, debetque ad minus tot fructus ferre, qui ſufficiant ad ſolvendam penſionem, detractis expenſis laboris, & induſtriæ; at non eſt neceſſe, ut ferat fructus naturales, ſed ſatis eſt, ſi ferat pecuniarios; unde cenſus conſtitui poſſunt in domibus, in molendinis, &c.; nec eſt neceſſe, ut ſingulis annis ſit actu fructifera, ſed ſufficit, ut natura ſua ſit talis, & ſperetur, ut fructus ex ea percipiantur: ſi tamen res facta ſit infrugifera, nequit in ea conſtitui cenſus; at non cenſetur talis, ſi per unum, aut duos annos non tulit fructus: Val., Regin., Sa, & alii: nequit pariter conſtitui cenſus ſuper re uſu conſumptibili, puta ſuper tritico, oleo, &c., quia hæc non ſunt frugifera: reliqua de re cenſui ſubjecta dicemus infra. Dicitur demum, *vel perſona*: ut ſuper perſona conſtituatur cenſus, debet ea poſſe, & velle ſua induſtria, labore, aut negotiatione lucrari penſiones annuas, aut ſaltem habere proventus ex aliis bonis; alioquin eſſet purum mutuum, & palliatio uſuræ: Doctores communiter. Excipit Tamb. cenſum vitalitium, de quo infra.

Quæres primo, Quid ſit cenſus reſervativus?

Reſpondeo, Eſſe, quando quis transfert rem ſuam in alterum quoad dominium directum, & utile, donando, legando, vendendo, aut permutando, ſervata tamen ſibi penſione annua ſuper eadem re: ut *Dono*, vel *lego tibi meum prædium, & reſervo mihi ex illo certam penſionem, ut ſcilicet ſingulis annis ſolvas mihi, aut meis hæredibus aliquam juſtam ſummam, puta* 10. *aureos*. Et de hoc non loquitur Bulla Pii V., de qua infra: unde poſſet ei apponi pactum legis commiſſoriæ, ideſt, ut res, ſuper qua conſtituitur, cadat in commiſſum, ſeu redeat ad eum, qui illam contulit, ſi biennio, vel triennio non fuerit penſio ſoluta; ſecus vero, ſi hoc pactum non fuerit adjectum: Leſ. c. 22. n. 4., Cov., & alii.

Quæres ſecundo, Quid ſit cenſus conſignativus?

Reſpondeo, Eſſe, quando quis ſuper bonis ſuis, quorum retinet dominium directum, & utile, vel etiam ſuper perſona ſua conſignat, ſeu conſtituit alteri jus penſionis annuæ; & de hoc eſt tota difficultas apud Doctores; nam fit

Digitized by Google

per contractum emptionis, qua Titius certo pretio emit jus percipiendi pensionem annuam ex re frugifera Caii, vel ex negotiatione, labore, industria ipsius personæ Caii. Titius emptor dicitur censuista, seu censualista, cui scilicet debetur pensio: Cajus venditor dicitur censuarius, qui scilicet tenetur pensionem solvere.

Quæres tertio, Quotuplex sit census consignativus?

Respondeo, Dividi primo, ratione materiæ, in realem, personalem, & mixtum: realis est, qui immediate constituitur in re aliqua, puta prædio, itaut ex eo pensio debeatur, quæ obligatio proinde est realis, remque ipsam perpetuo comitatur, etiamsi alteri vendatur, quia res transit cum onere suo, donec redimatur. Personalis est, qui immediate constituitur super persona, quæ seipsam obligat ad pensionis solutionem; ita tamen, ut persona, in qua census constituitur, sit fructifera, ideſt talis, ut aliquem fructum sua industria, ac labore pariat, unde solvat, vel ut aliqua bona fructifera in re, aut in spe habeat, juxta infra dicenda. Mixtus est, qui constituitur immediate super re, & super persona, itaut, etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata, & vice versa.

Dividitur secundo, Ratione pensionis, in certum, & incertum: certus est, cum constituitur pensio annua semper æqualis: incertus est, cum constituitur pensio annua indeterminata, v. g. tertia, vel quinta pars fructuum annuatim productorum.

Dividitur tertio, Ratione temporis, in temporalem, & perpetuum: temporalis est, qui vel extenditur ad certum tempus, v. g. ad 10., aut 20. annos; vel extenditur ad tempus incertum, v. g. ad vitam unius, duorum, aut trium hominum, & sic dicitur census vitalitius. Perpetuus est, qui per se non habet finem: sed huic addi potest pactio, per quam subdividi potest in censum irredimibilem, cum scilicet paciscuntur, ut nec censualista possit repetere pretium emptionis, nec censuarius possit illud restituere; & in censum redimibilem, sive ex una tantum parte, ut cum paciscuntur, ut censualista possit repetere pretium, vel ut censuarius possit pro suo arbitratu illud restituere; sive utrinque redimibilem pro suo scilicet cujusque arbitratu.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres quarto, Quid ſtatutum ſit jure poſitivo circa cenſum conſignativum?

Reſpondeo, Nicolaum V. ad petitionem Alphonſi I. Regis utriuſque Siciliæ ann. 1458. ſtatuiſſe pro utraque Sicilia: Primo, Ut cenſus poſſit conſtitui, aut ſpecialiter ſuper re certa, aut generaliter ſuper omnibus bonis, addita etiam obligatione mobilium, & perſonæ: Secundo, Ut poſſit eodem pretio redimi, ſeu extingui: Tertio, Ut penſio annua non excedat decimam partem pretii, hoc eſt ſit 10. pro 100. Quarto, Ut ad ſecuritatem cenſus apponi poſſint pœnæ, & pacta juxta arbitrium contrahentium. Hanc Bullam poſtea approbavit Greg. XIII. an. 1574. pro Regno Siciliæ ultra Pharum, non obſtante Bulla Pii V., de qua mox dicam; addiditque, ut in conſtitutione cenſus fiat mentio unius, aut plurium rerum certarum, & nominatarum, addi tamen poſſit generalis obligatio omnium bonorum.

At Pius V. Bull. *Cum onus* ann. 1569. requirit in conſtitutione cenſuum 12. conditiones: I. Ut cenſus ſtatuatur ſuper re immobili, fructifera, & certis finibus deſignata. II. Ut ab initio ematur pecunia numerata coram Teſtibus, & Notario. III. Ut nullæ fiant anticipatæ ſolutiones penſionum ex pacto. IV. Ut cenſuarius non teneatur ſolvere penſionem, ſi caſu fortuito non percipiat fructus ex re cenſuata. V. Ut cenſuario liceat vendere rem cenſuatam, prius tamen offeratur cenſuiſtæ, ut, ſi velit, intra menſem emat: VI. Ut non fiat pactum, quo cenſuarius ob moram ſolutionis teneatur ad pœnam: item, ut ex penſionibus non ſolutis non conſtituatur novus cenſus. VII. Ut cenſuarius non ſuſtineat onera, quæ ex natura cenſus ad eum non ſpectant. VIII. Ut re pereunte, aut reddita infructuoſa pereat cum proportione cenſus. IX. Ut cenſus ſemper maneat eodem pretio redimibilis a cenſuario, moneat tamen cenſuiſtam bimeſtri ante. X. Ut tunc poſt denunciationem cenſuiſta poſſit eum cogere intra annum ad redimendum. XI. Ut cenſuarius non cogatur redimere, ſi nolit. XII. Ut pretium cenſus ſemel conſtitutum non mutetur in gravamen cenſuarii. Addit demum, hæc ſervanda, ſi cenſus antehac conſtituti vendantur, & cenſum aliter conſtituendum eſſe uſurarium. Addit tamen

Digitized by Google

Leſſ. cum aliis, has Bullas non eſſe promulgatas, nec uſu receptas in Belgio, Germania, & Gallia; idemque dicit de Bulla Pii V. in Sicilia. Addit Tamb. ex Val., Nav., & aliis contra Leſſ., Fil., & alios, Bull. Pii V. procedere ex præſumptione uſuræ, adeoque etiam, ubi eſt recepta, non obligare in foro conſcientiæ eum, qui non omnes ejus conditiones ſervat (modo ſervet, quæ ſunt requiſitæ jure naturæ) ſed tantum obligare Judices, ut non admittant in judicio emptionem cenſuum aliter factam. Addit cum Dian., Mald., & aliis, licitum eſſe etiam in terminis hujus Bullæ, conſtituere cenſum de pecunia antea debita, vel dando merces loco pretii, vel non ſtatim dando pecuniam; imo etiam licitum eſſe, ex penſionibus cenſus non ſolutis augere cenſum antiquum, vel novum conſtituere. Ratio omnium horum eſt, quia ideo requiritur a Pontifice, ut pecunia ſit numerata, ne fiant fraudes, & uſuræ: ergo, ſi illæ vere abſint, hæc numeratio non obligabit in conſcientia. Addit demum Farinac. apud eundem, quod, ſi deſit aliqua ex dictis conditionibus non magni ponderis (puta ſi contractus cenſualis non fiat coram Teſtibus, & Notario, aut non per ſcripturam publicam, aut non per pecuniam numeratam) adhuc eſſe validum pro foro externo. Itaque videndum, quid requiratur jure naturæ, ut contractus cenſualis ſit validus?

CAPUT II.

Quid de Cenſu reali?

MARTIN. V., & Calliſt. III. in ſuis Extrav. approbarunt cenſum realem, juxta conditiones ibidem poſitas, tanquam juſtum, & licitum; ideoque Tamb. ait, ſententiam oppoſitam eſſe nunc ſaltem temerariam, & erroneam. Neque obſtat, quod pretio finito correſpondeant penſiones annuæ, quæ decurſu temporis ſuperaturæ ſunt pretium; nam non emuntur ipſæ penſiones, ſed emitur jus percipiendi illas ex fructibus rei cenſuatæ juxta communem ſententiam, ſeu pars uſusfructus, ut loquitur Lug. d. 37. Quod jus, ſeu uſusfructus, eſt quid eo minus æſtimabile, quo penſiones ſunt in ſpe remotiori: &, licet hæ decurſu temporis ſuperare poſſint pretium, tamen pe-

Digitized by Google

periculum amittendi illas, & ipſum pretium (ſi nimirum res cenſuata pereat, vel evadat ſterilis) eſt etiam perpetuum: ergo bene omnia compenſantur: Croix n. 1011.

Hinc licitus eſt quovis jure, etiam poſitivo Pii V., cenſus realis cum pacto, ut ſit redimibilis ex parte venditoris, ſeu cenſuarii, quandocumque is voluerit: nec eſt periculum uſuræ in emptore recipiente poſt penſiones ſuum integrum pretium; quia is non mutuavit, ſed emit cum periculo, juxta modo dicta. Contra cenſus realis cum pacto, ut ſit redimibilis ex parte tantum emptoris, ſeu cenſualiſtæ, quandocumque is voluerit, quamvis non videatur ex natura rei uſurarius, ſi hoc onus juſte ab eo compenſetur, tamen merito prohibetur a Pio V., nec volunt Doctores, deduci in praxim, utpote valde ſuſpectum de uſura: Tamb., & alii.

Cæteri cenſus reales, præſcindendo a jure poſitivo, juſte fiunt jure naturæ, ſi habeant duas conditiones: Primo, Si ſit æqualitas inter cenſum, & pretium: Secundo, Si pacta eis adjecta prudentis arbitrio debite compenſentur: Leſs. c. 22. n. 74. Hinc jure naturæ juſtus eſt cenſus realis utrinque irredimibilis, ſeu cum pacto, ut ex neutra parte poſſit redimi: item utrinque redimibilis, ſeu cum pacto, ut poſſit redimi, quandocumque alteruter voluerit: item cum pacto, ut non poſſit redimi a venditore, niſi poſt aliquod tempus, poſtea vero poſſit, quandocumque voluerit: item cum pacto, ut poſſit redimi a venditore intra aliquod tempus, quo elapſo, amplius non poſſit; dummodo in his omnibus ſerventur dictæ duæ conditiones: Leſſ., Tamb., & alii. Dixi *Præſcindendo a jure poſitivo*: nam, quamvis Nav., Mol., Leſſ., Sal., & alii contra Bonac., & alios probabiliter putent, hoc ultimum pactum non eſſe prohibitum per Bullam Pii V.; per hanc tamen reliqua jam prædicta certe prohibentur, ob ſpeciem quandam uſuræ, & periculum illam palliandi, ſecundum tamen præſumptionem fori externi, ut addunt Buſ., Val., & alii apud Tamb., juxta dicta cap. antecedenti.

Quæres primo, Quodnam ſit juſtum pretium cenſus realis?

Reſpondeo, Pretium cenſus realis redimibilis ad arbitrium cenſuarii taxatum eſſe a Carol. V. pro Germania,

ad rationem 5. pro centum: a Clem. VIII. pro ſtatu Eccleſiaſtico, ad rationem 7. pro centum: a Nicol. V. pro utraque Sicilia, ad rationem 10. pro centum; quod deinde Philipp. II. reſtrinxit pro Regno Siciliæ, ad rationem 5. pro centum. Ubi vero non eſt a Principe taxatum pretium, vel ea taxa non eſt uſu recepta, illud cenſeri debet pretium juſtum, quod communi uſu Provinciæ, vel Civitatis eſt approbatum, cum latitudine etiam pretii ſummi, medii, & infimi; poteſtque augeri, & minui pro copia, vel inopia emptorum, pecuniæ, &c. juxta dicta de Empt., & Vendit. Itaque, ſi emas cenſum infra infimum, teneris in conſcientia reſtituere ſupplementum, & damnum, ſi quod inde paſſus ſit venditor; etſi probabiliter non tenearis etiam reſtituere exceſſum penſionum jam exactarum, niſi quando fuerit pretium lege taxatum: Tamb., Leſſ. n. 107. Ubi vero nec Princeps, nec communis uſus pretium taxaverit, illud cenſebitur juſtum, quod vir prudens, vel ipſimet contrahentes ſine dolo, & perpenſis omnibus, determinaverint: Tamb., & alii communiter. Cæterum pretium cenſus a cenſuario irredimibilis debet eſſe duplo majus, quam pretium cenſus ab eodem redimibilis, uti omnes fatentur, & ſervatur in praxi: Lug. n. 138. Unde, quo cenſus magis accedit ad irredimibilem, & recedit a redimibili ex parte cenſuarii, eo majori pretio emi debet a cenſualiſta. Quod, ſi ſit cenſus perpetuus irredimibilis, Mol., & alii dicunt, emi poſſe eo pretio, quo emeretur res alia tantundem reddens in fructibus, deductis expenſis; ſed certe verius eſt, poſſe paulo minoris emi, cum plus ſit plenum dominium rei habere, quam ſolum uſumfructum: Leſſ., & alii. Contra vero, ſi cenſuario maneat libertas redimendi, & cenſuiſtæ imponatur onus revendendi ad arbitrium cenſuarii, hoc onus eſt pretio æſtimabile; ideoque juſte minuitur pretium cenſus: Laym., Croix n. 1012., & alii.

Denique loco pretii dari poſſunt merces æſtimatæ, quia æquivalent pretio: Pal. p. 22. §. 4., qui §. 5. cum Nav., Mol., Leſſ., & aliis contra Rebel., & alios addit, loco pecuniæ numeratæ dari poſſe remiſſionem debiti veri, & legitimi. Imo §. 6. cum Mol., Leſ., & aliis contra Salon., Rebel., & alios addit, jure naturæ emi etiam poſſe cenſum pe-

Digitized by Google

pecunia credita; ſed quoad hoc in foro externo recte præſumitur fraus, & uſura.

Quæres ſecundo, In qua re fundari poſſit cenſus realis? Reſpondeo, ex Bull. Pii V. fundari tantum poſſe in re, quæ ſit immobilis, frugifera, & certis terminis definita. Et quidem, quod eſſe debeat immobilis, & frugifera, videtur etiam requiri jure naturæ ad cenſum realem perpetuum, quia debet eſſe nata penſiones in futurum procreare, ipſa non pereunte: Pal. p. 23. §. 1.

Dicitur primo *Res immobilis*, non ſolum prædium, ſed etiam domus, molendinum, columbaria, & ſimilia: imo etiam cenſus irredimibilis habetur pro re immobili; unde licebit cenſualiſtæ ſuper eum conſtituere alium cenſum, etiam æqualem: Mol., & alii; ſicuti de facto conſtituitur ſuper jura, & redditus Principum, ſuper gabellas, officia perpetua, &c.; imo communior ſententia cum Lug. d. 27. n. 8. ait, cenſum conſtitutum ad longum tempus eſſe bonum immobile, niſi forte conſtitutus ſit in re mobili: v. g. in grege ovium, in navibus, &c. Addunt Leſſ., & alii communiter, cenſum, ſpectato jure naturæ, emi poſſe minori pretio, quam fuerit ab initio conſtitutus, quia ſe habet per modum mercis, quæ emi poteſt pretio etiam medio, vel infimo: unde Dian. p. 2. t. 8. r. 36. excuſat illum, qui valde rogatus emit 80. aureis cenſum 8. annuorum, quia merces ultroneæ vilescunt: & cum Tamb., & aliis ait, poſſe etiam emi minoris, quamvis pretium fuerit a lege taxatum, quia lex intelligitur de pretio, quo cenſus primum conſtituitur: non autem de cenſu conſtituto, ſi poſtea vendatur, dicuntque, id ubique fere in praxi eſſe receptum.

Dicitur ſecundo, *Res fructifera*, ſaltem tantum, quantum penſio exigit, juxta dicta c. 1.; tales ſunt etiam agri, quamvis tertio, aut quarto quoque anno nihil afferant, quia quieſcunt; unde etiam tunc debetur penſio, ſi aliis annis tantum reddant, ut hoc compenſari poſſit: Leſſ., & alii. Adde, quod, quamvis cenſus ſit ſupra prædium, ejuſque fructus, licite tamen poteſt cenſualiſta paciſci penſionem pecuniariam, addendo ſcilicet contractui emptionis cenſus alterum permutationis, quo ſcilicet cenſuarius ſibi retineat fructus, & ſolvat ſervata æqualitate pecuniam,

Digitized by Google

computando unum annum forte ſterilem cum alio: Lug. d. 37., Mol., Tamb.,& alii. Adde etiam, quod, licet communiter penſio ſolvenda ſit in fine anni a tempore, quo conſtituitur cenſus, eo quod fructus perficiuntur ſingulis annis; tamen poteſt exigi etiam per partes, & tertiatim, ſi ſcilicet prædium fructificet ter in anno, ut ſi Julio det frumentum, Octobri vinum, Martio ligna: ſi tamen talis cenſus ante finem anni redimatur, penſio non eſt ſolvenda integra, ſed ad ratam temporis tranſacti, ut patet.

Dicitur tertio, *Res certis finibus definita;* ut ſcilicet cognoſcatur, quamdiu cenſus obligatio duratura ſit; poteſt tamen ex vi etiam Bullæ conſtitui cenſus ſuper plures ejuſmodi res, modo unaquæque ſit ſuis finibus definita; quia per eam tantum prohibetur conſtitui generaliter ſuper bona: Nav., Pal.,& alii. Una tamen ex illis rebus certis pereunte, perit penſio pro rata, niſi additum ſit aliud pactum, ſive pignus, ſive aſſecuratio, de quo cap. ſequ., ubi videbimus, hanc conditionem non requiri jure naturali, niſi ad cenſum mere realem. Cæterum nullus cenſus conſtitui poteſt ſuper re feudali, vel emphytheutica, vel dotali, vel vinculata; quia res, in qua conſtitui poteſt cenſus, eſſe debet ſub vero, & libero dominio cenſuarii: Tamb. §. 3. n. 15. Si autem ſuper eadem re conſtitutus ſit duplex cenſus a cenſuario: tunc, ſi ejus fructus ſufficiant, ſolvenda eſt duplex penſio; ſi non ſufficiant, non eſt ſolvendum pro rata, ſed priori cenſualiſtæ, quia *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, ex *Reg. Jur.*; poteſt tamen pretio ſecundi cenſus extinguere priorem, ſi erat redimibilis, & majorem exigebat penſionem; ſi autem fingat, ſe velle eum redimere,& ſic inducat cenſuiſtam ad minuendam penſionem, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, quia facit dolum, qui dat cauſam contractui diminutionis: Lug. d. 22. n. 177: Denique, ſi res cenſui ſubjecta dividatur in plures hæredes, itaut quivis habeat partem ſufficientem ad ſolvendam penſionem, poterit cenſuiſta hanc totam a quovis hærede exigere, & ita uſu receptum teſtatur Leſſ., quidquid dicant Bonac., & Lug., quia illa diviſio (niſi aliter ſit conventum) non debet facere cenſuiſtam pejoris conditionis, qui ante talem diviſionem poterat ex quavis parte illius rei ſufficienter penſionem ſuam exigere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Quid de Cenſu Perſonali?

NOMINE cenſus perſonalis non intelligitur cenſus, qui ita conſtituatur in perſona, ut ſi non ſit ſolvendo penſionem, poſſit vendi, aut trahi in ſervitutem; hoc enim certe non licet; ſed intelligitur cenſus, qui tantum ponat in cenſuario obligationem perſonalem penſionis ſolvendæ, ſive ex lucro ſui laboris, & induſtriæ, ſive ex proventibus ſuorum bonorum; itaut interdum ad ſecuritatem cenſuiſtæ fiat etiam hypotheca in omnibus bonis cenſuarii, quæ tranſit ad hæredes: hunc cenſum perſonalem Pius V. non declaravit eſſe illicitum, ſed ad vitandum periculum uſuræ ſtatuit, ne conſtituatur: Pal. p. 11. n. 3.

Jure autem naturæ videtur juſtus, ſi ſervetur juſtum pretium. Nec obſtat primo, quod in emptione cenſus perſonalis exigatur hypotheca generalis, vel ſpecialis, ſecuritatis cauſa; quia, ſicut in reliquis contractibus licite exigi poteſt, cur non etiam in cenſibus? Neque obſtat ſecundo, quod ſic poſteri quoque obligentur; nam aliæ obligationes perſonales ex aliis contractibus ortæ tranſeunt ad hæredes, eoſque obligant lege juſtitiæ, cur non etiam hæc obligatio ſolvendæ penſionis, etiamſi mere ſit perſonalis? Leſſ. c. 22. a n. 19.

Hinc etiam licita videtur jure naturæ emptio cenſus mixti, ideſt, qui partim ſit perſonalis, partim realis: v. g. ſi emas cenſum ſuper prædium ea lege, ut, ſi prædium nihil, vel parum aliquando ferat, teneatur nihilominus venditor totam penſionem ſolvere: quo caſu, ſi prædium vendatur tertio, poteris penſionem exigere, tum a venditore cenſus ratione obligationis perſonalis, tum a tertio ratione obligationis realis, quæ eſt in prædio. Item, ſi emas cenſum ſuper domo ea lege, ut venditor obligetur ad penſionem, etiamſi domus pereat. Item, ſi emas cenſum in prædio, cujus fructus non ſufficiunt, ea lege, ut tota penſio ſolvatur: quo caſu eſt realis ad fructus prædii, perſonalis ad reliquam partem: Leſſ. n. 23.

Objicies: Primo, Si tibi darem mille aureos ea lege, ut quotannis pro uſu mihi ſolveres 50., committerem uſuram; ſed

Digitized by Google

sed ita fit in emptione census personalis: ergo, &c. Secundo, Emptio census personalis non est aliud, quam emptio personalis debiti successive solvendi, & juris personalis ad illud exigendum; sed tale jus, & debitum non minus valet, quam pensiones ipsæ solvendæ, cum in censu personali, præsertim cum hypotheca generali, caveatur omne probabile periculum: ergo non potest emi minoris, quam sint omnes pensiones speratæ.

Respondeo, Ad primum, nego mi. In censu personali non venditur a censuista usus pecuniæ, sed emitur jus super alterum, qui potest sibi obligationem personalem imponere ad solvendas pensiones, quod jus minus valet, quam ipsæ pensiones, juxta dicta cap. antecedenti. Ad secundum, nego mi; tale enim jus non pluris valet, quam jus reale in optimo, & securissimo agro, quod tamen minoris æstimatur, quam ipsæ pensiones. Cum ergo utrumque jus, utpote disjunctum a possessione, fere semper cum aliquibus periculis, & difficultatibus sit conjunctum, merito poterit communi hominum æstimatione certo pretio emi, quod pretium a quovis exigi possit, etiamsi forte eæ circumstantiæ in ipso locum non habeant: Les. n. 31.

Dices: Si hoc jus minoris valet, quam pensiones speratæ, ergo, qui dat mutuos 1600. aureos, potest exigere 1700. per partes reddendos, itaut quotannis solvantur 100.; nam mutuans solum acquirit jus ad 1700. sic solvendos, quod jus valeret minoris.

Respondeo: Nego consequentiam. Qui mutuat, non intendit emere aliquod jus, nec mutuatarius intendit id vendere; sed tantum intendunt celebrare contractum mutui, ex quo solum potest exigi res ejusdem speciei, & bonitatis; at in censu, sive reali, sive personali, exponitur jus aliquod per modum mercis venale. Cæterum una, eademque res secundum varios contractus variam æstimationem recipit: sic, si mutues 30. aureos operario, ea lege, ut justo pretio pro te laboret, erit usura, ut plerique Doctores fatentur: si vero anticipato pretio eadem pecunia emas, seu conducas ipsius operas, non erit; & tamen idem consequeris, etiamsi, non plus pecuniæ exponas: similiter, si mutues 1000. aureos, accepto agro in pignus, non potes fructus percipere, nisi

Digitized by Google

niſi velis eos computare in ſortem; ſi autem eadem pecunia agrum emas cum pacto retrovendendi, potes omnes fructus percipere, & poſtea totum pretium: Leſſ. n. 33., & alii communiter.

Illud hic iterum notandum, quod perſona, ſuper qua creatur cenſus, debeat poſſe, & velle lucrari penſiones ex ſuo labore, aut ſuis bonis; alioquin erit purum mutuum, & palliatio uſuræ: Doctores communiter. Cæterum, quamvis neſcias modum contrahendi per cenſum, vel alium contractum licitum, ſi tamen videas viros probos, & prudentes paſſim contrahere hoc, vel illo modo, & velis contrahere modo optimo; ſi modus ſit, quo excuſantur alii, etiam tu excuſaberis, licet illum explicite neſcias; quia in his intentio implicita idem operatur, ac intentio expreſſa, ut jura loquuntur. Dicitur tamen etiam alter contrahens ſaltem virtualiter, & implicite conſentire in alterum juſtum modum: Croix n. 1024.

CAPUT IV.

Quid de Cenſu temporali, & vitalitio?

CENSUS temporalis dicitur, *Qui conſtitutus eſt ad certum, vel incertum tempus, in cujus termino ſponte extinguitur, ſorte non refuſa*. Itaque

I. Cenſus temporalis ad certum tempus, v.g. ad 10 annos, probabile eſt, quod poſſit minoris emi: v.g. ſi quis vellet vendere penſionem 10 aureorum ad decennium, probabile eſt licere emere pro 90; & ſimiliter penſionem annuam 10 aureorum ad quindennium pro 100: Navar., Leſs. n. 42., & alii; quod de cenſu reali non videtur dubium: de perſonali eſt probabile, quia non poteſt dari ſufficiens ratio, cur non poſſit aliquod certum pretium imponi Juribus perſonalibus, quod pretium minus ſit, quam res, quæ in futurum expectatur: Doctores cit. Hinc, ſi dicas, *Do tibi* 180. *ea lege, ut per annos* 20. *ſolvas quotannis mihi* 10; tunc, ſi intendas emere cenſum, ſeu actionem perſonalem, quæ non pluris æſtimetur communiter, eſt licitum: ſecus vero, ſi intendas tantum dare mutuum, quod non datur utique pro jure, ſed pro alia re ſimili in ſpecie, & valore. Cenſet tamen Leſs., omnino diſſuadendum,

Digitized by Google

dum, si quis hoc modo vellet contrahere.

II. Census vitalitius potest esse realis, ut *Do tibi* 100 *ea lege, ut tu des mihi* 5 *in singulos annos, donec ego vixero, vel donec vixerit meus filius, vel nepos, vel uterque*. Potest etiam esse realis, ut *Do tibi* 100 *ea lege, ut tu ex fructibus talis tui prædii des mihi* 5 *in singulos annos, donec vixeris, vel donec vixero, &c.* Tales census vitalitii sive reales, sive personales non prohibentur a Bulla Pii V.; quia non innituntur in eo, quod per eos ematur jus ad fructus, sed in contractu sortis, & ludi inter specialiter contrahentes, qui se exponunt periculo lucri, & damni, cum mors sit incerta: ergo constitui possunt non solum supra rem, v. g. prædium, sed etiam supra personam, etiamsi hæc nulla ratione ex sua arte, & industria sit fructifera: Tamb. c.2. §.2., D.Th., & alii.

Quod autem attinet ad pretium, debet hoc relinqui arbitrio prudentium, habita ratione ætatis, complexionis, ac modi vivendi illius personæ, ad cujus vitam constituitur; minoris enim emi debet, si constituatur super vita juvenis, vel hominis robusti, quam si senis, vel infirmi; & fieri posset, inquit Less. *in auct. v. Societas*, ut aliquando 16 in 100 constituerentur. Non potest tamen huic censui addi pactum, ut si redimatur, refundatur idem pretium a Censuario, quo ab initio venditus fuit, quia, quando postea redimeretur, jam transiissent aliquot anni de vita, ideoque pauciores pensiones restarent solvendæ, quam ab initio: Tamb. c.3. n.5., Croix n. 1023.

Occurrit hic casus: Titius 1. Jan. ann. 1722. dedit Cajo 1000 ad censum vitalitium, vita sua durante, cujus primam pensionem levaret in termino 1. Jan. 1723.; sed moritur die 1. Nov. 1722. quæritur, an ejus hæredi debeatur pars illius pensionis pro rata temporis decursi? Equidem, quidquid sit de consuetudine opposita, si qua sit alicubi recepta, dico cum Pal. p.37. §.4., & aliis contra alios, probabilius deberi; sicuti, si quando intra annum redimitur census ordinarius, debetur pars pensionis pro rata temporis decursi: & ratio a priori est, quia omnis censuarius debet pensionem ob interusurium pecuniæ a censuista ei traditæ; sed hoc interusurium incipit a die constituti census, & dividitur pro divisione temporis, cum possit Censuarius ab initio

Digitized by Google

initio uti, & per totum decurſum temporis lucrari ea pecunia: ergo dicendum, quod etiam penſio habeat eandem diviſionem temporis, & conſequenter currit, & cedit cenſuiſtæ cum lapſu temporis, adeoque debetur ejus hæredi pro rata temporis decurſi. Neque dicas, jus illud ad penſionem eſſe perſonale, quod proinde non tranſit ad hæredem; & talem cenſuiſtam eſſe veluti uſufructuarium, qui proinde gaudere debet ſolis fructibus actu collectis; Nam primo, etiam penſio Clerici mortui eſt perſonalis, & tamen pro rata temporis ſolvenda eſt hæredi: ſecundo, falſum eſt, eſſe uſufructuarium, alioquin neque hæres poſſet gaudere penſione totius anni jam decurſi: v. Croix n. 1026.

CAPUT V.

Quæ pacta adjici poſſint cenſui?

QUÆRES primo, An cenſui reali licite adjiciatur pactum commiſſorium?

Reſpondeo affirmative, Quantum eſt ex jure naturæ; ut ſcilicet, ſi Cenſuarius penſionem non ſolvat intra certos annos, res cenſui ſubjecta cadat in commiſſum, ſeu fiat illius, qui emit cenſum: dummodo tres conditiones adſint: Primo, quod Cenſuarius culpa ſua non ſolverit: Secundo, ut pœna illa proportionetur culpæ; nam pro parva penſione non ſoluta, non poteſt prædium magni valoris cadere in commiſſum: Tertio, ut pro onere talis pacti augeatur pretium: Tol., Pal. p. 24. §. 5., Tamb. c. 4. §. 4., Croix n. 1025. Dixi, *quantum eſt ex jure naturæ*; nam jure poſitivo prohibetur per Bull. Pii V. ſaltem pro foro exerno, juxta dicta c. 1. Cæterum, etſi nullum ejuſmodi pactum ſit appoſitum, jure naturæ tenetur Cenſuarius reſarcire omnia damna, quæ Cenſuiſta pateretur, & expenſas, quas forte faceret ad ſuas penſiones acquirendas: Tamb. c. 5. n. 12.

Quæres ſecundo, An licite addatur cenſui perſonali pactum reſciſſorium?

Reſpondeo affirmative, Ut ſcilicet Cenſuarius, ſi intra certos annos non ſolverit penſiones, teneatur totum pretium reſtituere Cenſualiſtæ reſciſſo contractu. Neque ob hoc pactum opus eſt augere pretium, quia de jure naturæ

Digitized by Google

turæ fit, ut des mihi meum pretium, si servare non vis id, quod per illud emo: Tamb. c. 4. §. 5., Mol., Med., & alii.

Quæres tertio, An licite addatur censui pactum, ut non redimatur per partes, aut nisi in eadem moneta?

Respondeo primo, Licere pactum, ut non possit redimi per partes, sed tantum totum simul, nec ideo videtur remittendum de pretio, quia similiter fit in emptione rei cum pacto retrovenditionis. Nec Bull. Pii V. tale pactum prohibuit: Tamb., Lop., Garz., & alii contra Bann. Si autem non sit additum tale pactum, Nav., & alii multi apud Tamb. putant, posse redimi per partes notabiles, ut per tertiam, per quartam, &c. non autem per partes minutas; servanda tamen est consuetudo loci.

Respondeo secundo, Per se loquendo, non licere pactum, ut non possit redimi, nisi in eadem moneta; quia satis est venditori, si justa, & æquivalenti moneta retrovendat. Si autem sit æquale periculum, quod crescat, vel decrescat valor monetæ, tunc licitum est tale pactum, etiam in terminis Bullæ Pii V., quia sic est novus contractus sortis: Less., Tamb., Lug. d. 27., & alii.

Quæres quarto, An licite addatur pactum solvendi pensionem, etiamsi res censuata pereat?

Respondeo, Licere jure naturæ; sicut licite addi potest hoc pactum in aliis contractibus; dummodo tamen hoc onus compensetur augendo pretium census, vel designetur minor pensio: Val., Tamb., Less. Addit tamen Tamb., esse dissuadendum propter periculum usuræ, ob quod prohibetur etiam in Bul. Pii V.; at, si res censuata pereat culpa Censuarii, tenebitur ad pensionem, etiamsi nullum de hoc fuerit pactum: Doctores communiter. Similiter, quamvis Censuario liceat vendere rem censuatam tertio, præmonendo tamen Censuistam, si velit ipse emere intra mensem, ex Bul. Pii V.; tamen non venderetur licite tertio, a quo difficulter, aut minus secure acciperetur pensio a Censuista, nisi in id forte ipse consenserit: Val., Pal. p. 24. §. 6. Similiter, quamvis ex Bul. Pii V. non possit fieri pactum, ut res censita tradatur Censuistæ, ut ex ejus fructibus pensionem accipiat, &, quod supereſt, tradat Censuario (quod nec jure naturæ fieri posse, inquit Pal., nisi aucto pretio, vel diminuta pensione) tamen, si Censuarius sit

suspe-

Digitized by Google

ſuſpectus, nec det fidejuſſionem, aut aſſecurationem, tunc tale pactum non videtur alienum a cenſu, cum ſolum ſpectet tuam indemnitatem: Pal., Rodr., & alii. Similiter, quamvis ex Bul. Pii V. non poſſit conſtitui cenſus ſuper omnibus bonis Cenſuarii generaliter, tamen cenſu conſtituto ſuper re certa in ſpecie, non improbat Pontifex obligationem generalem, ſeu hypothecam omnium bonorum ad ſecuritatem penſionis, donec illa res perſeveret: Pal. p. 27. Imo jure naturæ conſtitui poteſt ſuper omnibus bonis generaliter, nullo deſignato, cum ſic fiat cenſus perſonalis. Denique illicitum eſt pactum ſolvendi decimam, ſeu laudemium emptori cenſus, caſu quo Cenſuarius rem cenſitam alienaverit, tum ex Bul. Pii V., tum etiam jure naturæ, niſi augeatur pretium, vel penſio minuatur, ut addit Pal. p. 24. §. 6. Item pactum deferendi penſionem in domum Cenſuiſtæ, ſi ſit in diverſo foro, aut ſit penſio fructuaria, eſt illicitum; cum ſatis ſit, ſi Cenſuarius paratus ſit domi ſolvere; at licitum eſt, etiam vi Bul. Pii V. cum penſio eſt pecunia, & uterque eſt ejuſdem fori; quia natura contractus eam ſolutionem exigit: Pal. §.7.

Cætera pacta, quæ cenſui addi poſſunt, videre eſt apud Pal. p. 24. Illud noto, quod, ſi cenſui nullum additum ſit pactum de redimibilitate; vel, ſi dubium ſit, an cenſus conſtitutus ſit redimibilis, necne; cenſendum irredimibilem, quantum eſt ex jure naturæ, quia, cum conſtet de venditione cenſus, & non conſtet de pacto retrovendendi, venditio præſumitur abſoluta; cum factum illud novi pacti non præſumatur, niſi probetur: Lug. d. 27. n.7., Covarr., Croix n. 1017.

QUÆSTIO III.

De Cambiis.

CAMBIUM eſt *Permutatio pecuniæ pro pecunia aliquo pacto diverſa*; ideoque differt a mutuo exigente ſimilitudinem dati, & reddiri, & accedit ad emptionem, in qua pecunia, pro qua fit cambium, ſe habet, tanquam merx. Itaque, qui petit cambium, emit, & vocatur *Campſarius*; qui cambit, vendit, & vocatur *Campſor*. Dividitur

Digitized by Google

Cambium in *Reale*, & *Siccum*. Cambium reale est *Legitima permutatio pecuniarum*, ex qua Campsor potest aliquid lucri accipere ratione alicujus diversitatis, sive pecuniarum, sive loci; ideoque subdividitur in cambium *minutum*, & cambium *locale*, seu *per literas*. At cambium siccum, cum nullam ejusmodi diversitatem habeat, si quid lucri afferat, est ex dicendis mera usura.

CAPUT I.

Quid de Cambio minuto?

CAMBIUM minutum est *Permutatio pecuniarum diversæ rationis, & speciei*: puta majoris pro minori, vel contra: argenteæ pro aurea: novæ pro veteri: usualis in hac Provincia pro usuali in alia Provincia, &c.; Et hoc vocant aliqui ex Val. apud Tamb. Cambium *simplex, purum, manuale*; quia fit de manu ad manum, & quidem regulariter in eodem loco.

Dico primo: In cambio minuto licitum est publico nummulario exigere a Campsario aliquod moderatum pretium: Doctores communiter. Ratio est, quia adsunt justi tituli ad tale lucrum; nimirum diligentia, periculum, & expensæ Campsoris in conquirendis, & custodiendis pecuniis varii generis, ut Campsariis quibusvis sit paratus: item labor in numerandis pecuniis in gratiam campsariorum, & non in gratiam sui, ut not. Less. n. 69.; item conductio officinæ, transportatio pecuniarum ex aliis locis, ubi fortasse pluris valerent, &c. Ex quibus omnibus, vel singulis fit, ut ii, ex officio ipso cambiendi, aliquod lucrum juste recipiant: moderatum tamen, quod scilicet taxatum est a Principe, vel legitima consuetudine inductum, vel a prudenti viro, hic & nunc determinatum, spectatis tum prædictis circumstantiis, tum etiam multitudine, vel paucitate petentium: &c. Tol., Rodr., Tamb. c. 3.

Dico secundo: Licitum est etiam homini privato exigere a Campsario aliquod moderatum, & exiguum lucrum ob aliquod ex prædictis titulis: Less., Tamb., & alii. Ratio est, quia hic etiam se aliquo commodo, vel emolumento privat in gratiam Campsarii, quod est pretio æstimabile: ut si det pecuniam pretiosam, pulchram, splen-

Digitized by Google

ſplendidam, raram, antiquam, &c., & recipiat minutam, detonſam, æream, &c. Quod, ſi lege poſitiva prohibitum ſit, ne homines privati hæc cambia minuta exerceant, probabilius eſt, eos, ſi exerceant, non teneri ad reſtitutionem Campſariis, quia non plus ab eis recipiunt, quam omnibus perpenſis valeat pecunia, quam dant: Mol., Leſs. n. 17. Nec peccant graviter, ut addit Mol., quia, cum damnum alteri non faciant, ſolum venialem inobedientiam committunt: Tamb. c. 3. §. 2. Addunt aliqui apud eundem, quod, ſi lucrum in cambiis taxatum ſit a Principe, vel uſu recepto, tantundem poſſint exigere, qui ſponte exercent Campſariam, quantum, qui ex officio publico. Obſtat tamen huic ſententiæ, quod, qui ex officio id præſtant, conantur congregare varietatem monetarum, ſubire pericula, expenſas, labores, &c.; quæ ſaltem omnia, & neceſſario non ſubeunt, qui non ſunt deputati: ergo minus hi exigere regulariter poſſunt: v. Tamb. loc. cit.

Quæres primo, Quid ſit dicendum de cambiis minutis, addita pecuniæ cuſtodia?

Reſpondeo, Deponi aliquando pecuniam apud Menſam, ſeu Bancum, a quo deinde redditur non eadem numero, ſed alia; unde videtur eſſe quoddam cambium minutum, quod cambium cuſtodiæ appellant: & certum eſt, Tabularios, ſeu Miniſtros ad hoc ex officio deputatos, per ſe loquendo, poſſe aliquid moderatum accipere a deponentibus ob ſumptus, & labores in conſervandis pecuniis, in exſcribendis libris, &c. Val., Lop., Lug. d. 28. Verum alicubi nihil ſolvitur a deponentibus, vel extrahentibus pecuniam a Banco, ne propter numerationem quidem pecuniæ; eo quod tales Deputati non ſint mere Depoſitarii, ſed poſſint uti ea pecunia ad licitas negotiationes, & ſic multum lucrari: alicubi etiam reſidua pecunia, imo tota, de qua non diſpoſuit, qui eam depoſuit, aut ejus hæres, attribuitur Banco: quare hæc, & ſimilia emolumenta compenſant laborem cuſtodiæ, &c.; unde nihil pro his ſolvi conſuetum eſt: Tamb. §. 3.

Quæres ſecundo, Quid dicendum de eo, qui ex induſtria cambit monetam alterius?

Reſpondeo, Famulum v. g., qui accipit a Domino 20 v. g. monetas argenteas, ut cum illis ſatisfaciat Domini

Digitized by Google

creditoribus, vel emat ei vinum, &c., si utatur hac industria, ut illos antea permutet in monetam æream, & recipiat ex singulis monetis moderatum quid, puta unum granum, licite posse sibi retinere hoc lucrum, dummodo per monetam æream placitum Domini bene impleverit, nec ullum detrimentum fiat creditori; quia tale lucrum est fructus industriæ: Mol., Less., Bon., Lug., Tamb., & alii. Contra vero, si a debitore acceperit pecuniam deferendam Domino, non potest eam permutare, quia hoc ipso, quod ei traditur, acquisitum est jus Domino: Laym. c.19. n.5.

CAPUT II.

Quid de Cambio locali, seu per literas?

DUPLICITER fieri potest hoc cambium: I. Cum Campsor hic Neapoli recipit pecuniam a Campsario, ut eam solvat alibi, ubi Campsarius indiget, puta Romæ. II. Cum Campsor hic solvit pecuniam Campsario hic indigenti, sed habenti eam alibi, ubi reddet Campsori; quod aliquando fit etiam cum recambio, & vocatur cambium *Recursæ*; aliquando fit ad tempus determinatum, & vocatur cambium *ad Nundinas*, vel *ad Terminos*, ut infra explicabimus.

Dico primo: Potest campsor exigere aliquod moderatum lucrum ex eo, quod recipiat hic pecuniam, ut solvat alibi, sive extra, sive intra eandem Provinciam: Doctores communiter. Ratio est: Primo, quia transfert æquivalenter pecuniam campsarii in locum, ubi is ea indiget; pro quo obsequio, quamvis non possit exigere, quantum si reipsa transferret, potest tamen, quantum bona fide æstimatur ipsa facilitas operæ, & commoditas, quam inde percipit campsarius: Secundo, quia assecurat ejus pecuniam alibi, itaut, si ibi pereat, non campsario, sed sibi pereat; quamvis valde parum exigere possit hoc titulo, cum valde commodum ei sit, eam hic accipere: Tertio, quia sæpe minoris pretii est hic pecunia, quam alibi; vel quod hic major sit ejus copia, ideoque merx ista vilescit; vel quod alibi habeat meliorem ligam; ideoque intercedit etiam cambium minutum: Quarto, quia campsor publicus debet ratione officii esse paratus cuique campsario; ideo-

Digitized by Google

ideoque ſubit labores, expenſas, & pericula in comparanda, & conſervanda pecunia apud correſpondentem, in ſcribendis rationibus, literiſque, &c. Ex quibus omnibus, vel ſingulis titulis fit, ut campſor publicus poſſit aliquid exigere, juxta taxam Principis, vel juxta id, quod currit in foro bona fide, & ſine fraude: item campſor privatus, qui tamen minus exigere poteſt, quam campſor ex officio, ut patet ex dictis: Val., Leſ., Tamb., & alii. Si autem alicubi ſit juſta lex, ne quis lucretur ex cambio intra eandem Provinciam, eſt quidem ſervanda; ſed, ſi quis ex eo lucretur ob obſequium, per ſe mercede dignum, non videtur obligatus ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis: Mol., Tamb. c. 6.

Dico ſecundo: Poteſt campſor exigere aliquod lucrum ex eo, quod ſolvat hic pecuniam, ubi indiget campſarius, & eam recipiat alibi, ubi campſarius habet: Mol., Cajet., Val., Lug., Leſ., & alii communiter. Ratio eſt, quia non diſſimiles tituli adſunt in hoc cambio: Primo, Virtualis translatio pecuniæ abſentis in locum, ubi deſervit campſario, per quod eum liberat ab onere transferendi realiter: Secundo, Major æſtimatio pecuniæ hic, quam alibi, ſive ea æſtimatio ſit intrinſeca ob meliorem ligam, ſive extrinſeca ob ejus inopiam, multitudinem petentium, paucitatem dantium, &c. Tertio, Periculum, ne alibi reſtituatur: item privatio commoditatis aliter negotiandi, &c., qua ratione campſores eo plus exigunt lucri, quo longius eſt tempus, in quod pecuniam concedunt, juxta infra dicenda. Quarto, Labores, & expenſæ in comparanda pecunia, in procurando correſpondentem, in tranſcribendis rationibus, literis, &c. Quod, ſi non omnes, aliquis tamen titulus ex dictis concedet etiam campſori privato aliquod parvum lucrum arbitrio prudentis. Noto tamen, Pium V. vetuiſſe, ne ab initio aliquid in pactum determinatum deducatur titulo lucri ceſſantis, ſed ſolum ex eventu ſecuto conſtituatur: Leſſ. n. 42.

At quid, ſi cambium profit utrique? v. g. Si Titius cupiat habere hic 100. aureos, quos habet Romæ, & Cajus cupiat habere Romæ 100., quos habet hic; cujuſnam horum invicem cambientium erit lucrum? Dico, fore illius, qui prævenitur, itaut, ſi Titius prior petat, ipſe debebit

Digitized by Google

lucrum Cajo; quia ſic Cajus præventus præſtat ei obſequium virtualis translationis pretio æſtimabile; per accidens autem eſt, quod id aliunde cedat etiam in ejus commodum: Mol., Sylv., Tamb., & alii. Si tamen Titius ſciat tale commodum Caii, poteſt cum eo convenire, ut vel gratis, vel cum aliquo utriuſque lucro fiat tale cambium, ut addit Mol.

Dico tertio: Poteſt campſor exigere aliquid ob cambium *ad nundinas*, vel *ad terminos*: Leſ.c.23., Nav.,Lug. d. 28. Vocatur cambium ad nundinas, cum campſor dat pecuniam ſolvendam ſibi poſt aliquod tempus, ubi fient nundinæ, quæ in urbibus Italiæ fiunt quater in anno poſt ſingula trimeſtria: hinc fit hoc cambium ad primas, vel ſecundas, vel tertias, vel quartas nundinas. Similiter, ſi fiat ad locum,ubi non ſint nundinæ, dicitur ad primos terminos; puta ad trimeſtre, vel ad ſecundos, tertios, quartos terminos. Certum eſt autem, non poſſe exigi lucrum in hoc cambio præciſe ratione temporis longioris; quia in cambiis non requiritur temporis intervallum, niſi quatenus id neceſſarium ſit ad translationes literarum,&præparationem ſolutionis, ut ea commode in loco diſtanti fieri poſſit: quare, ſi plus temporis concedatur ad ſolutionem, id non fiet ex vi cambii, ſed taciti cujuſdam mutui, in quo recipere aliquid ratione temporis longioris eſt uſura, juxta dicta de mutuo; ideoque Bul. Pii V. *Pro noſtra paſtorali* prohibet, ne fiant hæc cambia, niſi pro primis, ſeu proximis nundinis. Cæterum licite exigitur lucrum ob alias circumſtantias tempori adnexas, præſertim, quia ob dilatam ſolutionem major fit numerus petentium, & minor dantium, & pecuniæ, cujus etiam ſubitur periculum; amittitur opportunitas, & libertas interim negotiandi, & lucrandi, &c., quibus titulis campſores etiam probi, & conſcientiæ religioſæ aliquid lucrantur juxta taxam, quæ communiter fit in nundinis.

Hinc infert Tamb. ex Leſſ., quod, ſi quis plus exigeret dando primo menſe ante nundinas, quam, ſi daret ſecundo, aut tertio menſe, licite exigeret; quia in longiori tempore majora ſubit pericula, diutius privatur pecunia ſua, qua negotiari poſſet, major eſt numerus petentium, &c., unde pretium cambii creſcit. Imo ex iiſdem titulis ait, poſ-

Digitized by Google

poſſe plus exigere, ſi daret ad ſecundas, ad tertias, ad quartas nundinas; non quidem ratione præciſa temporis longioris, ſed ratione circumſtantiarum, & veri intereſſe, quod pateretur, præſertim ob plura virtualiter cambia, quæ facit eidem; neque obſtare Bull. Pii V., quam paucis in locis, aut certe nuſquam, ait, eſſe uſu receptam: addit demum, quod, quamvis Bulla etiam prohibeat, ne fiat ab initio pactum de certo intereſſe caſu, quo non fieret ſolutio tempore præfixo, tamen non prohibere pactum de lucro incerto pro intereſſe, quod pateretur campſor ex non ſoluto cambio; imo nec de lucro certo ad arbitrium tertii, quia Bulla ſolum prohibet fieri ad arbitrium campſoris.

Denique illud maxime ſervandum in hoc cambio, ut campſor ſciat, vel rationabiliter exiſtimet, campſarium habere in loco deſtinato ad ſolutionem pecuniam ſaltem in credito, quia ſecus contra juſtitiam peccat, ſi ei ad illum locum cambiat: Doctores communiter cum Leſ. n. 68. Poteſt tamen cum eo convenire, ut ipſemet inveniat in loco nundinarum aliquem correſpondentem, qui ejus nomine ſolvat, & ita eſſe in uſu, ait Tamb. c. 5. juxta mox dicenda.

Dico quarto: Licite ſaltem ſpeculative fit cambium cum recambio, ſeu, ut dicitur, *Recurſæ;* Leſſ., Dian., Navarr., Tamburr. c. 5. §. 3., & alii contra Mol., Con., & alios. Fit autem hoc modo: Titius campſor hic Neapoli dat Cajo 100. ſolvendos in proximis nundinis Salerni; ſed, cum Cajus non habet Salerni correſpondentem, qui ſuo nomine ſolvat, Titius offert ei (nunquam tamen cogendo) ibi correſpondentem, ut ſolvat nomine ipſius Caii; qua oblatione acceptata a Cajo fit ſecundum cambium, ſeu, ut dicitur, recambium ſolvendum a Cajo hic Neapoli, ubi ſolvere debet 100., & inſuper lucrum utriuſque cambii. Rurſus, ſi Cajus ne Neapoli quidem habet hanc ſummam, poteſt ſe obligare ad eam ſolvendam cum lucro iterum Salerni, ut ſupra, & ſic continuare per multos aliquando annos cambia, & recambia, donec reipſa ſolvat Titio totum capitale cum omnibus lucris intercurrentibus; ideoque vocatur cambium recurſæ; item Biſuntinum, & Placentinum, quia in his Civitatibus cœpit celebrari.

Digitized by Google

Ratio autem, cur liceat, est, quia, quod idem sit correspondens utriusque non vitiat primum cambium; ut enim correspondens Caii solvit ejus debitum, ut correspondens Titii accipit ejus creditum; transfertque in libris dati, & accepti, quod italice dicimus *Passar le partite*. Neque vitiatur secundum cambium, eo quod Cajus illud solvere debeat hic Neapoli, ubi primo accepit pecuniam; nam non solvit pecuniam hic acceptam, cum primum cambium extinctum jam sit per illum correspondentem Salerni, sed solvit hic pecuniam Salerno acceptam per recambium; ideoque non est cambium siccum, ut dicam infra. Hinc, si talis correspondens utriusque fugeret, aut decoqueret, Titius non habebit actionem directam in Cajum, quia hoc ipso, quod acceptavit obligationem talis correspondentis liberavit Cajum; & solum potest in hunc agere indirecte, nomine scilicet correspondentis, ut sui debitoris: Less. n. 71., addens tamen, hanc speciem cambii non esse permittendam, quia inducit præsumptionem juris, & de jure usurarum, ut patet ex Bul. Pii V., unde talis in foro externo plecti posset tanquam usurarius; quamvis Tamb. approbet etiam in praxi; dummodo correspondens habeat aliam pecuniam præter creditum Titii.

Dico quinto: Omnino illicitum est cambium siccum, seu fictum: Doctores communissime. Ratio est, quia tale cambium illud est, in quo exigitur lucrum ex titulo omnino ficto, ac sterili: v. gr. Si Cajus indigens pecunia petit hic a campsore 100., & campsor non aliter dat, nisi solvendos alibi, puta Romæ, cum lucro, quod solet dari pro simili loco; Cajus ergo accipit, & tamen vere non cogitat solvere Romæ, & forte nec habet ibi correspondentem, idque constat campsori, qui proinde præsumitur eam velle recipere etiam hic. Talis contractus est cambium fictum, seu siccum, & revera mutuum, adeoque ejus lucrum est palliata usura. Cæterum, si lucrum illud exigatur titulo lucri cessantis, excusatur ab usura: Tol., Bon., Busemb., & alii.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De Societate.

VIDENDUM, Quid, & Quotuplex sit Societas? Quid de rebus in ea collatis? Quid de lucro? Quid de damno, & expensis? Quid de contractu trium? Quid de Societatis dissolutione?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Societas?

CONTRACTUS Societatis est *Conventio duorum, vel plurium habilium contribuendi ad communem quæstum, vel usum, & commune damnum sustinendum*: Doctores communiter apud Pal.

Dicitur *Conventio, &c.*, quia hic contractus solo consensu perficitur; unde etiam inter absentes, & sine scriptura perfici potest: Mol. d. 411. Dicitur *Habilium*; multi enim jure sunt inhabiles ad hunc contractum, juxta dicta d. 1., quibus adde, medicum jure positivo non posse inire hunc contractum cum infirmo durante infirmitate, nec advocatum cum cliente, nec tutorem, aut curatorem cum pupillo, aut minorenni. Dicitur *Contribuendi*, sive sortem capitalem, puta pecuniam, pecora, merces, sive operam, sive industriam, sive naves, currus, jumenta, cæteraque instrumenta; itaut quivis socius aliquid horum de suo contribuat. Dicitur *Ad communem quæstum, vel usum*; quia finis societatis est lucrum, quod debet esse commune, ut fit in negotiatione; vel usus tantum, ut contrahunt milites, qui ex communi marsupio expensas faciunt; vel lucrum simul, & usus, ut est societas matrimonii. Dicitur demum *& ad commune damnum*, quia, si in societate unus lucrum tantum, alter damnum tantum reportaret, non esset societas humana, sed leonina, ut dicitur *l. Si non fuerint, ff. pro socio*: nisi aliter fiat compensatio, ut dicemus infra.

Societas variis modis contrahi potest, tum ex parte finis, tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, tum ex par-

Digitized by Google

parte temporis, ex quibus diversæ existunt species.

I. Ex parte finis, alia est societas ad lucrum tantum, alia ad usum tantum, alia ad utrumque, ut explicatum est.

II. Ex parte materiæ: alia est societas omnium bonorum, ut inter conjuges, in qua omnia bona sive præsentia, sive futura, quocumque titulo fuerint acquisita, durante societate, communicantur æqualiter; nisi aliud ab initio conventum fuerit; alia est absoluta, hoc est neque expresse dicens omnia bona, nec aliquid in specie determinans; & hæc extenditur ad bona præsentia, & futura, ex *l. Si quis Societatem, ff. pro socio;* sed non ad acquisita, vel acquirenda titulo gratuito, scilicet donatione, legato, hæreditate, &c., etiamsi occasione societatis pervenerint, *l. Socium, ff. eod.*; alia demum est specialis pro aliquibus bonis, prout conventio designaverit.

III. Ex parte formæ, alia est, cum fit contributio ex animo, ut non solum lucra, & damna, sed etiam res contributæ fiant communes, itaut earum possessio quadam fictione juris transferatur in omnes socios, etsi singulis traditæ non sint, ex *l.* 1., *ff. eod.*, & in fine contractus omnibus pro rata sint dividendæ; alia est, in qua sola lucra, & damna sint communia, sed singuli socii retineant dominium rei a se contributæ; alia demum, in qua pars lucri tantum communicatur, nullo communicato damno, juxta varias pactiones societati adjectas, de quibus infra.

IV. Ex parte temporis, alia est societas ad vitam, alia ad tempus determinatum, seu usque ad finem alicujus negotii, ex *l.* 1. *cit.* Nunquam tamen contrahi potest, ut perseveret post alicujus mortem, quia hic contractus non transit ad hæredem (nisi in aliquibus casibus, de quibus infra) sed morte unius socii tota societas dissolvitur, *Instit. de Societ.*

CAPUT II.

Quid de rebus in Societate collatis?

QUÆRES primo, An in contributione servari debeat æqualitas?

Respondeo affirmative; Quia aliter lucrum non posset æqualiter dividi. Hinc, si unus pecuniam, puta 100. au-

Digitized by Google

aureos, alter operam contribuit, ut hæc ſit illi æqualis, comparari debet, quanti valeant in ordine ad finem ſocietatis: ſi ergo in ordine ad negotiationem ſocietatis 100. aurei valent 10.,& opera alterius etiam 10.,habetur æqualitas. Pro praxi autem conſulendi ſunt mercatores ejus negotiationis, qui, utpote experti, ſpectatis omnibus æſtimabunt pretium pecuniæ, & operæ, quanti valeant in ea negotiatione, & quæ rata lucri ſingulis ſit diſtribuenda. Putavit Sotus, pro hac æqualitate ſatis eſſe comparare operam ſolum ad periculum, quo 100. illi aurei poſſunt in negotiatione deperdi; itaut, ſi periculum ſit tantum ut tria, ſatis ſit opera, quæ æſtimetur tantum ut tria; & ratio ipſius eſt, quia pecunia ex ſe eſt ſterilis, opera vero ex ſe fructifera. Sed communiter rejicitur a Doctoribus, & praxi Fidelium, quia pecunia, ut ſubſtans negotiationi eſt fœcunda, & præcipua radix lucri; adeoque æſtimari debet ejus uſus in ordine ad illud.

Idem proportionaliter dicendum, ſi unus conferat pecuniam, alter operam, ſeu induſtriam, alius inſtrumenta, ſcilicet equos, navigium, molendinum, &c., alius materiam, ut lapides, cæmenta, ligna, &c. ad ſuſceptam negotiationem neceſſaria; niſi enim in his ſit æqualitas, lucrum non erit æqualiter commune, ſed pro rata diſtribuendum. Idem, quando fit ſocietas in animalibus, v.g. ſi tu oves, alter vero operam, ſeu induſtriam conferat; vel ſi uterque contribuatis æqualem partem induſtriæ, & parem numerum ovium ad fructus inde æqualiter dividendos, de qua re plura dicentur infra.

Quæres ſecundo, Quis ſit Dominus rei in ſocietatem collatæ?

Reſpondeo, Præciſo alio peculiari pacto, vel modo contrahendi, qui confert v. g. pecuniam artifici ponenti operam, dominium illius pecuniæ apud ſe retinere; quia confert illam ſolum ad uſum negotiandi, adeoque ſolum illius uſum facit communem cum ſocio: D. Th., & alii. Hinc finita ſocietate ſumma capitalis tota debetur illi, qui poſuit, & ſolum lucrum eſt dividendum: Val., Nav., Sa, Fil., Tamb., & alii: & probatur ex praxi, quam eſſe de jure communi ait Bonac. contra Mol., Lug., & alios putantes, etiam eam ſummam eſſe dividendam, eo quod

ali-

Digitized by Google

aliter non ſervaretur æqualitas, cum artifex amitteret totam ſuam operam, & conferens pecuniam nihil amitteret. Sed rejiciuntur; quia opera, cum in caſu nunquam ſit reditura, ſed omnino peritura, abſolute, & ſimpliciter tanti valet, quanti valet ſolus uſus pecuniæ: unde etiam fit, ut, ſi pecunia collata ab uno interim creſcat, vel decreſcat in valore extrinſeco, creſcat, vel decreſcat ei, qui illam contulit; niſi vero commixta jam fuerat cum aliis pecuniis ſociorum, itaut diſcerni nequeat, vel ex ea emptæ jam erant merces; tunc enim domina eſt ſocietas, ideoque augmentum erit commune lucrum, decrementum commune damnum. Dixi, *Præciſo alio peculiari pacto, &c.* Nam potes contrahere ſocietatem cum pacto, ut pecunia, quam confers, ſit communis ſocio ponenti ſolam operam; itaut, dum viget ſocietas, ea ſit ſub dominio utriuſque; finita ſocietate, ſit dividenda, uti etiam lucrum. Sed hoc pactum compenſari debet a ſocio: & ſane compenſaretur, ſi opera ejus eſſet magni momenti ad lucrum conſequendum, tua autem pecunia eſſet modica, vel quid ſimile: Tamb., & alii.

Similiter, præciſo alio peculiari pacto, ſi poſt contractam ſocietatem pereat talis pecunia ſine ulla culpa ſocii, perit ei, qui illam contulit, ſive perierit ante, ſive poſt inceptam negotiationem, ſeu operam ſocii; quia ſemper perit domino ſuo: Tol., Nav., Sylv., Tamb., & alii contra Mol., Covar., & alios. Si autem unus ſocius conferat 100. aureos, & alter alios 100., ex quibus omnibus 100. ponerentur in una navi, & alii 100. in alia, quarum deinde una ſubmergeretur, tunc ex 100. ſalvis dimidium eſſet unius ſocii, & dimidium alterius; quia in tali caſu illi 200. erant communes utrique, ideoque in una navi non erant 100. unius, ſed utriuſque; & conſequenter utriuſque eſſe debent alii 100.

Dixi rurſum, *Præciſo alio peculiari pacto*; poſſunt enim ſocii paciſci, ut damnum pecuniæ collatæ ab uno ſit commune; itaut, ſi caſu pereat, dimidium tantum ei pereat, & dimidium ſit ei reſarciendum ab altero; quod, ut ſit licitum, conjungi debet cum pacto: ut, ſi pecunia maneat integra, dividatur cum ſocio. Sic enim eſt æquale periculum, ut ſocius acquirat dimidium, vel ut illud amittat, & ſolve-

Digitized by Google

vere de suo debeat: Nav. asserens, esse communem. At si periculum non sit æquale, vel velis paciſci primum, non ſecundum, es injuſtus, niſi forte aliunde onus impoſitum ſocio compenſes; & cum hac compenſatione ſolum approbat in jure Pontifex: Tamb. c. 5. §. 2. n. 5.

CAPUT III.

Quid de damno, & expenſis communibus?

CERTUM eſt, ſocium in conſcientia teneri de damno ex ſua culpa ſocietati ſecuto. Culpa autem ad id obligans eſt: *Quando is non adhibuit eam diligentiam in negotio ſocietatis, quam poneret, ſi illud negotium ad ſe ſolum pertineret;* quia, præſcindendo ab alio pacto peculari, nemo intendit ſe, ſuamque operam magis obligare pro re aliena, quam pro ſua. Si autem defecit quidem a tali diligentia, ſed abſque culpa gravi theologica, probabile eſt, non teneri in conſcientia, etſi inde ſequutum ſit damnum; niſi vero ſocietati additum ſit pactum aſſecurationis, de quo c. 5.

Quæres primo, Cujus ſit damnum abſque ullius culpa ſecutum in frumento, aut alia merce empta ex pecunia unius, & opera alterius ſocii pro negotiatione facienda?

Reſpondeo, Eſſe commune utrique; quia frumentum illud fuit emptum cum pecunia unius, & cum opera alterius: ergo ad utrumque ſocium pertinet damnum, ſicut pertinere debet & lucrum; hinc, ſi vitientur tales merces, vel pereat navis, in qua vehebantur, &c., in utriuſque damnum vitiantur, vel pereunt: Bonac., Lug., & alii communiter. Excipe ſemper, niſi additum ſit pactum aſſecurationis, quo damnum conjiciatur in unum ex ſociis; de quo infra.

Quæres ſecundo, Ad quem pertineat damnum ſecutum uni ex ſociis, vel ejus neceſſario miniſtro pro communi negotiatione?

Reſpondeo: Primo, Si damnum illi evenit ex ſocietate, tamquam ex cauſa proxima (puta ſi exercens ſocietatem naufragium patiatur, vel, ut defendat merces, vulneretur, &c.) tale damnum debere eſſe commune, ex *l. Cum duobus, & l. Fratres, ff. pro ſocio:* ſicut enim lucrum ex ſocie-

cietate est commune, ita æquum est, ut damna ex eadem societate proxime provenientia sint communia. Cæterum hoc damnum resarciri debet ex bonis societati subjectis, & non ex aliis bonis: Nav., Rodr., Bonac., & alii: Secundo, Si damnum socio evenit ex societate, tanquam ex causa remota (puta si exercens societatem in via vulneretur a suo inimico, vel non instituatur hæres a suo amico, &c.) tale damnum non debet esse commune, sed ipsius tantum; quia non est proprie ex societate, neque adeo censentur socii in illud consensisse: Nav., Mol., Less. n. 37. Idem est, si exercens societatem incidat in febrim, &c., quia id non provenit ex societate, tanquam ex causa, sed potius ex conditione personæ: & ita in praxi servari judicat Tamb. n. 11. Excipe, nisi alia sit alicubi consuetudo, vel pactum justum in contrarium.

Quæres tertio, Quid sit dicendum de expensis communibus?

Respondeo primo, Si expensæ sint proxime, & immediate necessariæ ad communem sociorum negotiationem (ut jumenta conducere ad merces deferendas, vel domum ad easdem conservandas, solvere gabellas, & similia) eas debere esse communes sociorum, præscindendo ab alio pacto, vel justa consuetudine in contrarium; quia negotiatio communis est earum causa proxima: Mol., Less. n. 35. Idem dicit Tamb. de eleemosynis moderatis ab uno socio factis intuitu societatis, ut scilicet prosperum exitum habeat, vel de ejus voto in tempestate pro incolumitate mercium, &c. Idem de expensis pro victu socii, etsi ponentis tantum operam, sed proficiscentis extra domum suam ad negotia societatis, ex *l. Cum duobus*, & *l. Si Fratres*, *ff. pro socio*: & ratio est, quia, qui locat operam suam extra domum, a conductore, cui servit, est merito alendus; unde inferunt Mol., Les., Bon., & alii contra Bald., Nav., & alios, non esse deducendas expensas, quas ille faceret pro victu domestico, si etiam societatem non iniviſſet. Secus vero dicendum, si domi suæ suam operam poneret, quia, qui locat operam suam non discedens domo sua, sibi consuevit alimenta præstare: Mol., Tamb. c. 8. n. 9. Secundo, Si expensæ factæ sint a socio, qui suam promisit operam, ut suam ponat operam, eas non debere esse commu-

Digitized by Google

munes, ſed illius tantum; quia, qui promittit operam, debet adhibere ea, quæ adhiberet in rebus ſuis, & ad conſervanda ſua quiſque facit expenſas ordinarias. Dixi *Ordinarias*, quia ad extraordinarias non præſumitur quis ſe obligare, præſcindendo a ſpeciali pacto, vel juſta conſuetudine, ut ſæpe diximus, in contrarium: Tamb.n.2.

Extracta ſumma capitali id, quod remanet deductis ex eo omnibus expenſis, eſt lucrum inter ſocios dividendum æqualiter arithmetice, ſi partes collatæ fuerunt æquales; æqualiter vero geometrice, ſi ſit major, & minor æſtimabilitas partium collatarum.

Hinc, ſi Petrus in ſocietatem confert 100. aureos, quorum uſus prudentium arbitrio valeat 10.; Paulus vero confert operam valentem, prudentum judicio item 10., lucrum vero totum ſit, deductis expenſis communibus, 4. aureorum; finita ſocietate, Petrus primo loco extrahet ſuos 100., deinde accipiat 2., & Paulus alia 2., quia ſic æquale lucrum reſpondet. Idemque eſt, ſi uterque æqualem pecuniam, & æqualem operam conferat; ſic enim uterque primo extrahet pecuniam ſuam, & deinde lucrum æqualiter dividet: ſi autem in negotiatione notabiliter plus conducat opera unius, quam alterius, debet illi ex lucro aliquid amplius proportionatum accedere, quia ſic cenſetur, plus conferre in Societatem: Val., Nav., Tamb.

Si autem Petrus confert 100., Paulus 50., & operam; tunc Petrus extrahat ſuos 100., & Paulus ſuos 50.; deinde ſi opera Pauli in tali negotiatione valet, quanti 50. redituri ad Petrum, dividendum eſt lucrum æqualiter; at ſi valeat plus, vel minus, dandum eſt Paulo aliquid plus, vel minus geometrice proportionatum: Mol. d. 416.

Si vero Petrus, & Paulus nihil pecuniæ conferendo, conveniant, ut omnia lucra, quæ per 10. annos acquirent ex ſua arte v. g. navigandi, fiant communia; tunc, ſi Petrus acquiſivit 1000, Paulus vero 100., totum hoc dividendum eſt æqualiter æqualitate arithmetica, itaut ſinguli habeant 550., quia æquale erat periculum, ut Petrus, vel Paulus plures haberent, vel pauciores occaſiones lucrandi, ut ſupponimus: Tamb. ex Lug. d. 30. n. 27. Hinc, ſi antequam fluat tempus illud 10. annorum, Petrus videat, ſe plus acquirere, quam Paulus, non poteſt diſſol-

ve-

Digitized by Google

vere ſocietatem ; quia hæc fuit , ut ſupponimus, juſte contracta , & Paulus ex ſe paratus eſt ad ponendam operam , quam promiſit .

Quæres quarto , Quænam pacta circa lucrum , aut damnum ſocietatis ſint injuſta ?

Reſpondeo , Eſſe illa , quæ inæqualitatem inter ſocios afferunt ; quia par eſſe debet utriuſque ſocii ſors , periculum , lucrum , & damnum . Cæterum pactum , quod ſe ſolo inæqualitatem affert , evadere poteſt licitum , & juſtum , ſi aliunde ea inæqualitas compenſetur , quia ſic æquatur juſtitia . Hinc , ſi Cajus tradat Titio 10. gallinas eo pacto , ut ſingulis diebus reddat ei unum ovum , & teneatur integrum numerum gallinarum ſervare ; ideoque, ſi una moriatur , vel eripiatur, ſubſtituere aliam , Laym. , Pal., & alii contra Med., Rebel., & alios dicunt , eſſe licitum, & juſtum ; quia, quamvis Cajus habeat lucrum certum , & Titius totum periculum ſortis cum onere etiam alendi gallinas , tamen periculum compenſatur Titio per plures fructus , & onus alendi compenſatur per longe plura ova ex reliquis gallinis habenda . Hac ratione etiam licite, & juſte fit ſocietas in pecoribus, interdum ita,ut tam pecora ipſa , quæ alteri paſcenda traduntur, quam fructus, ſcilicet lac , lana , fœtus , &c. , nec non damna , communia ſint danti , & accipienti : interdum vero ita , ut pecorum dominium , damnum , & periculum , ſeu caſus fortuiti ſpectent ad ſolum dantem: fructus autem ſpectent ad utrumque;interdum vero ita,ut pecora in principio æſtimata tradantur , eorumque pretium, vel ex fructibus, vel ex venditione pecorum extrahat dans ; reliqua vero emolumenta ipſi cum recipiente ſint communia : quem modum contrahendi , quamvis improbent Sylv. , & alii , tamen approbant Nav., Mol. d. 420., Laym. , & alii , dummodo tanta pars fructuum relinquatur paſtori , quanta ipſi debetur,ſpectata cura,expenſis, &c., ac loci conſuetudine; nec teneatur præſtare caſus fortuitos .

Noto demum , interdum videri contractum ſocietatis , cum revera ſit alius contractus : v. g. ſi ineas cum nauclero pactum , ut aſportet tuum frumentum in locum , ubi pluris venditur,pro qua opera ei ſolvas partem aliquotam, puta ſeptimam lucri , quæ pars judicetur æqualis æſtima-

bi-

Digitized by Google

bilitati talis operæ; damna vero omnia, ſicut & reliqua omnia lucra tibi cedant; hic contractus non eſt ſocietatis, ſed locatio, & conductio, in qua nauclerus non habebit, niſi mercedem juſtam ſuæ operæ. Idem eſt, ſi conferas Petro 10. aureos ad negotiandum cum pacto, ut ille certam partem lucri habeat, quanti ſcilicet æſtimatur ejus opera, ſive ex negotiatione pariatur lucrum, ſive non, ſive caſu pereat pecunia, ſive non: Mol.d.411. Idem, ſi ineas hoc pactum, ſi ſocietas bene ſuccedat, dabo tibi mercedem longe majorem, ſi male, longe minorem: v. Tamb. c. 9. Idem denique, ſi tradas oves paſtori, ut eas cuſtodiat, data illi parte fructuum, qua dictam cuſtodiam compenſes: ſi autem tradas, ut ipſe fructum ſibi accipiat, ſoluto tibi ejus pretio, eſt venditio.

CAPUT IV.

Quid de Contractu Trium?

DICITUR Trium, cum ad contractum Societatis adjunguntur duo alii contractus, ſcilicet aſſecurationis ſortis, & aſſecurationis lucri ſperati: v. g. Tradis Paulo 300 aureos contractu Societatis ad negotiandum; itaut tua pecunia ſit æque æſtimabilis ad eam negotiationem, ac opera Pauli, & inſuper ſpes lucri judicio prudentis ſit de 60 aureis: quare ex vi contractus Societatis deberentur tibi una cum ſorte 30 aurei, qui ſunt dimidium lucri ſperati; ſed quia in te eſt periculum amittendæ ſortis, contrahis ſecundo cum eodem Paulo, ut in ſe ſuſcipiat tale periculum, pro cujus aſſecurationis compenſatione das ei tertiam partem lucri ſperati, itaut maneant tibi certi 20 una cum ſorte; denique, quia adhuc in te manet periculum, & incertitudo lucri, contrahis tertio cum eodem, ut & hoc periculum in ſe ſuſcipiat, pro cujus aſſecurationis onere das ei dimidium lucri remanentis ſperati. Itaque, ex 30 tibi ſperatis pro lucro, remanent tandem tibi 10 certi, quæ eſt tertia illius pars tibi danda una cum ſorte, ſive adſit, ſive non adſit revera lucrum in ea negotiatione: item, ſive pereat, ſive non pereat ſors.

Hi tres contractus ſicuti licite celebrantur cum tribus perſonis, ita etiam cum eadem perſona; quia nec unio eo-

Digitized by Google

rum, nec personæ identitas destruit substantiam contractus: Sylv., Cov., Nav., Val., Mol., Med., Lop., Tol., Less., Laym., Bon., Dian., Lug., & alii contra Cajet., Sot., Azor., Rebel., Fil., & alios dicentes, hoc aliud non esse, quam subtiliter palliare usuram; sed immerito, cum *l. 29., ff. Pro socio* dicatur, conveniri posse societatem, itaut nullam partem damni alter sentiat; quod certe aliter non potest fieri, nisi assecurando sortem, & lucrum. Neque obstat Sixt. V. Bul. 45. *Detestabilis*, damnans omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum: nam Less. n. 33. ait, Pontificem tantum improbare, si ex vi ipsius contractus Societatis exigatur assecuratio, cum esse debeat socio liberum inire societatem absque contractu assecurationis, &c.

Similiter iniri potest contractus trium in Societate circa greges animalium: potest enim tradi grex 100 ovium pascendus ea lege, ut pastor in fine anni præstet illum salvum, quod vulgo dicitur, *A capo salvo*, supplendo, si quid etiam fortuito perierit: & præterea quotannis solvat aliquid certi pro fructibus. Ut tamen hic contractus sit justus, necesse est, ut spes fructuum ex illo grege sit tanta, ut judicio prudentium æquivaleat oneribus, quæ pastori imponuntur, præstandi scilicet integrum numerum, & solvendi quotannis certam pensionem: Less. n. 33. Addit Tamb. ex Valent., in contractu trium illud lucrum censeri justum, quod est utrique contrahenti commodum.

CAPUT V.

Quot modis dissolvi possit Societas?

QUINQUE modis dissolvi licite potest: mutuo consensu, finito tempore designato, finito negotio, morte civili, & morte naturali, ex *l. Verum, ff. Pro socio.*

I. Mutuo consensu, quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur (excipe societatem matrimonialem, utpote indissolubilem) Quod, si unus Socius inciderit in amentiam, non dissolvitur Societas, neque ex consensu Curatoris, nisi in casibus, in quibus ille, si fuisset sanus, voluisset: quare continuanda est tunc Societas, &

lu-

Digitized by Google

lucrum dividendum cum curatore amentis, ex *l. ult.*, *C. Pro Socio*. At, ſi quis ex ſociis renunciet, aliis invitis, tunc damnum, quod ex tali renunciatione ſubſequetur, ad ipſum ſolum ſpectabit; ſi vero nihilominus habebitur lucrum, ipſe non erit particeps, quia ceſſit juri ſuo, & ſubivit obligationem ad intereſſe ſociorum. Cæterum in quatuor caſibus poteſt aliis invitis impune recedere: primo, ſi ſocii non ſervent pacta: ſecundo, ſi ſint damnoſi: tertio, ſi omnino ceſſet ſpes lucri: quarto, ſi debeat Reipublicæ cauſa abeſſe, nec commode aliis, aut ſociis committere partes ſuas poſſit: Tamb. c. 10. n. 5. II. Finito tempore deſignato, quia ulterius non ſe extendebat conventio; niſi vero tacito conſenſu innovetur, ſeu continuetur ſocietas; quia tunc novus cenſetur advenire contractus. III. Finito negotio. Finiri dicitur negotium: primo, ſi totum capitale, vel magna ejus pars caſu pereat, aut ita mutetur, ut aptum non ſit ad negotiandum: ſecundo, ſi in agro a ſociis excolendo auctoritate publica extruatur Eccleſia: tertio, ſi ſocius non poſſit contribuere ſuam partem, ut ſi incidat in paupertatem, ægritudinem, vel ſit in carcerem conjectus, vel ejus bona fuiſſent publicata, vel quid ſimile. IV. Morte civili unius ſocii, quæ pro hac re eſt triplex: primo, Capitis diminutio, ideſt deportatio in inſulam cum amiſſione libertatis, vel etiam ſola deportatio in inſulam, vel exilium abſolute acceptum, ut addit Bonac.: ſecundo, Ceſſio bonorum: tertio, Profeſſio in Religione: Molin. d. 9. V. Morte naturali unius ſocii; unde ſocietas non tranſit ad ejus hæredem. Quod, ſi affuerit pactum, ut ad hæredes tranſiret, remanet ſocietas quoad ſocios ſuperſtites, ſi velit hæres defuncti; at non remanet quoad ipſum, ſi nolit. Quod ſi tale pactum fuerit juratum: tunc, qui docent, juramentum firmare contractum, affirmant, tale pactum juratum obligare hæredem ad proſequendam ſocietatem; negant vero, qui putant juramento non firmari contractum. Vide, quæ dicta ſunt d. 1. q. unic. c. 8.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

De Ludo, Sponſione, & Sortibus.

HI contractus jure naturæ liciti ſunt, modo debitæ conditiones adſint, & aliunde non interveniant ſcandalum, occaſio peccati, aut juſta prohibitio. De ſingulis ſeorſim eſt hic agendum.

CAPUT I.

Quid de Ludo?

LUDUS eſt *Contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque depoſuit.*

Finis ludi eſt honeſta recreatio. Hinc Sylv., & alii damnant peccati mortalis eum, qui principaliter luderet ob lucrum præſertim magnum. Sed communiter rejiciuntur, quia non videtur mortale, velle per juſtum contractum acquirere rem proximi. Addunt tamen Nav., & alii contra Lug. d. 31. n. 4., eſſe veniale, quia eſt invertere finem ludi; niſi forte ludas ob lucrum ad ſubveniendum alicui neceſſitati.

Quæres primo, Quot ſint ſpecies ludorum, & quinam ſint prohibiti?

Reſpondeo, Eſſe tres ſpecies: Primo, ſolius ingenii, induſtriæ, aut virium, ut curſus, ſaltus, lucta, pila, haſtiludium, ac torneamenta, agitatio taurorum, & ferarum, &c. Secundo, ſolius fortunæ, ut taxilli, &c. Tertio, mixtus, qualis eſt alea, &c.

Ex his torneamenta prohibentur, c. 1. *de Torn.*, ubi, qui occiſi fuerint, privantur Eccleſiaſtica ſepultura. Sub eadem pœna prohibentur agitationes taurorum, & ferarum a Pio V., ubi etiam excommunicantur ipſo facto Principes, ſive Eccleſiaſtici, ſive Seculares eas permittentes; & jubet, excommunicandos Eccleſiaſticos ſive Regulares, ſive Seculares in Sacris conſtitutos, aut Beneficiatos intereſſentes: ſed Gregor. XIII. abſtulit excommunicationem quoad Principes laicos permittentes, modo non permittant die Feſto, & caveant, quoad fieri poſſit, periculum mortis; &

Clem.

Digitized by Google

Clem. VIII. abſtulit pro Regnis Hiſpaniæ excommunicationem ferendam quoad Eccleſiaſticos ſeculares intereſſentes, & privationem ſepulturæ quoad occiſos, ut addit Rodr.

Ludi taxillorum, & alearum prohibentur etiam Laicis, *l.* 2. cap. *de Alear.*, *& l. fin.*, *Cod. de Relig.*, *& ſumpt. funer.*, ubi additur, ut, qui ſic ludendo perdidit, non cogatur ſolvere: &, ſi ſolverit, habet jus repetendi: ſed, cum tales leges ſint ſolum comminatoriæ, & mere pœnales, non obligant laicos ſub gravi; imo nec nunc ſub levi, ut addit Lugo, cum ſint per deſuetudinem abrogatæ. Maxime vero prohibentur Clericis, cap. *Cleric.* 2. *de vit. & honeſt. Cler.*, ne his ludant, nec aſſiſtant: quæ prohibitio non extenditur, niſi ad Clericos in Sacris, vel Beneficiatos: Cajet., Leſs., & alii. Putat etiam Salas, non extendi ad Religioſos, & laicos, ſed communiter rejicitur, præſertim in Religione ab his ludis maxime abhorrente.

Si quis teneat domum ludo illicito expoſitam, aut inſtrumenta ſubminiſtret, peccat mortaliter, ut & Princeps permittens; quia directe, & proxime cooperatur ad blaſphemias, rixas, &c., non aliter, ac qui ſubminiſtrat enſem occiſuro: Dicaſt., & alii communiter cum Dian. p. 2. t. 15. r. 65. Unde Sanch., & alii putant, hunc teneri ad reſtitutionem, tanquam cooperantem ad injuriam, ſi ludentes per fraudem perdant. Ludere autem in Eccleſia ludos, qui ſpecialiter ibi non ſunt prohibiti, ſecundum ſe non eſt, niſi veniale, ſi fiat ſine cauſa; ſufficit tamen honeſta recreatio pro Clericis, qui v. g. in Eccleſiam confugerunt: Cajet., Nav., Dian. r. 38. Denique ludere pro Pſal., Oratione Dominica, &c. non eſt irreverentia, nec peccatum: Nav., Sanch., Dian., & alii: ſi autem tu ſpondeas Miſſam, & Colluſor carolenum, vel aliud temporale, Lug. n. 5. dicit, poſſe eſſe periculum Simoniæ; ſed negant Rodr., Dian., r. 41., quia non æſtimatur res ſpiritualis pro temporali, ſi exhibetur executio rei ſpiritualis loco temporalis: ut, ſi tibi debeam carolenum, licite offero Miſſam pro te dicendam: Croix n. 1096.

Quæres ſecundo, An, qui perdit in ludo prohibito, teneatur in conſcientia ſolvere?

Reſpondeo, Laym, Lug., & alios affirmare, quia con-

Digitized by Google

tractus ludi jure naturæ est validus, nec videtur irritari jure positivo: sed Dian., Croix, & alii probabiliter negant; quia, cum lex det ei actionem repetendi, quod solverat, consequenter etiam dat exceptionem, antequam solvat. Si autem solvit, & antea promiserat non repetere, adhuc potest repetere, quia lex ei favet. Nisi vero juraverit, non repetiturum; quod juramentum probabilius non est relaxandum, cum confirmet contractum: Mol., Less., Lug. n. 66. contra Val., Nav., Sal., Dian., & alios. Similiter neque potest uti favore legis, si promissio non repetendi facta fuit post solutionem, quia esset veluti nova donatio independens a ludo: Croix n. 1089.

Quæres tertio, Quid dicendum de eo, qui lucratus est in ludo prohibito?

Respondeo, posse retinere in conscientia; quia lex præcipit restitutionem tantum post sententiam Judicis; ergo non debet restituere, etsi petatur extrajudicialiter: Sanch., Less., & alii communiter contra D.Th., D.Bonav., Sylv., & alios. Imo, si sine vi, vel fraude efficiat, ne a Judice damnetur ad restitutionem, non peccat: si tamen juridice interrogetur, probabilius tenetur fateri, quia lex non est mere pœnalis, sed dispositiva: Lug., Less., & alii contra Mol., Sanch., Dian., & alios. Si autem ipse luserit cum animo repetendi per Judicem, quod perderet, & lucratus est, Mol., Less., & alii dicunt, debere in conscientia restituere, quia fecit dolum dantem causam contractui, & posuit inæqualitatem. Sed probabiliter negant Sanch., Dian., Lug., n. 53., & alii; quia, nec ludus est invalidus, nec habetur inæqualitas, cum etiam alteri competat favor legis. Denique potest victus terrere victorem de adeundo Judicem, & sic pacisci de parte restitutionis: si autem ficte minetur, Sal., Mol., & alii putant, non esse tutum in conscientia; sed Less., Tamb., & alii dicunt, esse tutum, quia, cum habeat jus, dolus non est injustus. Nunc de ludi conditionibus aliquid addemus, atque ut distinctius procedatur, sit

§. UNI-

Digitized by Google

§. UNICUS.

Quænam sint conditiones justi ludi?

QUATUOR sunt conditiones justi ludi: Prima est, Ut sit sine vi: Secunda, Sine dolo, & fraude: Tertia, Ut ludens possit disponere de re, quam ludo exponit: Quarta, Ut sit æqualis conditio colludentium. Itaque Quæres primo, Quid dicendum de vi adhibita ad ludendum?

Respondeo, Qui injuste coactus ludit, & lucratur, non teneri restituere, quia ludus ex parte ipsius est justus, & inæqualitatem tollit injuria coactionis: Doctores communiter. Idem de cogente dicunt Trul., Dicast., Hurt., Dian., r. 32., quia coactio non fuit ei causa victoriæ. Sed probabilius contradicunt Mald., Croix, & alii, quia ex coactione, utpote injuriosa, debetur compensatio damni secuti; si autem victus cogat vincentem, ut ulterius ludat, & victus receptis amissis adhuc lucretur, Tol., Mol., & alii dicunt, non teneri restituere, nisi ad summum hæc postrema: quam sententiam, Less., & Dian., dicunt probabilem. Diceris autem cogere, si conviciis lacessas, ad quæ vitanda alter consentit in ludum, alias non lusurus: Mol., Laym., Bonac.

Quæres secundo, Quid dicendum de dolo, & fraude adhibita in ludo?

Respondeo, Si ludens fecit fraudem, & sine fraude eventus ludi fuisset dubius, teneri restituere lucrum, ut patet. Addit etiam Mol. contra Lug., aliquid etiam debere dare de suo pro spe lucri, quam habebat alter, quæ erat pretio æstimabilis, & ipsi per injuriam fuit sublata. Cæterum, si dubitet, an per fraudem lucratus fuerit, debet saltem restituere lucrum; quia in dubio de justo titulo alter manet in possessione: Croix n. 1081. Hinc, si pactum fuerit, ut, qui plus lucretur, solveret chartas, candelas, &c., & Titius lucretur per fraudem, non potest ex lucro deducere illas expensas, sed sibi imputare debet, vel procurare, ut fiat id, quod factum fuisset, si nullus lucratus esset: Lug. n. 31. At quid, si quod lucratus est per fraudem, iterum ludens cum eodem perdat? Armil. dicit, nil ultra,

Digitized by Google

teneri restituere, si in eodem ludo continuato iterum perdat, quia id tantum dicitur lucrum, quod in fine ludi reportatur: annuit Sanch., & alii; sed oppositum communiter dicunt alii cum Lug. n. 39., quia, quot novi sunt jactus, tot novi sunt contractus: a fortiori vero, si in ludis diversis, ut dicunt omnes.

Dicitur autem hic dolus, & fraus, si simules te plane ignarum ludi, & sic alterum multo imperitiorem inducas, qui alioqui ludere noluisset: si manum non debitam prior quasi de jure usurpes; si a tergo colluforis habeas amicum, vel speculum, ex quo chartas ejus scias, & similia. Secus vero, si colluforem non admoneas de errore, v. g. si non recte numeret sua puncta, quia ludens ipse debet attendere ad suum negotium; neque, si non admoneas concedentem tibi primam manum; neque, si sis eo peritior; neque, si meliores chartas habens simules metum, aut minuas sponsionem; neque, si viliores chartas habens dissimules, aut augeas sponsionem, ut sic relinquatur tibi, quod erat appositum; neque, si videas chartas alterius ex sola ipsius negligentia, & absque fraude, aut eas a tergo noveris inter ludendum, modo ante non signaveras, nec noveras; neque demum, si utaris astutiis illis, quas regulæ lusus, & consuetudo recepta patitur, cum uterque sciat, tales astutias esse solitas, & sic tacite in illas libere consentiat: Less. n. 15., Bon., & alii. At quid, si Titius non ludens, sed videns viles chartas Caii volentis per auctionem deterrere te a lusu, tacite te moneat, ne deterrearis, sicque tu ludas, & vincas? Dico: si ante monitionem nolebas ludere, teneris, & in tui defectu Titius tenetur restituere, ut patet. Si ante monitionem decreveras ludere, nihil est restituendum, quia monitio se habuit per accidens ad damnum; si vero antea eras dubius, restituenda est pars pro ratione dubii. Si demum post monitionem adhuc fuit dubius eventus ludi, Sanch. probabiliter excusat a restitutione.

Quæres tertio, Quid dicendum de eo, qui non potest disponere de re, quam ludo exponit?

Respondeo, Qui non est rei Dominus, aut eam alienare non potest, neque posse de ea ludere; peccat ergo, si sciens ludat, nec quidquam valide lucratur, quia nihil exponit,

Digitized by Google

ponit, quod alter acquirere poſſet: ſi autem habuerit aliquid aliud proprium, quod traderet, ſi colluſor vinceret, non peccat, & valide lucraretur, quia tunc eſſet fructus induſtriæ: Mol., Sanch., Lug., n. 13. Similiter, ſi apponat monetam falſam, valide lucraretur, ſi habeat bonam, quam ſubſtitueret in caſu, quo perderet: Dian. r. 25., & alii. Si non poteras exponere, niſi carolenum, & uno jactu ſpondeas duos, & ſic lucreris duos a Titio, facis injuriam, & teneris reſtituere unum; ſi autem ſic ſpondeas cum Titio, & Cajo, & ſinguli exponant duos carolenos, poteris uno jactu lucrari duos; quia unum tuum exponis duplici periculo: Croix n. 1074. Cæterum filiusfamilias non habens caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia (idem de Religioſo ait Nav. apud Leſs. n. 27.) poteſt exponere ludo honeſto, quidquid habet a Patre conceſſum ad animi oblectamentum. Item, quod parcius vivendo reſervat ex pecunia ſibi ad victum a parentibus miſſa; ac præterea, quidquid etiam lucratus inde fuerit, cum ad hæc etiam parens cenſeatur tacitam facultatem dare: Laym., Bon., & alii juxta dicta d. 1. c. 5.

Qui autem ludit cum impotente alienare, & lucretur, debet reſtituere. Si autem ludas cum fure exponente pretium rei furtivæ antea venditæ, potes hoc lucrum retinere, ſi fur ex aliis adhuc ſit potens reſtituere; quia erat dominus illius pretii; at, ſi perdito hoc pretio ſit impotens reſtituere, teneris tu, ſi mala fide luſeris, quia cooperatus es damno domini; ſi autem bona fide, Mol., Leſſ., & alii contra Sanch., Bonac., Tamb., & alios probabiliter te excuſant: Croix n. 1078.

Quæres quarto, Quid dicendum de æqualitate colludentium?

Reſpondeo, In ludo, ut in aliis contractibus, debere eſſe æqualem conditionem colludentium; quia aliter non ſervaretur juſtitia. Hæc æqualitas eſſe debet circa jus lucrandi, & periculum perdendi, quod eſſe debet par in utroque. Hinc, ſi ludens habeas animum non ſolvendi, quod perdis, & vincas, non potes retinere: potes autem, ſi uterque habuiſtis animum non ſolvendi, quia ſic compenſatur injuria; potes etiam, ſi non tu, ſed ille habuit animum non ſolvendi, quia ludendo cenſetur conſentire, & remittere:

Tamb.,

Digitized by Google

Tamb., & alii. Item, si ludas pro te, & pro Titio cum pacto, ut si perdas, Titius solvat dimidium, si vincas, habeat tertiam partem lucri, probabilius est licitum; quia in contractu societatis, qui apponit dimidium capitalis, & insuper operam, potest plus lucri reportare: Lug. n.52. contra Sanch. Cæterum, si sis excellenter peritus ludi, & nescias, colluſorem esse ita imperitum, potes totum lucrum retinere, quia nulla interceſſit deceptio: Dian.r.30., & alii communiter: idemque, si ille hoc sciens adhuc velit ludere, quia volenti, & consentienti non fit injuria: Sanch., & alii. Si autem tu scias, illum esse multo imperitiorem, & ille id nesciat, communis sententia apud Lug. n. 81. te obligat ad restitutionem, & quidem totius lucri secundum Bon., quia es causa injusta totius damni: partis tantum secundum Dian. pro qualitate periculi, cui te exponis; nec desunt, qui omnino te deobligant, ut Tol., Covar., Sal., uti etiam in ludo certus de victoria potes licite augere sponsionem, & lucrari.

CAPUT II.

Quid de Sponsione?

SPONSIO est *Contractus, quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit.*

Per se loquendo licitus est hic contractus, modo sit de re honesta. Imo, etsi sponsio sit illicita, v.g. plus altero potaturum, ideoque non obliget, tamen, quod ea lucratus es, potes retinere: Sanch., Dian., & alii. Si vero sponsio fiat de futuro eventu mortis, v.g. Petrum intra annum moriturum, quamvis jure naturæ sit licita, jure tamen humano sæpe prohibetur: Lug.n.74., & est excommunicatio reservata Papæ contra facientes sponsiones super vita, morte, aut futura electione Summi Pontificis, aut super promotione Cardinalium, ex Bul. Greg.XIV. *Cogit nos*.

Quæres, Quot, & quæ sint conditiones justæ sponsionis?

Respondeo, Esse quatuor: Prima, Ut fiat super re dubia: Secunda, Ut sit dubius eventus in utroque sponente: Tertia, Ut eodem sensu uterque accipiat id, de quo cer-

Digitized by Google

certatur: Quarta, Ut ſit æqualitas in re, quæ ſpondetur cum æquali incertitudine: Mol., Leſ., Lug. d. 31. ſ. 6.

Hinc, ſi ſis certus de rei eventu, Mol., Lug. n. 81., & alii negant, te poſſe ſponſionem facere, & lucrari; quia in ſponſione emitur ſpes lucri pro periculo amittendi: ergo, ſi nullum ſit periculum amittendi, nihil emitur, adeoque contractus eſt nullus. Sed contradicunt Nav., Tol., Hurt., Laym., Dian., & alii: maxime ſi dicas, te certo ſcire, aut alter advertere poſſit, te ſcire, & tamen velit ſpondere, quia tunc nulla adeſt fraus, ſed ille conſcius cenſetur cedere jure ſuo; quam ſententiam Filliuc. dicit ſatis probabilem, ſed priorem magis juſtam, & tutam: addit tamen Mol. d. 508., quod poſſis ſpondere, ſi certus de rei eventu dubitare tamen incipias, eo quod alter oppoſitum aſſeveret; quia ſic in tua exiſtimatione exponis te aliquali periculo. Item, ſi certus ſpoponderis, & viceris, & poſtea comperias, non fuiſſe tunc omnino certum, potes retinere lucrum; quia, etſi peccaveris ſpondendo, tamen in ſe habebatur æqualitas.

Si tres ſint, qui ſperent aliquod v. g. Officium, & Titius pro 100. aureis certet ſeorſim cum ſingulis, quod non ſint obtenturi, Dian., Villal., Ledeſ., & alii dicunt, non licere; quia Titius in hoc caſu eſt certus, ſe lucraturum a duobus, & uni tantum eſſe perditurum, adeoque eſt inæqualitas inter periculum ſortis, & ſpem lucri: quamvis contradicant Sanch., Lug. n. 87., & alii, quia cum ſingulis eſt dubius de futuro eventu: & ſinguli contractus ſunt liciti, ſi fiant a tribus aliis perſonis; quod autem fiant ab uno Titio, non impeditur æqualitas, nec oſtendi poteſt, cujus e tribus ſperantibus jus lædatur?

CAPUT III.

Quid de Sortibus?

SORTES, aliæ ſunt divinatoriæ, ſcilicet ad occultum aliquid cognoſcendum, & hæ ſunt ſtuperſtitioſæ, quaſi ſortibus divina vis inſit: aliæ ſunt conſultoriæ, quibus inquiritur, quid in hac, vel illa re ſit agendum? Et hæ fere ſunt etiam ſuperſtitioſæ, niſi fiant ex neceſſitate, aptiorque modus evincendi dubium non appareat; ut, ſi quis hæ-

rens

Digitized by Google

rens in bivio non possit aliter se determinare; tunc enim præmissa oratione cum debita reverentia, & expectans indicium a solo Deo licite potest sortes conjicere: aliæ demum sunt divisoriæ, quæ sine superstitione, & plerumque licite fiunt, sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes æquale jus habeant, & consentiant, & de his est hic sermo.

Quod autem hæ sint licitæ, patet; quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit, cui sors obtigerit: sic etiam, si plures mortem meriti sint, nec expediat, omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. In electionibus autem Ecclesiasticis sunt illicitæ: Laym., Bonac., & alii. Item officia secularia, non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda; si tamen sint plures æque apti, & digni, sorte agi potest: Less. c. 43.

Quæres, Quid dicendum de ludo sortium, qui vulgo dicitur *Lotto?*

Respondeo, Debere institui auctoritate publica, & esse duplicem. I. Contribuentibus seorsim multis ad res aliquas inæqualis pretii emendas, circa quas sortes inter ipsos sunt mittendæ, in quo certe intervenit contractus emptionis simul cum sortibus. Hinc a Ministris publicis prius taxandum est rerum pretium: deinde videndum, an contributiones sint æquales pretio taxato simul cum stipendio sufficienti pro illis detrahendo? Si ergo contingat, ut contributiones sint longe majores, intervenit injustitia cum onere restituendi contribuentibus, & in eorum defectu, pauperibus pro eorum animabus: Mol. d. 509. Interdum autem fit hic ludus ea lege, ut ex his contributionibus aliquid operi pio applicetur; sed id promulgandum prius est, ut, qui contribuunt, sibi consulant, num ad id velint etiam contribuere? Mol. ibid.

II. Fit, cum contribuitur utrinque pecunia: itaut ex una parte sint, qui simul spondeant ingentem summam, ut solvant, si perdant: ex altera parte multi seorsim deponant parum pecuniæ, plus, vel minus, quisque suam, & quisque etiam nominabit binos, vel ternos numeros: tum ex pluribus numeris v.g. 90. in urnam conjectis extrahuntur

Digitized by Google

tur ſolum quinque: ſi ex his quinque, bini, vel terni reſpondeant numeris deponentium, eorum erit lucrum proportionatum. In hoc ludo, qui minus ſunt expoſiti periculo perdendi, magiſque commodo lucrandi, injuſtitiam committunt: Mol. ibid.; niſi vero id aliunde compenſetur: unde videndum in caſu, an periculum longe remotius perdendi multum cum ſpe longe probabiliori lucrandi etiam multum ex parte ſpondentium æquiparetur periculo probabiliori perdendi parum cum ſpe longe remotiori lucrandi proportionaliter ex parte deponentium. Denique addendum etiam eſt ex parte ſpondentium ſtipendium, quod ſolvunt Miniſtris publicis, & quandoque etiam tributum, quod inde ſolvunt Principi.

QUÆSTIO VI.

De Locato, & Conducto, Emphyteuſi, Feudo, & Libello.

HI contractus ſunt inter ſe valde ſimiles; nam in his retento dominio rei utilitas, & fructus transferuntur in alterum, pro aliqua penſione, vel obſequio præſtando domino directo.

CAPUT I.

Quid de Locato, & Conducto?

LOCATIO, & conductio ſunt *Unicus contractus, quo quis perſonam, aut rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, aut mercede, ſeu penſione ſibi conſtituta:* unde is eſt locator; alter vero conductor, ſeu locatarius.

Dicitur *Perſonam*, quia huc ſpectant contractus, per quos Medici, Chirurgi, Miniſtri, Famuli, Mercenarii diurni, &c. operas, vel labores ſuos locant. Dicitur *Aut rem*, &c., puta domum, agrum, equum, oves, &c. Dicitur *Utendam, vel fruendam;* utenda enim conceditur domus, equus, ſervus, &c.; fruenda vero conceditur ovis, fundus, pomarium, &c., item jura, ut redditus, vectigalia: unde prior conductor poteſt tantum habere uſum rei

lo-

Digitized by Google

locatæ, non autem percipere fructus, si qui ex ea nascantur: at posterior conductor extendit se etiam ad percipiendos fructus, puta lanam, lac, & fœtum ovis locatæ, &c. Uterque autem subit obligationem, seu subjectionem Domino rei locatæ, quæ obligatio, seu subjectio vocatur *Servitus*. Dicitur *Certo pretio*, &c.; pretium enim proprie dicitur pro usu rei mobilis, merces pro labore, opera, vel obsequio hominis conducti: pensio vero pro jure concessō utendi, aut fruendi re immobili. Debent autem hæc solvi in pecunia, alioqui erit contractus innominatus; ideoque non potest locator cogi, ut acceptet, nec conductor, ut solvat res alias, præterquam pecuniam: Nav., Laym., & alii communiter.

Quæres primo, Quænam locatio, & conductio sit jure positivo prohibita?

Respondeo, Jure civili prohiberi, ne locetur prædium militi, vel curialibus: *l. Milites*, *& l. Curiales*, *ff. Locati*. Item, ne domus scholæ vicina locetur fabro, vel alteri, per cujus pulsum, aut tumultum impediantur res scholasticæ, *l. 1. de stud. liter.*; id tamen notat Bonac. non esse in usu, nisi reclamet Magister scholæ. Jure autem Canonico prohibetur: Primo, Ne locetur domus publico usurario alienigenæ, cap. 1. *de usur. in 6.*; similiter Nav. dicit, illicitum esse locare domum meretrici, saltem in ea parte urbis, ubi non permittuntur eæ habitare, ut limitant alii; sed Major, & alii tenent oppositum, quia illa locatio proxime tendit ad dandam habitationem, remote vero dat occasionem peccandi: Croix n. 1042. Secundo, prohibetur Clericis, ne conducant prædia quæcumque negotiandi causa, licet iidem succedere possint conductori, c. 1. *de Vit. & honest. Cler.* Tertio, prohibetur omnibus Ecclesiasticis sub clausula irritante, ne locentur bona immobilia, aut mobilia pretiosa Ecclesiæ ultra triennium, Extr. Pii II. *Ambitiosæ*, *de reb. Eccl. non alien.*, juxta dicta d. 1. c. 4. Cæterum, si ager Ecclesiæ non fructificet, nisi alternis annis, potest locari ad sexennium; si nonnisi ternis annis, potest locari ad novennium, quia illud *Triennium* intelligitur de triennio utili: Cov., Azor., Vasq., Less., Barb., & alii: Si autem loces fundum Ecclesiæ ad 12. annos cum clausula, quod velis, esse quatuor locationes, singulas pro singulis trienniis, licet

Digitized by Google

cet Bald., & alii hoc defendant, tamen communius rejiciuntur, quia clauſula illa apponitur in fraudem legis, cum reipſa ſit locatio ad 12.annos;ideoque talis contractus ne valebit quidem pro triennio, niſi addideris,quod ſaltem valeat ad triennium: Bart., Ab., Cov., Pal., & alii contra Tuſch.,Reb., & alios. Poteſt tamen locatio facta ad triennium renovari cum eodem conductore poſt elapſum ſecundum annum ad novum triennium,quia prius triennium cenſetur elapſum; ſi autem fiat prius,præſumitur fraus, & locatio ad quinquennium: Mol.,Pal., & alii. Item præſumitur fraus, ſi te perſonaliter obliges ad locandum eundem fundum eidem ſecuturis trienniis: Wading. contra Delb. Cæterum non prohibetur locatio diuturnior fructuum pertinentium ad ipſum beneficiatum, quia is eſt Dominus illorum: nec locatio finitur morte Locatoris,ſed tantum fundi, unde ei ſtare tenetur Succeſſor: Mol.,Pal., & alii apud Croix l.4. n.1368. contra Bon., & alios.

Quæres ſecundo, Quid ſit dicendum de Locatore?

Reſpondeo: Primo,Debere manifeſtare vitia rei locatæ, juxta dicta in de emptione; aliter tenetur de damnis ſecutis conductori: Bon.,& alii;item ad ipſum ſpectant expenſæ in rem locatam, quæ duraturæ ſunt: v. g. conſervare ſarta tecta, præſtare tributa, & onera publica, niſi aliter conventum ſit, aut conſuetudo ferat: Laym. c.22.n.4., & alii: Secundo,Non poteſt ante tempus præfinitum privare conductorem re conducta, niſi vel penſionem non ſolvat; vel accidat caſus improviſus, ob quem res locata ſit ipſi neceſſaria; vel neceſſe ſit,eam reficere, nec poſſit refici eo v. g. inhabitante; vel demum conductor ea abutatur, deſtruendo, alendo ibi meretrices: Laym. c.22. n.9., & alii: Similiter ſucceſſor locatoris, ſi ſit hæres univerſalis, non poteſt ante tempus præfinitum expellere conductorem; at, ſi ſit ſucceſſor partialis (puta legatarius, donatarius, emptor, &c.) quamvis, per ſe loquendo, non teneatur ſtare contractui locatoris,tamen non poteſt expellere conductorem, ſi is cum locatore convenerit,ne durante tempore locationis res alienetur; nec poteſt cum gravi ejus incommodo expellere, v.gr.ab agro conducto jam ſeminato; ſed expectare debet, donec colligat fructus, quia aliter is pateretur jacturam:Spor.,Croix n.1047. Tertio,Nuncius,

mer-

Digitized by Google

mercede conductus a Titio, ut eat Romam, potest eandem operam præstare alteri, recipiendo ab eo alteram mercedem, quia per accidens est, eandem operam fuisse præstandam priori: Less. c. 24. n. 28. Idem dic, si propter propria negotia statuisset ire Romam, & alter eum mercede conduceret ad eundem locum: imo, si Auriga conductus a Titio vehendo Romam, a quo etiam mercedem habuerit, tanquam rediturus vacuus, adhuc potest aliam simul mercedem accipere ab aliis, quos ibi, vel in via invenerit revehendos, quia hoc assignandum est casui, vel ejus industriæ: Croix n. 1046.

Quæres tertio, Quid dicendum sit de Conductore?

Respondeo: Primo, Posse (nisi aliter conventum sit, vel consuetudo ferat) rem sibi locatam sublocare tertio, qui ei tenebitur solvere pensionem: ipse vero Locatori, ex *l. Nemo, 6., C. de Locato*. Hinc, si pauper obtinuit jus mendicandi in Civitate, Sanch. lib. 1. *Consil.* c. 7. d. 2. ait, posse hoc jus locare alteri non pauperi; sed probabilius negat Lug. d. 29. n. 9., quia fieret fraus populo danti eleemosynam non pauperi, qui, quamvis teneretur solvere pensionem pauperi, tamen peteret eleemosynam nomine suo; non sic vero, si dives peteret eleemosynam nomine illius pauperis, quia sic revera daretur pauperi: Secundo, Conductor potest quidem ante tempus præfinitum renunciare rem locatori, sed de pensione nihil ei remittitur: at successori locatoris potest semper renunciare absque obligatione pensionis, quia non huic, sed illi se obligavit: Croix n. 1047. Contra vero Beneficiarius tenetur stare conductioni sui antecessoris: Uxor conductioni mariti mortui, &c., quia jura statuunt, ut hæres perficiat negotium a defuncto inchoatum, & nondum finitum: Lug., Pal. p. 18., & alii: Tertio, Conductor, si privetur re conducta, eo quod impotens sit solvere pensiones, non tenetur ad pensionem sequentis temporis; at, si privetur, eo quod abutatur re conducta, tenetur ad pensionem usque ad terminum locationis: Less. n. 38. Quarto, In dubio, an conductor pensionem solverit, adhuc tenetur, quia locator est in possessione crediti contra illum. At, si quis ostendat, se tribus annis proximis solvisse, in dubio præsumitur etiam antea semper solvisse, nisi clare probetur oppositum, *l. quicumque, C. de Apochis publicis*.

Quæ

Digitized by Google

Quæres quarto, ad quem ſpectent expenſæ circa rem locatam?

Reſpondeo: Primo, Expenſæ neceſſariæ ad conſervandam ſubſtantiam rei locatæ (niſi aliter ſit pactum, vel ferat conſuetudo) ſpectant ad locatorem, v.g. reparare feneſtras, fornacem, puteum, &c., facere foſſas, & aggeres in agro, ſternere vias ante domos, inſtruere equum ſoleis, vel extraordinario medicamento curare, &c., quia locator tenetur facere rem aptam uſui conductoris, aut ſi aptitudinem amiſerit, eandem reddere, cum ad hoc acceperit penſionem, ut ei uſum procuret: modicæ tamen, & ordinariæ expenſæ neceſſariæ ad hoc, ut res conducta conſervetur, ſpectant ad conductorem: ſi autem is fecit notabiles expenſas in melioramenta, ſperans, ſe v.g. ſaltem poſt 4. annos recepturum eorum fructum, & locatio caſu citius finiatur, æquum eſt, ei compenſari has expenſas: Lug. n. 70. Si autem tales expenſæ fuerint mere voluntariæ, vel ad ornatum, has ferre debet conductor, niſi locator in eas ſaltem tacite conſenſerit: Croix n. 1052. Secundo, Si famulus mercede conductus ægrotet, Dominus non tenetur ad ſpeciales ſumptus pro curatione, nec ad expenſas ægro, niſi modicas: Buſ., Reb., Lug. n. 60., ſed non ideo poſſe ei aliquid detrahi de ſtipendio, docent D. Anton., Innoc., Graf., & alii; oppoſitum tamen tenent Covar., Mol., Laym., Lug., & alii: & probabilius eſt poſſe detrahi, ſi ægritudo ſit temporis notabilis: Buſ., & alii. Si autem nihil detrahat dominus, non ideo tenetur famulus poſtea tempus ægritudinis ſupplere: Lug. d. 29. n. 61.

Quæres quinto, Ad quem ſpectent pericula rei locatæ?

Reſpondeo: Primo, Quamvis jure naturæ deberet conductor ferre omnes caſus fortuitos rei conductæ, tamen ex benignitate juris introductum eſt, ut ob magnam cladem fortuitam remittatur ei penſio, vel ſaltem pars penſionis, niſi omne periculum in ſe ſumpſerit: Doctores communiter. Dicitur magna clades tempeſtas, grando, &c., quæ omnem fere fructum devaſtet: item ſterilitas, itaut deducto ſemine, aliiſque impenſis, ne dimidium quidem ſolvendæ penſionis ſuperſit, ut dicunt Leſs. n. 17., Lug. n. 43., vel ſi colonus vix colligat tertiam partem ſoliti, v.g. vix 5, cum alias ſoleret 15, ut Abb., & alii; vel ſi

Digitized by Google

vix colligat duas tertias, ut Nav., & alii; ſed in hoc attendendus eſt communis uſus locorum, ut recte notant Laym., & alii. Duo addit Leſs. Primo, Si fructus jam collecti caſu pereant, antequam commode potuerint invehi, (ſecus, ſi ſint invecti arg. l. 12. *C. de Locat.*) remittendum eſſe de penſione, non aliter, ac ſi fuiſſet ſterilitas; ſed limitant Mol., & Lug., niſi ubertas proximorum annorum hoc damnum compenſet: & univerſim ait Laym., ſi antecedentium, vel ſequentium annorum fertilitatem compenſet præſens ſterilitas, penſiones non remitti: Secundo, Colono partiario, qui aliquotam partem fructuum, v. g. tertiam partem pendere debet, nihil remitti ob anni ſterilitatem, quia hic, tanquam in contractu ſocietatis, tenetur damnum, & lucrum cum Domino dividere: Abb. Gloſſ., Nav., & alii.

Si abſque culpa conductoris ceſſent uſus, vel fructus rei, v. g., quia domus conducta minatur ruinam, infeſtatur ſpectris, vel ob periculum peſtis, aut belli tutam habitationem non præſtet, liberatur conductor a ſolvenda penſione pro tempore, quo non poteſt habitare, vel re conducta uti, aut frui: Laym., Leſs. c. 24. d. 2. Si domus conducta incendio pereat, nec conſtet, utrum caſu, an culpa cujuſquam acciderit, conductor eſt abſolvendus: at, ſi conſtet, accidiſſe culpa alicujus determinati de familia conductoris, tenetur conductor (niſi famulus ille pro fideli, & diligenti habitus fuerit) de damno: Dian. p. 9. t. 7. r. 31. Si autem non conſtet de aliquo determinato, conductor abſolvendus eſt, niſi locator oſtendat culpam; quia, quamvis in dubio contra inhabitantes ſit præſumptio, tamen Paterfamilias non tenetur præſtare culpam famulorum: Laym. n. 6.

Denique, ſi conductor non poſſit uti re, vel perſona conducta, & impedimentum oriatur ex parte ipſius etiam involuntarie (ut ſi ob ægritudinem, aut incarcerationem non potuit colere agrum conductum, aſſignare laborem mercenario, &c.) adhuc, per ſe loquendo, tenetur totam penſionem, vel mercedem ſolvere; quia non ſtat per locatorem, aut per rem locatam, ſed per ſolum conductorem, quominus habeatur uſus, vel fructus: nec obſtat, quod conductor ſit ſine culpa; nam etiam locator eſt ſine culpa, & in pari cauſa æquius fuit, ut hoc onus ſumeret in ſe con-

du-

Digitized by Google

ductor præ locatore: Mol., Nav., Les., Laym. n. 27. Excipe, nisi res, vel opera sit interim alteri locata sine damno locatoris, vel conductoris: Croix n. 1050.

Quæres sexto, Ad quem spectent fructus rei locatæ?

Respondeo, Fructus v. g. agri locati, si sint adhuc pendentes, spectare ad locatorem ut Dominum agri, quia sunt adhuc pars agri, seu faciunt quid unum cum illo. Hinc, si laicus emat fructus pendentes agri Ecclesiastici, vel Religiosi, etsi elocati laico, non tenetur pro ea emptione solvere gabellas: Dian. p. 3. t. 1. r. 19. Econtra, fructus jam separati a fundo, & a conductore collecti sunt ipsius, etiamsi is pensionem nondum solverit; quia, quamvis maneant hypothecati, aut veluti tacite subjecti in pignus pro pensione, tamen ex vi contractus habet conductor jus fruendi re, adeoque faciendi fructus suos etiam ante solutam pensionem: hinc ait Dian. ibid., colonos Ecclesiasticorum, vel Religiosorum teneri solvere gabellam ex fructibus collectis, si eos alienent; nam collecti spectabant ad laicos.

CAPUT II.

Quid de Emphyteusi?

EMPHYTEUSIS est *Contractus, quo retenta proprietate conceditur alicui in perpetuum, vel ad vitam unius, aut plurium, vel saltem ad decennium, dominium utile in rem aliquam immobilem cultura meliorandam cum onere, ut quotannis solvat canonem, seu pensionem realem in pecunia, vel fructibus Domino proprietatis, vel ejus legitimo hæredi*. Hinc Emphyteusis differt a locatione: Primo, quia est tantum circa rem immobilem, quæ cultura possit meliorari, ut sunt domus, ager, vinea, &c. Secundo, quia dat alteri dominium utile, cum locatio nullum det dominium, sed tantum jus ad fructus; retinetur tamen proprietas, ideoque, qui dat in emphyteusim, dicitur Dominus directus, possessor, & proprietarius; qui vero accipit, dicitur emphyteuta: Tertio, quia non potest esse infra decennium: ideoque absque speciali licentia S. Congregationis res Ecclesiasticæ non possunt dari in emphyteusim, juxta dicta d. 1. ex Bull. *Ambitiosæ*: Quarto, qui minorem pensionem exigit, eo quod ferat secum onus

Digitized by Google

liorandi rem emphyteuticam; niſi vero deinde ſit forte ſatis meliorata; ſic enim dari etiam ſolet in emphyteuſim, quaſi continuetur præcedens contractus, & quidem dari poteſt ſub majori penſione: Tamb. c. 2.

Quæres primo, Quid poſſit Emphyteuta circa rem emphyteuticam?

Reſpondeo, Primo, Graves Doctores putare, eum teneri illam meliorare; ideoque, ſi illam poſtea dimittat, non poſſe pretium meliorationis repetere. Sed Reb., Mol., Leſs., Pal., & alii probabilius negant, teneri meliorare, niſi id expreſſe ſit deductum in pactum; ideoque, ſi dimittat, poſſe expenſas meliorationis repetere, niſi vero fuerint modicæ, & ordinariæ, vel niſi fuerint ſuperfluæ, & inutiles: Secundo, Si reddat rem deteriorem, debet Domino compenſare: Doctores communiter. At ſi quis accepit in emphyteuſim vineam, Velaſc. putat, poſſe eradicare vites, & fundum commutare in agrum, qui futurus ſit utilior; ſed probabilius negant Mol., Pal., & alii, quia ſic deſtrueret hanc emphyteuſim, quæ erat in cultura vineæ, & cogeret Dominum ad inſtituendam novam emphyteuſim: Tertio, Non poteſt rem emphyteuticam, ſeu jus ſuum utile, quod in ea habet, vendere, niſi prius moneat Dominum proprietarium, qui tamen tenetur conſentire, eique ſolvi debet laudemium, hoc eſt certum pretium in novo poſſeſſore; quod laudemium de jure eſſe poteſt quinta pars æſtimationis rei: ex conſuetudine autem poteſt eſſe tertia pars, aut ſecunda, aut etiam decima: Leſs. c. 24. n. 57. Si ergo vendat inconſulto Proprietario, cadit in commiſſum, &, ſi venditio ſit traditione perfecta, poteſt ſpoliari re emphyteutica, & omnibus melioramentis: Croix n. 1059., ſecus vero, ſi titulo gratuito donet, leget, vel ſi locet infra decennium, vel ſimiliter concedat in ſervitutem, aut ſubjiciat hypothecæ: Lug. d. 29. n. 89., Rodr., Croix ibid. Nec ſolvendum eſt laudemium, ſi translatio rei in alterum eſt neceſſaria; ut ſi filius ſuccedat patri, non autem filia, quæ in emphyteuſi non ſuccedit, niſi exprimatur: Bonac., & alii; vel ſi pater aliud non habens eam dat in dotem filiæ; vel ſi redit ad primum emphyteutam diſſoluto contractu, ſecus vero per novum contractum; vel ſi plures habentes rem in communi, eam inter ſe dividunt: Tamb. c. 5. Quæ-

Digitized by Google

Quæres secundo, Quid sit dicendum de canone, seu pensione solvenda?

Respondeo: Primo, Si magna accidat clades in fructibus, remitti debet aliquid de pensione magna, juxta dicta de conductore: Doctores communiter cum Lug. n.88. contra Pal.; Secus vero, si pensio respectu fructuum sit valde modica, quæ solvi solet tantum in recognitionem dominii: Croix n.1061. Quod si tota emphyteusis pereat, nulla debetur pensio: si pars tantum pereat, itaut maneat saltem octava, solvi debet aliquid: Jul. Clar. Si autem tota emphyteusis occupetur ab hostibus, Mol., & alii dicunt, debere saltem aliquid solvi; sed negant Clar., Ab., Pal., & alii, quia tunc emphyteuta eam non possidet: Secundo, Si emphyteuta laicus ad triennium, vel Ecclesiasticus ad biennium continuum non solvat canonem, amittit emphyteusim; sed praxis est, ut semel admoneatur, & si statim solvat, purgat moram; si non solvat, cadit in commissum; & Reb., Sa, Fachinet., & alii contra alios probabiliter dicunt, ad hanc caducitatem requiri sententiam Judicis: & leges, quæ videntur contrariæ, cum sint pœnales, intelliguntur post sententiam saltem declaratoriam Judicis: Pal. p.8.n.3. Quod si Dominus a tali emphyteuta recipiat aliquam pensionem sequentis temporis, censetur remittere caducitatem, licet protestetur in oppositum: Clar., Mol., Reb., & alii; secus autem, si recipiat tantum pensiones antecedentis temporis: Pal. p.12. n.6.

Denique Servitus Originariorum habetur ex contractu quodam emphyteutico olim inter Dominos, & Majores Originariorum inito, per quem hi, vel certa prædia propria Dominorum acceptarint colenda, vel propria sua prædia, suasque etiam, & posteras personas Dominis transcripserint simul cum onere certi servitii personalis, & canonis suis temporibus præstandi; Domini autem vicissim se obligarunt ad eos regendos, tuendos, ac relinquendos in possessione suorum prædiorum, quamdiu supereset aliquis de familia, & manerent fideles: Laym. c.23.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quid de Feudo?

FEUDUM est *Concessio rei immobilis pro homagio*. Differt ergo ab emphyteusi in hoc, quod, loco canonis, seu pensionis realis, exigit homagium, hoc est obsequium personale, quale est associare ad bellum, convenire ad publica comitia, &c.; ideoque feminæ excluduntur a feudis, nisi expresse admittantur: si autem in feudo aliquid etiam reale persolvi debeat in recognitionem Domini directi, tunc ex hac parte decidit a feudo in emphyteusim. Qui feudum concedit, vocatur Dominus directus, & Princeps; qui recipit, Feudatarius, & Vassallus. Si autem dubium sit, quale sit prædium, an feudale, an vero allodiale, seu liberum? Judicandum allodiale, nisi clare contrarium probetur; quia prius est, rem esse sui juris, quam alieni, ex *l. Latius*, *l. In ædibus*, *C. de Servitutibus*.

Quæres primo, Quid dicendum de Feudatario?

Respondeo: Primo, Feudatarius, & ejus successor investiri debet a Domino directo, ipsique juramentum fidelitatis præstare, idemque debet successori Domini directi; si tamen plures simul sint Domini directi, satis est, si uni præstetur juramentum, quia nemo cogitur habere plures Dominos: Jul. Clar., Azor. apud Tamb. c. 8. Secundo, Præstare debet ei obsequium, quando illud requirit; si autem adsit in feudo obligatio etiam solvendi aliquid reale, hoc solvendum erit sine requisitione: Tertio, Non potest alienare feudum sine Domini consensu, quem dare non obligatur; hinc sine tali consensu non potest donare, nec in emphyteusim tradere, nec gravare; imo nec inter multos filios dividere feudum habitum a Rege, vel Imperatore, quamvis possit alia minora feuda habita ab aliis. Si autem alienet cum consensu Domini, requiritur etiam consensus agnatorum, quibus competit jus succedendi: Jul. Clar. apud Tamb. Quarto, Bart., Jason., Tiraqu., & alii putant, Vassallum, & Emphyteutam gaudere privilegiis Domini directi, itaut, si hic sit Ecclesiasticus, ille non teneatur ad gabellas, &c.; sed negant Mol., Less., Laym., Pal., & alii, quia ususfructus, & dominium utile, quod habet, non

est

Digitized by Google

eſt res Eccleſiaſtica: Quinto, Poteſt abdicare a ſe feudum relinquendo illud Domino: in quo etiam differt ab emphyteuſi, & conductione; quia feudum datum eſt in utilitatem Feudatarii; at emphyteuſis, & locatio eſt in utilitatem dantis, cui ſolvenda eſt penſio.

Quæres ſecundo, Quomodo amittatur Feudum? Reſpondeo, Amitti poſt ſententiam Judicis in tribus caſibus: Primo, Ob gravem ingratitudinem etiam Vaſſalli contra Dominum directum, ſi ſcilicet eum accuſet apud Judicem etiam ex juſta cauſa, excepto crimine hæreſis, vel læſæ Majeſtatis, vel ſi fugiat relicto Domino in periculo belli juſti, quem juvare ſine ſua morte potuiſſet, vel ſi ſciens paratas ei inſidias, non admoneat, & a fortiori, ſi ipſe inſidias paret, aut rebellis ſit ſuo Domino, vel ſi turpiter agat cum ejus filia, ſorore, nepte ex filio, uxore etiam vidua: Jul. Clar., & alii: Secundo, Si non ſervet pacta, ſub quibus feudum accepit, ſi ſcilicet ipſe, aut ejus hæres non petit a Domino inveſtituram intra annum, & unam diem, niſi ſit graviter impeditus, vel ſi alienet feudum in extraneum ſecuta traditione ſine debito Domini conſenſu; ſi vocatus a Domino ad curiam, nolit accedere: Tertio, Si occiderit ſuum proprium fratrem, præſertim ſpe obtinendæ hæreditatis, ex *l. 2. de Feud., tit. 37.*, vel, ut addit Sylv., patrem, aut fratris filium; item, ſi occiderit quemcumque alium proditorie, ex *ead. leg.* Quarto demum amittitur ipſo jure, vel lapſu termini præſcripti in inveſtitura, vel morte Feudatarii ſine filiis, & agnatis, vel profeſſione in Religione incapaci, vel Clericatu, quando in inveſtitura Clericus excluditur, vel præſcriptione legitima 30. ann., vel ſi bona devolvantur ad Fiſcum.

Denique nota, Si amittatur feudum lapſu termini, aut devolutione bonorum ad Fiſcum, redit ad Dominum directum: ſi morte naturali, vel civili per profeſſionem, tranſit ad filios, vel agnatos: ſi ob aliquam ex prædictis culpis, excluduntur filii, non tamen agnati; & ſi feudum ſit novum, ſeu cœpit in ipſa perſona, excluſis omnibus, redit ad Dominum; Sed de his fuſius Juriſperiti de feudis late tractantes.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid de Libello?

LIBELLUM, seu livellum, seu contractus libellarius, proprie est *Contractus subfeudalis, seu subemphyteuticus, quo quis feudum, vel emphyteusim ab aliis acceptam, alteri tradit sub iusta, & mensurata pensione*. De hoc nihil superest dicendum, quod ex dictis colligi non possit; quod si inquiras, a quo solvi debeat laudemium? Dico, a novo subemphyteuta, vel subfeudatario solvendum Domino directo, qui etiam approbare debet talem contractum, novamque investituram concedere.

QUÆSTIO VII.

De Pignore, Hypotheca, Assecuratione, Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione.

HI contractus sunt adminiculo cæteris contractibus, suntque onerosi; ideoque de singulis hic seorsim agendum.

CAPUT I.

Quid de Pignore, & Hypotheca?

PIGNUS est *contractus, quo res consignatur creditori in securitatem crediti*. Hypotheca est *Contractus, quo res obligatur creditori in securitatem crediti*. Itaque, si res consignetur in manu creditoris, ut communiter fieri solet, quando res est mobilis, vocatur proprie *Pignus*; si remaneat in manu debitoris, obligata tamen creditori, ut communiter fieri solet, quando res est immobilis, dicitur proprie *Hypotheca*. Hinc Pignus communiter dicitur de re mobili, Hypotheca de immobili; quamvis, si hæc consignetur, dici potius debeat pignus, si illa retineatur, dici potius debeat hypotheca. Utrovis autem modo res dicitur oppignorata, ejusque dominium perfectum remanet apud debitorem. Hy-

Digitized by Google

Hypotheca, Alia eſt expreſſa, quæ ſcilicet habetur ex partium conventione, qua obliges rem tuam alteri: & hæc poteſt eſſe ſpecialis, cum ſcilicet obligas rem determinatam, v.g. talem fundum; vel generalis, qua ſcilicet obligas omnia bona: Alia eſt tacita, quæ ſcilicet implicite involvitur in aliquo contractu ex diſpoſitione juris: & ſic ex diſpoſitione juris invenitur tacita hypotheca in bonis mariti, quæ tacite ſunt hypothecata pro dote: in bonis miniſtrorum Eccleſiæ pro adminiſtratione: in bonis promittentis dotem, donec eam ſolvat: in bonis contrahentis cum Fiſco: in bonis patris adminiſtrantis bona filii: in bonis Tutoris, & Curatoris adminiſtrantis bona Pupilli, vel Minoris: in fructibus feudi locati pro penſione ſolvenda, & pro damno forte facto a conductore: in rebus invectis, ac permanſuris in prædio ruſtico, etiam Domino ignorante, vel in prædio urbano, Domino tamen ſciente, pro penſione, & damnis prædii: denique in omni re, pro cujus conſervatione mutuatur pecunia: Mol., Bon., & alii ex jure.

Quæres primo, Quæ res non poſſit oppignorari?

Reſpondeo: Primo, Non poſſe oppignorari res, quæ non poſſunt vendi, ut ſunt Eccleſiæ: Cæterum immobilia, vel mobilia pretioſa cultui divino dicata, ut Calices, Caſulæ, &c., poſſunt oppignorari in caſu neceſſitatis, ut ſcilicet ſubveniatur Eccleſiæ, vel Indigentibus; quia tunc poſſunt etiam vendi: Leſs. c. 28., Bon., Nav., & alii: Secundo, Eadem res non poteſt oppignorari pluribus, niſi ſit ſufficiens ad ſolvendum omnibus, vel poſteriores de priori hypotheca admoneantur: Azor., Fil., Bonac., Buſ., & alii: Tertio, Si oppignoretur fundus, cui ſit adnexum jus patronatus, hoc jus non oppignoratur, ſed manet Domino; quamvis, ſi vendatur ea res, jus patronatus tranſeat in emptorem: Lug. d. 32. ex jure. Si autem fundus oppignoratus melioretur apud creditorem, plantatione v. g. vineæ, hæc etiam manet oppignorata, quia acceſſorium ſequitur principale, & dum reſtituitur, ſolvi a debitore debet etiam pretium meliorationis: ſecus vero, ſi hæc ſit inutilis, aut ſuperflua: Tambur., & alii: Quarto, Si res oppignorata deſtruatur, quidquid de illa remanet, manet oppignoratum: v.g. ſi domus corruat, fundus manet obligatus: ſi ſylva comburatur,

Digitized by Google

tur, manent obligata ſolum, & ligna, ſi quæ ſuperſunt; at ſi ex iſtis lignis fiat navis, aut aliud artefactum, jura diſponunt, ut deſinat oppignoratio: Bonac., & alii.

Quæres ſecundo, An creditor retinens pignus poſſit illud oppignorare, vel vendere?

Reſpondeo: Primo, Poſſe oppignorare alteri, ſed non pro majori quantitate debiti, quam ſit ſuum creditum; nec pro majori tempore, quam ſibi ſatisfactum ſit a ſuo debitore; quia non poteſt majus, nec diuturnius jus conferre, quam ipſe habet: Bonac., & alii communiter: Secundo, Quamvis in foro externo non poſſit vendere pignus, niſi poſt biennium, & admonito prius debitore, niſi a judice obtinuerit facultatem prius vendendi, tamen in foro conſcientiæ, debitore non ſolvente tempore præfixo, poteſt vendi poſt trinam monitionem: Bonac., & alii; imo, ſi ſit conventum, ut vendatur, niſi certo tempore redimatur a debitore, poteſt vendi, eo etiam non admonito: Nav., Azor. & alii; quod tamen de pretio ſupereſt ſupra debitum, reſtitui debet debitori. At, ſi conventum eſſet, ut pignus non venderetur, Vaſq., Sa, & alii putant, non poſſe vendi: Azor., Regin., & alii communiter putant, adhuc poſſe poſt trinam monitionem; quia hæc eſt natura pignoris, alioquin fruſtra datum eſſet; quare conventio tantum obligavit ad non vendendum abſque præviis monitionibus.

Quæres tertio, An creditor poſsit uti, vel frui pignore? Reſpondeo, Non poſſe ſine tacito ſaltem conſenſu debitoris, quia pignus ad ſecuritatem tantum, non ad uſum eſt traditum, juxta dicta de depoſito. Imo, etiamſi utatur pignore cum conſenſu debitoris, tamen debet valorem talis uſus computare in ſortem, ac demere de credito; quia ſecus ob conceſſam dilationem ad ſolvendum acciperet aliquid ſupra ſortem, quod eſſet uſurarium. Excipe, niſi præſumatur debitor gratis concedere talem uſum, ſicut poteſt præſumi in iis rebus, quorum uſus gratis concedi ſolet, ut eſt uſus libri: Bonac., & alii. Hinc, ſi utatur equo, quem retinet in pignus, debet valorem uſus computare in ſortem, deductis expenſis forte factis in eo alendo, cum equus pignori datus alendus ſit expenſis debitoris: ſimiliter, ſi percipiat fructus ex re frugifera, debet deductis expenſis eos computare in ſortem. Si vero ager oppi-

Digitized by Google

oppignoratus erat incultus, Sot., Sa, & alii putant, posse frui fructibus non computando in sortem, quia videntur fructus industriæ; sed cum Nav., Mol., Lop., Bon., & aliis dicendum, non posse, quia sunt fructus naturales agri, ad quem tantum accessit industria; quare poterit tantum expensas, & labores subducere. Denique Vasq., Sal., Pal., & alii dicunt, etiam illos fructus esse domino pignoris compensandos, quos ex culpa lata, aut levi colligere omittit, quia tenebatur addere diligentiam, tamquam prudens, & vigilans custos.

Quæres quarto, Quid sit dicendum de contractu antichriseos.

Respondeo, Hunc esse, cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, aut fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum ipsi restituatur. Hic contractus jure civili toleratur; tamen merito reprobatur jure Canonico, tamquam usurarius, ut patet ex dictis d.2.q.4.c.3.§.3. idem dic, si hic contractus addatur emptioni, ut scilicet venditor tamdiu percipiat fructus rei venditæ, donec persolvatur pretium: idem, si addatur mutuo, ut scilicet mutuans tamdiu fruatur pignore, donec res restituatur. Cæterum excusatur ab usura, si accedant tituli justi lucrandi tales fructus sine diminutione sortis:

Et primo, Si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum differtur debitum; unde non facile damnandi sunt illi, qui a Principe in locum debitorum, agros, officia, &c. in antichrysin habent: Laym., Bus., & alii: Secundo, Si marito aliquid fructiferum detur in pignus pro dote uxoris, ex *cap. Salubriter, de usur.*, quia tunc fructus illi constituuntur in partem dotis necessariæ pro alenda uxore: Tertio, Si oppignoretur feudum domino proprietario, ex *cap.* 1. *De Feudis*, & *cap. Conquestus, de Usur.*, tenetur tamen tunc dominus remittere servitium, vel pensionem, cujus loco fructus ei a jure subrogantur: Quarto, Idem dicunt Doctores communiter in emphyteusi, si domino detur in pignus: non tamen de re usufructuaria, usuaria, vel conductoria, si domino directo detur in pignus, cum de his nihil statuant jura, neque habeatur consuetudo: Pal., & alii communiter: Quinto, Si in venditione contrahentes velint, rem tamdiu non cen-

Digitized by Google

censeri venditam, sed quasi locatam, usquedum solvatur pretium, potest venditor accipere pensionem locationis, & postea integrum pretium, sed tunc periculum rei remanet apud venditorem: Croix n.981.

CAPUT II.

Quid de Assecuratione?

ASSECURATIO est *Contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, etiamsi casu perierit*. Hoc, si fiat gratis, est gratuita promissio: si fiat pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem: sed tunc ad justitiam duo requiruntur: Primo, Æqualitas inter pretium, & susceptionem talis periculi, seu obligationis: & communiter, ut notat Azor., in quibusdam locis accipi solent quinque, vel sex pro 100. At Mediolani, ut notat Bonac., accipiuntur tantum duo, præsertim in contractu societatis pro assecurando capitali, cum in tali casu assecurator non exponat se magno periculo. Cæterum consulendi sunt periti, ut attentis periculis pretium taxent: Secundo, Requiritur, ut eventus rei sit incertus utrique, saltem quoad notitiam, quam de eo habent, quia alioqui non servaretur æqualitas: Bonac., & alii.

Hinc, si assecurans sit certus, rem esse in tuto, injuste petit pretium, & tenetur restituere. At, si res nondum est in tuto, sed assecurator scientia privata sciat, non fore periculum, Les. c.28. n.27. dicit, licere ei pretium ordinarium assecurationis accipere, quia illa obligatio ob pericula ordinaria magni æstimatur, & causæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æstimationem, quamvis Bonac., Tamb., Lug. d.31. id rectius negent. Similiter, si volens rem suam assecurari, & certo sciat, eam periisse, non potest pacisci de ejus assecuratione, nec petere, ejus æstimationem sibi restitui: Less. n.25. A fortiori vero, qui fingens, se habere merces in navi, petit, illas sibi assecurari, & deinde navis pereat, non potest petere æstimationem mercis, quia dolo dat causam contractui; nisi vero assecurator sciebat, vel suspicabatur, nullas esse ejus merces, quia tunc esset contractus sponsionis super navis

Digitized by Google

navis merſione: Leſſ. n. 28. Demum, ſi plures ſint aſſecuratores, quorum ſinguli ſolum pro parte aliqua ſpondeant, & dimidium mercium pereat: tunc, ſi partes ſingulorum deſignatæ fuerint, illi tantum tenentur, quorum partes pereunt; ſi autem non fuerint deſignatæ, tunc omnes tenentur contribuere pro rata ad partem, quæ periit: Leſs. n. 3.

CAPUT III.

Quid de Fidejuſſione, Compromiſſo, Tranſactione, & Compoſitione?

FIDEJUSSIO eſt *Contractus, quo quis in ſe ſuſcipit obligationem debiti alieni implendam, ſi debitor principalis non ſolverit.*

Quæres primo, Quis poſſit fidejubere?

Reſpondeo, Eos, qui habent bona, & liberam eorum adminiſtrationem: hinc repelluntur a munere fidejubendi pupilli: item filiifamilias, niſi habeant caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia: item Religioſi, itaut ex fidejuſſione propria auctoritate facta monaſterium non obligetur, niſi quatenus in ejus utilitatem verſum ſit, ex Leſſ., Laym. Repelluntur etiam Clerici a fidejubendo pro Laico, tenet tamen fidejuſſio, ſi fidejubeant, ex cap. ult. *de Fidejuſſ.*; imo uſu receptum videtur apud Leſſ., & Bonac., aliquando eos poſſe etiam licite, modo id faciant de ſuo patrimonio, vel fructibus beneficii ſine damno Eccleſiæ, & ſine periculo depauperationis. Repelluntur etiam mulieres, itaut uxor invalide fidejubeat pro marito, valide tamen pro filiis, modo fiat inſtrumento publico, adhibitis tribus teſtibus cum ſubſcriptione: poteſt tamen hanc fidejuſſionem reſcindere, ſi voluerit uti privilegio, cap. *Vellejani*, ſed ante ſententiæ executionem: Lug. d. 32. n. 11.; at nequit uti hoc privilegio, ſi pretio conducta fidejubeat; vel ſi ei renunciet coram magiſtratu, aut cum juramento; vel ſi fidejubeat pro dote, aut pro ſuo creditore, aut pro libertate ſervi; vel ſi fidejubeat in fraudem, vel ſi poſt annum a fidejuſſione pignus dedit, aut obligationem iterum ſuſcepit: Mol., Leſ., Bon., & alii.

Quæres ſecundo, Ad quid teneatur fidejuſſor?

Reſpondeo, Teneri in utroque foro ad ſuam fidejuſſionem

Digitized by Google

nem implendam, si debitor principalis non solverit: qua in re nota, aliud esse fidejubere, aliud assecurare. Qui fidejubet, non plus obligatur, quam debitor; ideoque, si hujus obligatio sit nulla, nulla pariter est fidejussio, & similiter, si liberatur debitor, liberatur & fidejussor: imo, qui fidejussit pro reo capitis, si hic aufugit, non est ejus loco plectendus; quia non præsumitur sic se obligare; imo nec potest, cum non sit dominus suæ vitæ: Sylv., Bonac., Less., & alii. At, qui assecurat, firmam facit obligationem alterius etiam alias claudicantem; unde, etiamsi hæc per se fuerit nulla, vel si is ex aliqua justa causa liberetur, non tamen liberatur assecurator; quia hic non adhibetur in subsidium, sed ut principalis: Tambur., & alii.

Hinc fidejussor (nisi intenderit expresse se obligare ad solvendum ante sententiam Judicis) non tenetur in conscientia, nec potest cogi apud Judicem, nisi postquam facta est discussio in bonis debitoris non solventis: Tamb., & alii ex jure, modo tamen ipse fidejussor tali privilegio non renunciaverit, vel clare appareat, non posse præmitti dictam discussionem, vel ipse fidejussor neget, se esse fidejussorem, ex *l. Dubitetur*, *ff. de Fidejuss.* Cæterum, si debitor sua culpa non solvit, tenetur fidejussor non tantum ipsum debitum, sed etiam damna, & expensas omnes creditori compensare: sicuti etiam debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fidejussori; si vero sine sua culpa, v.g. ob impotentiam debitor non solvit, ad solum debitum videtur teneri fidejussor: Azor., Mol., Bon. n. 14., & alii. Successor autem fidejussoris non obligatur ejus fidejussione, nisi sit hæres, vel ille in officio v. g. Decani constitutus fidejusserit cum consensu, & nomine Capituli: Mol., Sa, & alii. Si vero plures in solidum fidejusserint pro debitore, quilibet potest excipere contra creditorem, ne solus conveniatur, sed ut alii cogantur stare pro parte; & si unus coactus fuisset solvere totum, posset a creditore petere jus agendi contra alios: Lug. n. 15. Denique, si fidejussor erat potens, postea vero evadat impotens, non tenetur debitor substituere alium, quia reliquum periculum fidejussionis est penes creditorem admittentem: Bartol., Surd., Pal. n. 1.

Quæres tertio, An fidejussor aliquid exigere possit a debitore pro fidejussione? Re-

Digitized by Google

Reſpondeo affirmative; Quia fidejuſſio eſt pretio æſtimabilis. Si autem nullum timeatur periculum, & moleſtia, probabiliter etiam poſſe aliquid moderatum exigi, putant Bonac., Nav., Azor., Fil., Buſemb., & alii, quia obligatio ipſa de ſe eſt pretio æſtimabilis; ſed Cov., Moy., Croix n. 1106. probabilius putant oppoſitum: Primo, quia difficulter dari poteſt diſparitas, cur etiam mutuum non ſit de ſe pretio æſtimabile, præciſo quovis periculo lucri ceſſantis, damni emergentis, & ipſius ſortis; ideoque cur etiam non poſſit pro eo aliquid exigi? Secundo, quia, ſi fidejuſſor ſciat, nullum eſſe periculum, & moleſtiam, obligatio illa nullum affert onus: ergo nihil aptum eſt compenſari.

Cæterum creditor poteſt exigere aliquod moderatum pretium, ut liberet fidejuſſorem a fidejuſſione periculoſa, & moleſta, quam ſuſcepit pro debitore: Mol., Sa, Rodr., & alii. Idem fidejuſſor poteſt aliquando, licet non ordinarie, cogere debitorem, ut eum liberet a Fidejuſſione, v.g. ſi debitor ſit potens ſolvere, & non ſolvat, ſi incipiat dilapidare bona ſua, &c. Lug. d. 32. n. 20. At creditor cogi non poteſt, ut habito uno fidejuſſore admittat alium, quia habet jus ſtandi primo contractui: ſi autem admiſerit alium, liberatur primus: Pal. n. 5., & 6. Denique, ſi creditor proroget tempus debitori: tunc, ſi fidejuſſor indefinite fidejuſſerat, pergit obligari: ſi fidejuſſerat v.g. ad annum, cum anno ceſſat ejus obligatio: ſicuti, ſi fidejuſſerat pro capitali non obligatur ad intereſſe, quia obligatio non ſe extendit ultra intentionem: Azor., Croix n. 1107.

Compromiſſum eſt contractus, *quo aliqui mutuo conſenſu in ſententiam arbitri, ſeu arbitratoris rejiciunt controverſiam aliquam dirimendam, ſpondentes, ſe illi parituros;* & eſt contractus oneroſus innominatus, & ſolo conſenſu perficitur. Licet autem, antequam fiat, liberum ſit tum ex parte compromittentium, tum ex parte arbitri, ut acceptetur, tamen poſt acceptationem ſtandum judicio arbitri, qui etiam tenetur arbitrare. De arbitro dicam d. 4.

Tranſactio eſt *de re dubia, lite, aut controverſia jam mota pactio oneroſa.* Præter rei dubietatem requiritur, ut non ſit circa rem, de qua lata eſt ſententia, quæque in rem tranſierit judicatam, ex *l. Sub prætextu* 29. *Cod. de tranſactionib.* v. Croix n. 464. *Com-*

Digitized by Google

Compositio est, *Pactio de re aliqua, vel circa quam nulla controversia sit, vel circa quam sit, aut esse possit.*

Porro de his postremis contractibus, si quid dicendum supereſt, addemus suo loco in de Restitutione.

DISPUTATIO IV.

De quasi Contractibus.

QUASI contractus sunt obligationes, quæ tacite oriuntur ex aliqua actione, officio, acceptatione, &c. Præcipui sunt negotia gesta, mandatum, & officium Judicis, quibus nos addimus etiam tributa, & gabellas.

QUÆSTIO UNICA.

CAPUT I.

Quæ sint obligationes ex negotiis gestis?

NEGOTIA gesta dicuntur, cum absque alterius mandato negotium ejus utiliter geritur: v. g. si equum Titii absque ullo ejus mandato redimas de manu furis exiguo pretio, tanquam ejus negotium gesturus.

Quæres primo, Quænam sit obligatio ejus, cujus negotium geritur?

Respondeo, Teneri, rem sibi utiliter gestam ratam habere, expensas necessarias, & utiles solvere negotiorum gestori, necnon compensare ei damnum, lucrum cessans, & labores: ratio est, quia negotiorum gestor ob rem utiliter gestam acquirit ad hæc omnia actionem contra illum, ex *l. 2. de Negotiis gestis*. Idque verum est, etiamsi negotii eventus non feliciter succedat ex casu fortuito: v. g. si equum jam redemeris de manu furis in gratiam Titii, & dum equus ad Titium reducitur, fortuito casu pereat, tenetur Titius solvere tibi expensas, & pretium, modo hoc fuerit exiguum; quia adhuc rem ejus utiliter gessisti, nec tenebaris præstare casus fortuitos: Doctores communiter.

Quæres secundo, Quænam sit obligatio gerentis negotium alterius? Re-

Digitized by Google

Reſpondeo, Teneri illud diligenter adminiſtrare, ac ſemel cœptum perficere: item reddere rationem eorum, quæ geſſit, &, ſi quid ad ipſum pervenit ex negotio geſto, reſtituere alteri: Doctores communiter. Quoad labores vero, & expenſas ſibi reficiendas, diſtinguendum; ſi enim eas expendit animo non donandi gratis, ſed repetendi, poteſt juſte eas exigere: ſic, ſi inveneris rem alienam, quamvis non poſſis mercedem inventionis, tamquam jure tibi debitam, exigere, cum ex juſtitia tenearis rem inventam domino reſtituere, tamen potes juſte exigere laboris compenſationem, & expenſas factas, ſi animo minus gratuito feceris: Laym. c. 30. Similiter, ſi quis ſponte ſe obtulit ad fidejubendum, & ſolvit pro principali, habet contra illum actionem ex negotio geſto, ex *l. Sed videamus*, *ff. de Negotiis geſtis*, modo animo non gratuito id fecerit.

At, ſi quis animo omnino gratuito, & ex mera liberalitate, aut pietate negotium alterius geſſit, vel aliquid pro eo expendit, non poteſt deinde mutato animo labores, & expenſas jam factas repetere, ex *l. Si alimenta*, cap. *de Neg. geſt.*, quia fuit liberalis donatio. Hinc, ſi ad curandum famulum domi tuæ ægrotantem aliquid expendiſti animo liberali, aut pio, non poteris poſtea id de conſtituta mercede detrahere: ſimiliter, ſi mater, vel avia præbentes alimenta filiis, vel nepotibus animo gratuito (ut communiter cenſentur ex affectu materno, & pietate ea conferri) non poſſunt deinde ea repetere; niſi vero magnas expenſas pro iis fecerint, vel contrarium proteſtatæ ſint, aut ex circumſtantiis colligatur.

CAPUT II.

Quæ ſint Obligationes ex Mandato?

MANDATUM eſt *Officium ab eo, qui gratis ſuſcipit, exequendum:* Doctores communiter apud Laym.

Dicitur primo *Officium*, quia imponitur a mandante, ſive expreſſe, ſive ſaltem tacite: ut ſi videas, in tui gratiam aliquid a me fieri, neque prohibeas, cum poſſis, tacite mandare cenſeris, ex *l. Si remuneratio*, *ff. Mandati:* & ſimiliter acceptari debet, vel expreſſe, vel ſaltem tacite a mandatario: tale eſt officium Procuratoris, Advocati, &c.

Digitized by Google

Dicitur ſecundo *Gratis*, quia, ſi mandatum ſuſcipiatur ex promiſſione mercedis, aut ſalarii, non eſt purum mandatum, ſed potius conductio, & locatio operæ. Si ergo ſit purum mandatum, ſeu gratis ſuſceptum, quamvis poſt præſtitum officium a mandatario maneat mandans obligatus ex gratitudine ad remunerandum, tamen id ſtricte debitum non eſt; ideoque neque eſſe poteſt locus occultæ compenſationi. Idemque eſt, etiamſi ſuſcipiatur mandatum animo quidem mercenario, ſed qui conſtare non poterat mandanti, qui forte inveniret alium gratis id præſtantem: at, ſi conſtare ei poterat, ut ſi mandatum dedit Procuratori, vel Advocato, quos communiter conſtat, laborem ſuum gratis non præſtare, tunc habetur tacita promiſſio ſalarii; ideoque, ſi hoc non fuerit certum conſtitutum, judicis erit deſignare, ex *l. Si ſalarium, ff. Mandati.*

Infers primo, Stipendium pro executione mandati deberi, ſi ex circumſtantiis intelligendum erat, talem mandatarium non exercere ea mandata gratis: qualia ſunt obſequia præſtita a famulis, qui ſerviunt nullo conſtituto ſtipendio, imo deſignantur ſervire pro certa mercede. Cæterum, Pueris honorariis, vulgo *Paggi*, quando nullum neque expreſſe, neque tacite taxatum eſt ſtipendium, cenſetur competens retributio victus, veſtitus, & bona educatio ſecundum ſuum ſtatum, quibus inſuper ſolent Magnates procurare aliquod officium a Principe. Item Præſules Eccleſiaſtici ſolent eos, qui in eorum obſequio ſunt, remunerare beneficiis, & penſionibus Eccleſiaſticis, non ex juſtitia, ſed ex gratitudine; nam juſta eorum merces eſſe ſolet victus, & veſtitus, & nonnullis aliquod etiam ſtipendium certis anni temporibus: notatque Leſſ. apud Trull., minui aliquando poſſe juſtum ſtipendium, quando famulus illud non exigit, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum aliquod officium, vel beneficium, vel benevolentiam; cenſetur enim tunc ſponte dare: ſi tamen intenderet obligare hoc pacto Epiſcopum ad conferendum ſibi Beneficium Eccleſiaſticum, committeret Simoniam, juxta dicenda d. 5., & dominus teneretur defectum ſtipendii ſupplere.

Infers ſecundo, Famulis, aliiſque officialibus ſtipendium juſtum eſſe, quod paſſim ſolet dari hujuſmodi operariis; quod

Digitized by Google

quod etiam poteſt decreſcere: Primo, Si non deſint multi alii, qui minori pretio inſervirent, quia decreſcit pretium mercium ex copia vendentium: Secundo, Si famulus ipſe roget dominum, ut emat ſuum famulatum, quo forte non indiget; quia merces ultroneæ vileſcunt ſaltem pro tertia parte,& juxta nonnullos etiam pro medietate: Tertiò, Si cum minori pretio adjungantur honores, & alia emolumenta apud talem dominum: Filliuc., & alii communiter. Præciſis his circumſtantiis ſtandum eſt pretio juſto, quantum ſcilicet alii communiter recipiunt; ſi ergo tunc per vim, aut dolum cogitur famulus injuſto pretio inſervire, poteſt uti occulta compenſatione, ſi aliter nequeat juſtum ſui famulatus ſtipendium habere: ſicut etiam, ſi dominus non ſolvit, quod tenetur ex pacto: at ſi non per vim, & dolum, ſed ſponte, vel paupertate coactus contraxit famulus de pretio injuſto, tunc non eſt ei licita compenſatio; ut patet ex Prop. 37. damnata ab Inn.XI. *Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis furripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Addit tamen Carden., eos poſſe, quando judicio Confeſſarii, aut alterius valde periti perſpicuum eſt, pretium eſſe injuſtum, aut operam ſuam eſſe longe majorem ſalario; quia Pontifex ſolum contendit,id non poſſe fieri ab ipſo famulo, qui per ſe judicium ferat de injuſtitia pretii, cum facile deludi poſſit in propria cauſa.

Quæres primo, Quotuplex ſit mandatum?

Reſpondeo, Mandatum eſſe duplex: Alterum eſt mandatum ſpeciale, quod ſcilicet de re aliqua certa, ac determinata imponitur: Alterum eſt generale, quod ſcilicet imponitur procuratori ad negotia gerenda; & tunc dominus ratum habere cogitur, quidquid mandatarius negotiatus fuerit, quia mandatum generale ad omnia ſe extendit, ſicut ſpeciale ad quædam: Sylv., Laym. c.26. Excipe tamen hic ea, quæ ſpeciale mandatum ex jure exigunt: qualis eſt alienatio, tranſactio, oppignoratio, juramenti delatio adverſario, & matrimonium, ex cap. 4., & 5. *de Procur. in 6.*, niſi vero generale mandatum fiat *Cum poteſtate plena, & libera;* quia ſic æquiparatur ſpeciali, excepta donatione, & matrimonio, ex *l. Procurator*,

Digitized by Google

ff. de Procurat. Cæterum mandatum, ſive ſpeciale, ſive generale non poteſt eſſe de re illicita; ideoque tenetur mandatarius illud non admittere, & in conſcientia reſtituere, quidquid acceperit pro eo faciendo, antequam mandatum impleat: quamvis poſt mandatum impletum poſſit retinere in conſcientia, juxta dicta d. 1. c. 4., damna vero, quæ intulit, reſtituenda ſunt principaliter a mandante, & in ejus defectu ab ipſo mandatario; ſi autem hic excedit fines mandati, non tenetur mandans, niſi ad partem judicio prudentis: Mol., Trul., & alii.

Quæres ſecundo, Quandonam expiret mandatum?

Reſpondeo, Mandatum extingui ſex modis: I. Revocatione mandantis, ſi res eſt integra, ideſt ante litem conteſtatam, vel negotium cœptum; poſtea vero non poteſt revocari, niſi ſubſit aliqua juſta cauſa, vel ſcilicet quia procurator inimicus factus eſſet, vel adverſario affinitate conjunctus, vel alia ſimilis. Quod ſi revocatione facta, ſed nondum ſignificata procuratori is contrahat, valide plerumque contrahit nomine principalis, excepto matrimonio, ex cap. fin. *de Procur. in 6.* II. Morte mandantis, ſi res eſt integra, ſecus, ſi non ſit integra; imo neque in aliquibus caſibus etiam re integra, puta in dotibus, in manumiſſis, in cauſis piis: Laym. n. 6., & alii, vel ſi per poteſtatem legislativam ei tribuatur ſtabilitas, qualem in Societate Jeſu habent præcepta Superiorum: III. Morte mandatarii præſertim, ſi res ſit integra: imo aliquando, etiamſi res non ſit integra, ſi nimirum perſonæ induſtria ſpecialiter electa erat: Laym., & alii: IV. Si mandans evadat furioſus: V. Si tranſactum ſit tempus mandati: VI. Si mutetur ſtatus rerum. Vide Trul., Fil., Azor., & alios.

Quæres tertio, Quid ſit dicendum ſpecialiter de Procuratore, & Syndico?

Reſpondeo, Procuratorem eſſe, qui aliena negotia ex mandato domini adminiſtrat, & eſt duplex: Alius dicitur Procurator ad negotia, & hic habere debet 17. ann. completos, & poteſt alium ſubſtituere, niſi id ei prohibitum ſit, vel niſi ſpecialis negotii gravitas permittere non videatur, ut in matrimonio, ex cap. fin. *de Procur.*; denique tenetur ex culpa tantum lata, niſi negotii qualitas exactam diligentiam requirat: Laym. c. 26., & alii: Alius dici-

Digitized by Google

citur Procurator ad lites, & hic habere debet 25. annos completos, nec potest alium substituere, nisi id in mandato sit ei concessum, vel postquam lis ab eo sit contestata, vel nisi in propriam utilitatem datum fuerit; demum tenetur ex culpa etiam levi, imo secundum aliquos etiam levissima: Laym. ibid. Cæterum Clericus in Sacris, vel Beneficiatus non potest esse Procurator, vel Advocatus coram Judice Seculari, imo nec Sacerdos coram Judice Ecclesiastico, nisi causam suam, vel suorum, vel Ecclesiæ, aut personarum miserabilium suscipiat, ex cap. 1., & 3. *de Postulando:* Religiosis vero munus Procuratoris, & Advocati omnino prohibetur, nisi in causa sui monasterii jubente Prælato, aut ejus absentis voluntate præsumpta: Ab., & alii ex *Clem.*, *Religiosus*.

Procurator, si constitutus sit, ut merus internuncius domini, cujus nomine agat tamquam instrumentum (qualis est Procurator ad matrimonium contrahendum, ad prolem e baptismate levandam, &c.) non acquirit sibi ipsi actionem, & obligationem, sed domino; secus vero, si constitutus sit, ut eas obligationes, & actiones sibi acquirat, quas deinde domino cedere debeat, qualis plerumque est Procurator ad lites; tunc enim non dominus, sed ipse procurator damnatur, etsi executio sententiæ ordinarie fiat in bonis domini: v. Laym. n. 14.

Denique, quæ dicta sunt de Procuratore, dic pariter de Syndico, qui est Procurator, non a domino particulari, sed ab universitate, ejusve administratore, v. g. Episcopo, Capitulo, Prælato monasterii constitutus: &, si ad unam tantum causam, dicitur Actor.

Quæres quarto, Quid sit dicendum specialiter de Advocato?

Respondeo, Advocatum esse, qui certæ Personæ, aut Communitatis, quæ seipsam defendere satis non potest, patrocinium suscipit, qui etiam compelli potest a Judice, & officio advocationis privari, si absque justa causa renuat postulare pro altero, ex *l.* 1., *ff. de Postulando*, & *l. providendum*, C. *eod.*, quod dici nequit de Procuratore, cum nemo invitus cogi possit suscipere Procuratoris officium, nisi in extrema necessitate, ex *l. Invitus*, cap. *de Procur.* Advocato invalida est pactio de *quota litis*, ut scilicet

Digitized by Google

pars ejus, quod ex lite proventurum est provocatori, sibi cedat, ex *l.* 7., *ff. Mandati*; valet tamen pactum non expresse de *quota litis*, sed de certa aliqua summa, seu de certo præmio præter justum stipendium dando in casu victoriæ, modo sit moderatum, nec lege speciali prohibitum: Laym. n. 10. Denique peccat Advocatus contra justitiam, si suscipit, vel protrahit causam, quam scit, esse injustam; ideoque tenetur Clienti restituere, ex peccato omissionis, quia ex officio tenebatur monere ignorantem de injustitia causæ: tenetur etiam restituere parti contrariæ ex peccato commissionis, quia fuit ei causa positiva damni: si vero causa sit utrinque probabilis, & dubia, quamvis Sylv., Val., Arriag., & alii negent, posse eam suscipere, saltem si certus sit, oppositum esse probabilius, & tamen credat, se victurum: tamen Nav., Sanch., Less., Laym., & alii communius affirmant, quia tantum proponit argumenta Clientis habentis jus proferendi suas rationes, etiamsi minus probabiles, & decisionem relinquit Judici. Cæterum in causa criminali potest reum etiam sontem defendere, ut mortem, aliamve pœnam evadat, quia reus ad hanc non tenetur, nisi convictus; non potest vero in causa criminali dubia tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra reum: v. Busemb., & alios.

CAPUT III.

Quid sit Officium Judicis?

JUDEX ex mandato Principis tacite contrahit cum illo, ejusque subditis de justitia recte administranda; ideoque præter jurisdictionem, quam accipit a Principe, debet in se habere scientiam legum, procedere secundum allegata, & probata, & excludere munera, & pretium sententiæ dicendæ. Itaque

I. Quoad scientiam: Qui petit, aut suscipit officium Judicis carens scientia, qua scire deberet suo munere recte fungi, peccat graviter, nec est absolvendus, nisi renunciet, aut saltem proponat renunciare: D. Th., & alii communiter. Si autem cum magna imperitia male judicet, tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis; uti etiam, quoties notabile damnum propter ejus culpabilem

Digitized by Google

lem ignorantiam partibus litigantibus accidit: Bon., Lug., & alii. Si vero deinde cognoscat errorem commissum sine sua gravi culpa in præjudicium Partis, tenetur (si potest citra infamiam) impedire errorem, v. g. monendo occulte partem læsam, ut sibi appellatione, aut aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris executionem: Lug., & alii communiter. Tenetur expedire celeriter causas, quia ex officio tenetur tribuere cuique jus suum; hinc differendo valde notabiliter causæ expeditionem sine justa causa, peccat graviter, & tenetur restituere parti læsæ damna, & expensas, quæ ex iniqua dilatione sequutæ sunt: Sylv., Nav., Bon., & alii communiter. Tenetur etiam judicare secundum leges; quare non potest relaxare, aut minuere pœnas lege taxatas, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum Reipublicæ necessarium esse, dictaret Epikeja, vel nisi de privata tantum Actoris injuria ageretur; si vero mulctam pecuniariam, quam lege, vel consuetudine debebat imponere Reo, remisit, tenetur ipse restituere Fisco: D. Th., Sylv., Laym., & alii contra Azor., nisi vero ipse sit supremus Judex, qui auctoritatem habet in legem. Tenetur demum non solum Judex Ecclesiasticus (quod omnes Catholici fatentur teste Tanner.) sed etiam Judex in foro civili judicare de dispositionibus ad pias causas, secundum Canones, & non secundum leges civiles; ideoque stare debet pro testamento ad piam causam signato tantum manu defuncti, aut condito sine institutione hæredis, & pro legatis piis insertis testamento profano non habenti solemnitates juris: Tiraq. Priv. 15. & 17.

II. Judicare debet secundum allegata, & probata; quia judicat, ut persona publica, & consequenter sequi debet scientiam publicam. Hinc, si scientia privata sciat, aliquem esse nocentem, qui juridice sit probatus innocens, non potest eum damnare: D. Th., & alii communiter. Si vero scientia privata sciat, aliquem esse innocentem, qui juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo, quo potest, eum liberare, v. g. impediendo accusationem, differendo judicium, aperiendo carcerem, si sine majori malo fieri potest, remittendo causam ad Superiorem, &c.; Si autem nihil horum efficere possit; tunc, si causa sit civilis, aut agatur tantum de pœna pecuniaria, potest

Digitized by Google

procedere ſecundum allegata, & probata, quia Reſp. habet poteſtatem in bona ſuorum Civium, quando bonum publicum id requirit, ut in caſu, ne ſcilicet forma publica judiciorum cum ſcandalo populi evertatur. Idem probabiliter dicunt plurimi Doctores cum D. Th. in cauſa etiam capitali ob eandem rationem; ſed verius videtur oppoſitum, quia directe occidere innocentem eſt intrinſece malum: Leſs. l. 2. c. 29.: Fil., Bon., Tol., & alii.

Ex dictis infers, Innocentem, qui ſecundum allegata, & probata damnatus eſt ad mulctam pecuniariam, ad ſolvendum aliquid, &c., non teneri in conſcientia ſolvere, niſi tantum ratione ſcandali, quod pareret non obediendo ſententiæ; ideoque is, cui talis pecunia applicata eſt, ſi ſciat, ſententiam falſo fundamento niti, tenetur in conſcientia reſtituere. Neque obſtat, quod Reſp. poſſit de bonis ſubditorum diſponere, ut publica judiciorum forma ſervetur; nam, quamvis hæc ratio ſit forte ſufficiens ex parte Judicis ad judicandum ſecundum allegata, & probata, non tamen ex parte innocentis, ut in foro conſcientiæ teneatur cedere rem ſuam; hoc enim ad bonum publicum non eſt ullo modo neceſſarium: Leſs. l. 2. c. 31. n. 25. Ubi tamen cum communi limitat de Beneficio, & Officio, quo innocens privatus eſſet a Judice ſecundum allegata, & probata; ſicque collatum eſſet alteri; quia in hæc, utpote bona communia, majorem auctoritatem habet Reſp., quam in bona privatorum, &c. Addit demum, Innocentem non poſſe per vim ſe defendere contra Judicem, aut Miniſtros, ne ſententiam ſecundum allegata, & probata exequantur, quia eſſet bellum utrinque juſtum abſque ignorantia; quamvis Vict. dicat, poſſe, ſi abſit ſcandalum, & alioqui ipſe eſſet morte plectendus; verum ſcandalum vix abeſſe poſſet.

Quæres, Quid agere debeat Judex, quando pro utraque parte litigante ſunt rationes probabiles?

Reſpondeo, Si videat unam partem probabiliorem, debere omnino pro ea ferre ſententiam, & nullatenus pro parte minus probabili, ut conſtat ex Prop. 2. damnata ab Inn. XI. *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*; & ratio damnationis eſt, quia ex vi officii ſuſcepti iniit tacitum pactum cum Repu-

bli-

Digitized by Google

blica, ut ſententiam ferat ſecundum majora motiva rationum. Hinc, ſi Judex ſuperior mandet inferiori, ut ferat ſententiam ſecundum opinionem, quam ipſe inferior judicat minus probabilem, ſuperior autem judicat probabiliorem, tunc, ſi inferiori ſit certum, ſuam opinionem eſſe probabiliorem, non poteſt obedire, quia mandatum eſt de re illicita; ſi vero inferiori non ſit certum, tenetur obedire, quia in dubio ſtat præſumptio pro Superiore: Croix l. 4. n. 1481. Cæterum in cauſis criminalibus Judex tenetur favere Reo ſecundum opinionem probabilem illi faventem, etſi ſit minus probabilis, quam oppoſita: Doctores communiter ex *Reg. Jur. in 6. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*. Si autem rationes utriuſque litigantis ſint æque probabiles, vel utrinque ſit æquale dubium: tunc, ſi dubium ſit circa factum, favendum eſt potius Reo, quam Actori, juxta *Reg. Jur.*, & in cauſis pupilli, viduæ, loci pii, matrimonii, dotis, libertatis, peregrini, &c. ferri debet ſententia pro his a jure privilegiatis. Si dubium ſit circa jus, favendum eſt potius poſſeſſori, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis; at, ſi neuter poſſideat, res eſt dividenda: &, ſi ſit individua, ejus pretium eſt dividendum: Doctores communiter contra Ledeſ.; niſi vero ſit Beneficium Eccleſiaſticum, vel quid ſimile, quod ne ſecundum æſtimationem quidem dividi poteſt, ideoque poterit tunc alterutri ex æque dignis conferri ad arbitrium Epiſcopi.

Quæ dicta ſunt de Judice, dic pariter de Arbitro, & Arbitratore. Qui omnes peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi opinioni minus probabili ſe accommodant, tollendo ab alterutro ex litigantibus id, quod illi debetur ob rationem, quam habet probabiliorem, quod eſt jus proprietatis. At Epiſcopus conferens Beneficium Eccleſiaſticum minus digno omiſſo digniori peccat quidem, non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia nemo ad hæc bona habet jus ſtrictum proprietatis; ſolum ergo tenetur compenſare damnum communitati ex hac prava electione ſequutum: Leſs., & alii communiter.

III. Quoad munera: Quamvis Judex acceptare poſſit leviora munuſcula, in quibus ſcilicet non eſt periculum corruptionis judicii, quæque ex urbanitate offeruntur, nec

niſi

Digitized by Google

niſi inurbane recuſari poſſunt, ut docent Mol., Lug., & alii, ex cap. *ſtatutum de reſcr. in 6.*, ubi permittitur eſculentum, vel poculentum, quod intra paucos dies proximos conſumi poteſt. Tamen jure, tum Can., cap. 10. *de vit., & honeſt. Cler.*, tum Civ. *l.* 28., *ff. de Off., & Præſid.*, tum etiam naturali, ut addunt Lug., & alii, illicitum omnino eſt acceptare munera in ea quantitate, quæ de ſe apta eſt, &, ut plurimum, inducit corruptionem judicii; ideoque peccat, tum qui ea dat, ſive ſit ipſa pars litigans, ſive alius pro ipſa, tum Judex acceptans, etſi ſibi perſuadeat, ſe non ideo corrumpendum, cum ſaltem ex motivo gratitudinis illa reddant animum propenſum danti, & inadvertenter trahant ad partialitatem: Lug. n. 131. Quod ſi data ſint, ut Judex majorem diligentiam adhibeat, quam teneatur, vel ut celerius, quam debet, expediat cauſam, vel ob alium extraordinarium laborem, quamvis excuſent Verric., & Dian. p. 3. t. 5. r. 45., tamen communiter alii negant, quia adhuc lege poſitiva prohibentur in conſcientia, ob pericula, & damna regulariter adjuncta, ut notat Moy., & alii. Excuſat etiam Verric., ſi non dentur ut Judici, ſed ex alio titulo, ex Sanch., Lug., & aliis; ſed hi intelligunt ſpectato jure naturæ, non autem poſitivo, quod prohibere potuit ob periculum fraudulentorum prætextuum. Similiter, quamvis ſpectato jure naturæ non audeat Laym. damnare Judicem, qui ex pacto pro munere expediat prius hanc, quam alias cauſas, quarum in ejus arbitrio erat, quam prius expediret, tamen hoc etiam videtur jure poſitivo illicitum ob eandem rationem. Denique præſcindendo etiam a lege poſitiva, ſæpe per acceptionem munerum peccatur, vel ratione ſcandali, eo quod ipſimet dantes credunt, Judicem inflecti, vel ratione periculi pervertendæ juſtitiæ, vel quia dantur involuntarie, eo quod ſcilicet timent, ne Judex alioqui plus faveat parti adverſæ, aut moras trahat; quod maxime valet, ſi munera dentur lite pendente: Sanch., Mol., & alii communiter.

Ex dictis infers, munera acceptata a Judice, ſi tantum jure poſitivo ſint prohibita, probabiliter non eſſe reſtituenda in conſcientia, antequam de hoc talis Judex damnetur; quia leges non reddunt inhabilem accipientem: Mol., Leſs.,

Digitized by Google

Leſs., Lug., & alii; quod verum reputat Lug., etſi lex forte dicat, quod teneatur ante reſtituere, quia requiritur ſaltem ſententia declaratoria delicti: ſimiliter, quamvis Sanch. dicat, Secretarios judicum ex juramento teneri ante talem ſententiam reſtituere quadruplum illius, quod acceperint, tamen Moy., & alii probabiliter dicunt, requiri talem ſententiam. At munera, ſi ſint illicita jure naturæ, in conſcientia, & ante talem ſententiam reſtituenda ſunt danti: qualia ſunt, ſi data ſint ex timore, ne Judex alioqui plus faveat parti adverſæ, vel ne injuſte moras trahat; quia ſic data ſunt involuntarie. Similiter tenetur Judex in conſcientia reſtituere pretium, quod indebite accepit a parte pro ferenda ſententia juſta, quia talis ſententia erat parti aliunde debita; quare pro ſuo pretio nihil accepit a Judice. Idem eſt, ſi litigantes habeant pro ſe quiſque rationes æque probabiles, itaut res ſit omnino individua, adeoque liberum ſit Judici eam rem alterutri adjudicare, ut conſtat ex Prop. 26. damnata ab Alex. VII. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Et ratio damnationis eſt, quia ratione officii tenetur tunc Judex rem alterutri gratis adjudicare: quod valet etiam de Arbitro conſtituto ad eligendum alterutrum ex æque dignis, quem maluerit: de Oeconomo habente a patrefamilias poteſtatem conferendi officium domus: de hærede, qui ex voluntate teſtatoris tenetur diſtribuere dotes virginum, vel alia legata pia juxta ſuum prudens judicium: & maxime de Collatore Beneficii Eccleſiaſtici, ut patet ex cit. Prop. 26. damnata ab Alex. VII. Et ex prop. 22. damnata ab eodem, quæ ſic habet: *Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* At, ſi judex accepit pretium iniquum pro ferenda ſententia injuſta, de jure naturæ non tenetur ad ejus reſtitutionem, quia non tenebatur ad ferendam illam ſententiam injuſtam; imo nec teneri jure poſitivo, docent Sylv., Nav., Mol., Laym., Leſs., & alii. Tenetur tamen reſarcire omne damnum injuſte illatum parti læſæ, ut patet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid ſint Gabellæ ?

EX acceptatione alicujus in Principem tacite oritur obligatio ſolvendi gabellas, quæ ſunt *Exactiones publicæ Principi, vel Reipublicæ ſolvendæ ad onera communia ſuſtinenda*; Et varie appellantur: ut tributum, quod ſolvitur juxta cujuſque facultates præſertim prædiales: vectigal, quod ſolvitur pro rebus, quæ exportantur, vel importantur in Civitatem, aut Provinciam: portorium pro tranſportatione mercium per fontes, per flumina: pedagium, ſeu guidagium, a tranſeuntibus, pro cuſtodia viarum: item tallia, præſtantia, impoſitio, collecta, duana, & ſimilia impoſita pro venditione, & emptione rerum, &c. Præter hæc ſunt quædam onera, quæ a juriſperitis vocantur munera: & alia ſunt realia, ut obſequia præſtanda Principi ex rebus ſubditorum, puta jumentis, plauſtris, canibus, &c., alia ſunt perſonalia, quæ per ipſas perſonas exhibentur, quod dicitur angaria; alia demum mixta, quæ utroque modo exhibentur, quod dicitur perangaria. Vide Sylv. v. *Gabellæ*.

Quæres primo, Quis poſſit imponere gabellas?

Reſpondeo, Poſſe tantum Principes Supremos, & Reſpublicas, quæ ſuperiorem non agnoſcunt; quia hi immediate habent auctoritatem a populo, a quo proinde accipere debent, quæ neceſſaria ſunt ad ſui ſtatus dignitatem, & ad rectam eorum adminiſtrationem. Hinc Proreges, aliique Gubernatores non poſſunt imponere novas gabellas: item nec Comites, Marchiones, aliique Domini a Principe abſoluto conſtituti; quia ab eo habent, quæ ſunt neceſſaria ad ſui dignitatem, ideoque, ſi abſque ejus conſenſu novas gabellas imponerent, incurrerent in 5. Excommunicationem Bullæ Cœnæ; niſi vero eſſent in conſuetudine immemorabili eas imponendi, cum ſic ſupponant titulum, ſeu auctoritatem Principis: Leſs. c. 33. Summus vero Pontifex, & Concilium Generale, etſi directe non poſſit eas imponere in locis Principi Seculari ſubjectis, poteſt tamen indirecte, ſi ſcilicet neceſſarium ſit ad defenſionem rerum ſpiritualium: Leſs. n. 10. Denique Univerſitati, vel Civitati licitum eſt de communi conſen-

Digitized by Google

ſenſu imponere ſibi tributa, quæ *Aſſiſia* vocant, ad communes, & ordinarias populi neceſſitates; id enim dictat recta, & naturalis ratio, & approbat communis uſus, & praxis: Leſs. n. 15.

Quæres ſecundo, Quæ ſint gabellæ juſtæ?

Reſpondeo, Eſſe illas, quæ habent has conditiones: Primo, Ut ſint impoſitæ per legitimam auctoritatem, juxta modo dicta: Secundo, Ut adſit juſta cauſa eas imponendi, quæ eſſe debet *Neceſſitas publica, cui aliter commode ſuccurri nequeat:* hinc injuſtum eſt imponere tributum, ſi certum, aut ſaltem probabilius non ſit adeſſe hanc cauſam, cum Princeps hic agat, ut Judex, ut ait Mendo; vel ſi inſumatur in alienos uſus, ut in prodigas largitiones, in expenſas inutiles publicas, vel privatas; vel ſi majus ſit, quam cauſa poſtulet; qua parte enim excedit, eſt iniquum; vel demum, ſi diutius duret ceſſante cauſa, niſi forte nova cauſa ſupervenerit, ob quam imponi de novo potuiſſet, aut ſit periculum, ne redeat, puta ad vindicandum mare a piratis, &c. Tertio, Ut imponantur proportionate ad facultates ſubditorum, ſecundum æqualitatem, ſeu proportionem geometricam, quantum fieri poteſt; iniquum enim eſſet, ſi pauperiores magis, quam ditiores gravarentur: & a fortiori, ſi abſque rationabili cauſa reddantur aliqui immunes ab his ſolvendis, unde alii magis gravarentur: Suar., Leſs., & alii communiter: Hinc Cajet., & alii 12. Doctores apud Lug. d. 36. n. 24. dicunt, injuſtam eſſe gabellam, ſi imponatur in rebus victui, & veſtibus neceſſariis, ut pane, vino, carnibus, oleo, tritico, &c., quia habetur inæqualitas, cum pauperiores non habentes ex ſuis bonis cogantur plura emere, quam divites, adeoque plus graventur, & hanc ſententiam putant probabilem Mol., Bon., Dian. Sed alii 18. Doctores cum Lug. merito contradicunt, quia ſervatur ſufficienter æqualitas per hoc, quod divites propter majores familias plura emant, aut plus graventur aliis tributis propter plura bona immobilia. Neque obſtat, *l. 5., & 6. cap. de Vectigal.* prohibens, exigi vectigalia pro uſualibus; nam hæ leges ſunt conſuetudine abrogatæ; docet tamen cum aliis Sanch. l. 2. *Conſil.* c. 4. d. 44. n. 7., non facile injiciendum ſcrupulum defraudantibus vectigalia ob res uſuales, niſi conſtet de eorum juſtitia;

Digitized by Google

tia; quod admittit Lug. n. 27. quoad pauperes, qui res communes ad proprium uſum emunt, vel apportant.

Quæres tertio, An ſit peccatum fraudare gabellas juſtas?

Reſpondeo, Nav., Sa, Angel., Bejam, & alios multos docere, leges de ſolvendis gabellis eſſe tantum pœnales, & non obligare in conſcientia: quam ſententiam Leſs. n. 55. Bon., & alii dicunt, eſſe probabilem. Sed probabilius, & communius reliqui Doctores cum eodem Leſs., & Bon. docent, obligare in conſcientia, adeoque defraudantes in materia notabili gabellam juſtam peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem; quia gabellæ non debentur, ut pœnæ; ſed, cum ſerviant ad publicam neceſſitatem, Princeps, & Reſpublica habent jus ſtrictum ad eas exigendas: ergo, qui hoc jus fraudat, facit injuriam.

Addunt tamen Henr., Fill., Hurt., Moy., & Sanch. l. 2. *Conſil.* c. 4. d. 10. non eſſe obligationem ſponte ſua offerendi gabellas, niſi petantur, dummodo non abſcondantur merces, nec decipiantur quæſtores, in quam ſententiam multum inclinat Lug. n. 40., ſaltem ne pœnitens poſtea cogatur reſtituere; imo addit n. 44. cum Mol., & Sanch. eſſe probabile, quod nec teneatur reſtituere, quamvis occultaverit ſe, & merces, & ideo nihil ſit petitum. Sed Cov., & alii abſolute dicunt, eſſe obligationem ſolvendi, quamvis non petantur, ſaltem ſi moraliter conſtet de earum juſtitia. Cajet., & alii dicunt, antiquas deberi, licet non petantur, non autem novas; quia contra has eſt quædam præſumptio, quod ſint injuſtæ; ſed Leſs., & alii cum Bon. melius dicunt, in hoc ſervandam eſſe conſuetudinem locorum: v. Croix l. 3. p. 2. n. 271.

Contra vero, ſi gabella ſit injuſta, non ſolum non obligat, ſed & Princeps imponens, & exactores peccant cum obligatione reſtitutionis, & incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ: Leſs. n. 47. In dubio autem, num ſit juſta necne, Sanch. l. 2. *Conſil.* c. 4. d. 10., & alii 16. cum Mendo dicunt, non obligare; ſive dubium ſit poſitivum, itaut probabilis ſit utraque pars, quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem relicta alia; ſive dubium ſit negativum, itaut pro neutra parte appareat ratio, quia in dubio poſſeſſio videtur eſſe ex parte ſubditorum. Sed probabilius

Digitized by Google

babilius contradicunt alii Doctores communiter, quia in dubio præsumendum est pro justo præcepto Superioris, cujus auctoritas est in certa possessione præcipiendi; nec semper licitum est sequi opinionem probabilem, si nimirum propter eam is, qui merito prævalere debet, cogeretur cedere certa possessione juris sui, ut in casu; quamvis enim subditi sint in certa possessione rerum suarum, tamen etiam Princeps est in certa possessione juris præcipiendi gabellas, & ubi duo possident, melior est conditio ejus, qui habet jus majus, & pro quo magis præsumitur, qualis est superior: v. Croix l.3. p.2. n.277.

Cæterum ex tanta varietate sententiarum monet n. 282. cum Dicast., prudentis Confessarii esse, non semper secundum opiniones rigidissimas obligare pœnitentes ad restitutionem gabellæ: & cum Mol., & Lugo, antequam fiat defraudatio, standum esse potius pro eo, quod subditi teneantur solvere; postquam vero facta est, si pœnitens merito credat, exactionem esse injustam, non facile damnandum ad restitutionem. At, si quis cum quæstore contraxisset de solvendis v. g. 50. aureis pro omnibus vectigalibus totius anni, omnes docent, fieri injuriam, si de his 50. aliquid fraudet, quod proinde restituere tenetur in conscientia; quia hos debet non tam ex lege vectigalium, quam ex contractu: Mol., & Lug.n.48. Idem est, si tributum sit incapitatum, hoc est quando mercatores convenerunt cum exactoribus gabellarum ad solvendam certam summam, itaut singuli teneantur ad portionem, quo casu, si quis eorum per incuriam exactorum relinqueretur, deberet ipse se manifestare, ne reliqui graventur: Lug.n.16.

Quæres quarto, Quid sit dicendum de officialibus pro exactione gabellarum, & de mercibus inductis cum fraude gabellæ?

Respondeo primo: Officiales, qui exigunt gabellas justas nomine Principis, si aliquid accipiant a subditis, ne eas exigant, quamvis non teneantur restituere acceptum, peccant tamen, & tenentur eas resarcire Principi; quia ex officio, qui est quasi contractus cum Principe, tenebantur eas exigere; nisi vero rationabiliter præsumant mentem Principis, ut si merces erant amicorum ejus, aut pauperum, vel ideo minus exigunt, ut sic melius inhi-

beant

Digitized by Google

beant frequentiam fraudum, vel quia mercator ob frequentiam mercium dignus est aliqua remissione: Trul. l.7. *Decal.* c. 12. d.4.n. 13.; quia sic utiliter gerunt ejus negotium: v. Fil. l.4. *Decal.* c. 49. n.11. Actor autem mercatoris, qui transigit cum gabellariis, si proprie sit actor, non potest sibi retinere pretii excessum, quia ex officio debet utiliter gerere negotia mercatoris: secus vero, si non sit actor, aut mandatarius, quia tunc videtur esse fructus suæ industriæ: Less. n.81.

Respondeo secundo: Merces, sive inductæ sint contra prohibitionem sub pœna aliqua (quæ quidem solvenda non est, nisi post sententiam, ut notat Lug. n.70.) sive inductæ sint cum fraude gabellæ justæ, adhuc probabiliter vendi possunt pretio communi, quo venduntur aliæ passæ gabellam, quia hoc pretium taxatur communi æstimatione secundum onera, quæ communiter omnes subeunt, etsi talis fraudator hic & nunc non subeat: Less. contra Molin. Similiter emptor talium mercium, etsi sciat, fraudatam esse a venditore gabellam, non tenetur hanc pro eo solvere, quia talis merx manet tantum obligata pro gabella, si fiat excussio, seu intentetur actio: Mol., Bon., Less., & alii contra Sylv.

Quæres quinto, Quinam sint immunes a gabellis?

Respondeo, Non esse immunes exteros, quia etiam respectu eorum videtur inducta obligatio per consuetudinem, quam rationabilem esse ostendit Lug. n.29., & alii communiter; potestque præterea Rex exigere gabellam ab incolis hujus Regni ad defendendum alterum Regnum, ut sic mutuo defendi possint, magisque florere: Vasq., Lug. n. 36. At immunes sunt: Primo, qui a Rege per privilegium eximuntur ex justa causa, veluti in remunerationem meritorum: Secundo, Pauperes, qui eas solvendo non possent alere se, & suos; quia debent prius necessitati propriæ consulere: Sanch. d. 15. n. 69., & alii: Tertio, Creditores Regis, qui non possunt aliter creditum recuperare, possunt id sibi compensare non solvendo gabellas: Doctores communiter: quod si Rex locavit, aut vendidit alteri gabellam, adhuc potest creditor Regis sic sibi compensare; tum quia conductores ob id minoris conducunt gabellas, quod sciunt a pluribus non solvi; tum

quia

Digitized by Google

quia talis locatio, aut venditio gabellæ imbibit conditionem, quod ſit juſta, & reſpectu talis creditoris non eſt juſta; tum quia conductor, aut emptor non acquirit majus jus jure Regis, quod non eſt contra talem creditorem. Excipe, ſi creditum fuerit poſt talem locationem, aut venditionem, vel ſi gabella fuerit incapitata; ſic enim gabellam uno non ſolvente fit damnum aliis ſociis: Sanch. d. 48., & alii: Quarto, Demum immunes a gabellis præcipue ſunt Eccleſiæ, earumque bona, & perſonæ Eccleſiaſticæ, earumque bona patrimonialia, ex *cap. Non minus*, *cap. Adverſus de imm. Eccl.*, *cap. Quamquam de cenſibus*, *cap.* 1. *de imm. Eccl. in* 6. Unde in Bulla Cœnæ n. 18. excommunicantur ipſo facto quicumque eas perſonis Eccleſiaſticis, ac earum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, abſque ſpeciali, & expreſſa licentia Summi Pontificis, imponunt, & exigunt, aut impoſita etiam a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt, qua in re

Noto primo, Nomine Eccleſiæ venire etiam loca pia, & res deputatas in eleemoſynas, pauperum ſubſtentationem, & pia opera, necnon monaſteria Regularium utriuſque ſexus: Nomine perſonæ Eccleſiaſticæ venire omnes Clerici, dummodo non ſint actu conjugati, ex cap. un. *de Cl. Conjug. in* 6. Clerici autem minorum Ordinum, ſi beneficium non habent, ſunt quidem jure exempti a gabellis, ſed conſuetudine aliqua ex tacito ſummi Pontificis conſenſu alicubi non ſunt immunes: Lug. d. 37. n. 114., & alii communiter. Veniunt eodem nomine etiam omnes Regulares utriuſque ſexus, eorumque Novitii, imo etiam Oblati, non tamen Eremitæ, qui ad nullam Religionem approbatam pertinent: Lug. n. 102.; Similiter coloni Regularium pro portione colonica liberi ſunt a tributis, ex *Bul. Pii Quinti* apud Dian. p. 2. t. 1. r. 19., quod certum eſt, quando fructus nondum ſunt ſeparati a ſolo Eccleſiaſtico, ut deciſum fuit contra gabellarium Panormi apud Graff., ſi autem portionem ſuam jam collectam deferant de loco ad locum, aut alienent, tenentur ad gabellas: Trull., & alii communiter. Idem dic in praxi de emphyteuta rei Eccleſiaſticæ.

Noto ſecundo, Bona Eccleſiaſticorum immunia a gabel-

Digitized by Google

bellis esse etiam bona eorum patrimonialia; quia Canones expresse, & generaliter loquuntur de bonis non solum Ecclesiæ, sed etiam Ecclesiasticorum; unde non solum in bonis proprie patrimonialibus hoc locum habet, sed etiam in bonis ex donatione, emptione, vel alio titulo ad personam Ecclesiasticam pertinentibus; statutum autem hujus Regni Neapol., quod Clerici de bonis sibi donatis debeant gabellam solvere, sustineri potest, si habeat consensum expressum (ut nunc habet) vel tacitum summi Pontificis: Lug. n. 108. Idem dic de bonis propriis Novitiorum Regularium: Doctores communiter contra Rodr. apud Lug. n. 106. Addit tamen n. 109. cum Sanch., & aliis; quod, si bona ista, antequam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticam personam perveniant, habeant onus, vel tributum adnexum perpetuum, & mere reale, cum eodem onere transeunt ad illas; secus vero, si onus illud non erat reale, sed ratione personæ, ut si solvebatur ex eis tributum ex generali lege, qua bona omnia subditorum sunt obligata pro tributis Principi debitis. Addit demum n. 105. cum eodem Sanch., Laicum habentem in familia Clericos, non posse extrahere ex gabella partem juxta id, quod Clerici illi consumunt, quia non solvit gabellam, qui comedit, aut consumit res illas, sed qui eas emit, vel affert: & pater solus est, qui emit, vel affert, & qui est earum dominus: sicut econtrario Clericus nihil gabellæ solvit de iis, quæ emit, licet id consumi debeat ab ejus famulis, vel amicis laicis, quos ad prandium invitat.

Noto tertio, Ecclesiasticos in aliquibus casibus non esse immunes a gabellis: Primo, In iis rebus, quæ afferunt, extrahunt, emunt, aut vendunt negotiationis causa, ex cap. *Quamquam*, *& Clem. ult. de Censibus*, etiamsi semel negotientur: Lug. n. 120.; quo tamen casu, si renuant, cogi non debent a Judice laico, sed ab Ecclesiastico: Doctores communiter contra Baldum. In Regnis Hispaniæ exportans aliquid tenetur manifestare gabellariis, & eo non manifestante tenetur mulio; quod, si non fecerit, incurrit pœnam: ita Barbosa. Si autem ter moniti ab Episcopo non desistunt a negotiatione, perdunt privilegium exemptionis a gabellis etiam quoad alia bona, dummodo non sint Beneficia Ecclesiastica: Lug. n. 118.; quando autem

Digitized by Google

tem dubitatur, an, quod Ecclesiasticus affert, emit, aut vendit, sit ad negotiandum, an ad usus proprios, standum est ipsius juramento, nisi contrarium probetur: Sanch. d. 52. Secundo, Solvere debent collectam, quando id, pro quo imponitur, æque immmediate, & directe tangit in particulari Ecclesiasticos, & laicos: v.g. pro reparando flumine, quod perderet agros vicinos, quorum aliqui sunt Ecclesiasticorum, aliqui laicorum; tunc enim, si Ecclesiastici, quorum interest, consentiant, non est necessarius consensus Pontificis, imo nec Episcopi; quia non est proprie gabella, sed contributio, quam ipsimet ex pacto sibi imponunt propter interesse particulare, quod habent; si vero nolint consentire, vel non omnes, tunc pro his requiritur consensus Pontificis, quia tunc videtur esse obligatio, & species tributi: Lug. n. 129., & alii. Tertio, Si imponatur gabella pro aliquo bono Communitatis, cujus ipsi Ecclesiastici sunt partes, puta ad reficiendos muros Civitatis, &c., tunc non debet, nec potest exigi ab Ecclesiasticis, quia, si in his casibus non essent immunes, fere ad nihilum eorum immunitas reduceretur, cum communiter gabellæ ad has, vel similes necessitates imponantur; quare, si bona laicorum non sufficiant sine magno eorum gravamine, requiritur consensus Episcopi, Capituli, & Cleri, ut velint contribuere; imo etiam consensus summi Pontificis, si periculum non sit in mora: Lug. n. 127. ex cap. *Adversus*, *de Imm. Eccl.* Vide dicta tom. 1. d. 2. q. 3. c. 5.

Noto quarto, Verba illa Bull. Cœn. *Etiam a sponte dantibus*, intelligi de tributo Clericis impositio, quod Clericus ad vitandas contentiones sponte solvat, etiamsi absque vi, vel petitione prævia; sic enim imponentes, & exigentes excommunicantur: & Clericus, nisi cogatur, peccat solvens, cum præbeat ansam præscribendi, & scandalizandi: Suar., Bonac., & alii. Secus vero dicendum, si tributum neque directe, neque indirecte fuerit impositum Clericis, & illud Clericus sponte velit solvere. Dicitur autem impositum indirecte, cum licet directe non tendat ad gravandos Clericos, tamen, ex intentione Legislatoris, & ex circumstantiis ostenditur exigi a laicis ad finem gravandi Clericos: ut si imponatur gabella mercatoribus

Digitized by Google

afferentibus in ſpecie libros Eccleſiaſticos: v. g. Miſſalia, eſt præſumptio, quod Princeps velit hoc modo gabellam ab Eccleſiaſticis; ſecus vero, ſi imponatur gabella in genere afferentibus alios libros: etſi enim Eccleſiaſtici etiam hos emant a carius vendentibus ratione gabellæ, hoc tamen eſt per accidens; dummodo Eccleſiaſtici libertatem habeant, eos libros aliunde ſibi transferre, emere, &c. Similiter, ſi augeatur pretium carnium, vini, &c., ut illud augmentum applicetur neceſſitati publicæ, gravantur indirecte Clerici, niſi eximantur; ſi vero fiat proteſtatio, ut in fine anni reddatur Clericis, quod ſolverunt per modum gabellæ, excuſant aliqui cum Dian. apud Lug. n. 141.

Ex dictis demum infers, Quando non ex fine exigendi a Clerico indirecte imponitur gabella aliqua venditori laico, probabilem eſſe ſententiam communem, poſſe exigi ab eo, etiam quando vendit Clerico; quia tunc non a Clerico, ſed a laico exigitur, qui debet ſolvere e bonis ſuis: Lug. n. 142., debet tamen eſſe liberum Clericis aliunde ſibi ea comparare: ſimiliter, ſi Rex reſervet ſibi jus vendendi chartas carius, debet Clerico eſſe liberum, eas ſibi aliunde comparare. Infers iterum, Quando non ex dicto fine, neque ex circumſtantiis, &c. imponitur gabella omnibus laicis ementibus carnes, vinum, &c., probabilem eſſe communem ſententiam, non eſſe contra immunitatem exigere a laico, quando emit etiam a Clerico: ſimiliter, quando exigitur ab extrahentibus ex confinio non ex fine, ut Clerici ſolvant; nam, licet ea occaſione hi vilius vendant res ſuas, id tamen eſt per accidens: Lug. n. 144.

DISPUTATIO V.

De Simonia, & Beneficiis.

QUod eſt Uſura in mutuo, fere eſt Simonia in rebus ſpiritualibus, præſertim in Beneficiis Eccleſiaſticis.

Videndum nunc I. Quid de Simonia in genere? II. Quid de Beneficiis Eccleſiaſticis? III. Quid de

Digitized by Google

de Simonia in re beneficiaria? IV. Quid de pœnis simoniacorum? Porro de oneribus, ac fructibus Beneficiorum aptius in de Restit. disp. 2. q. 1. cap. 2.

QUÆSTIO UNICA.

CAPUT I.

Quid de Simonia in genere?

SIMONIÆ crimen Sacrilegium est a Simone Mago derivatum, qui emere volebat potestatem conferendi Sp. Sanctum, ut dicitur *Actor.* 8. De ea videndum I. Quid sit? II. Quotuplex sit?

§. I.

Quid sit Simonia?

SIMONIA est *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum;* Doctores communiter cum D. Th., ex cap. *Qui studet. 1. q. 1.*

I. Dicitur *Studiosa*, ideſt deliberata *Voluntas;* quia simonia magna ex parte pendet ex intentione operantis, quæ exercite tanti æstimat rem spiritualem, quanti temporalem, ex cap. *Tua nos, de Sim.*

II. Dicitur *Emendi, vel vendendi;* quia tam a vendente, quam ab emente committitur simonia: per hæc autem verba intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, & quævis stricta obligatio dandi spirituale pro temporali, & contra; & ratio est, quia malitia simoniæ consistit in æquiparanda re spirituali, quæ pretio æstimari non potest, cum re temporali; ideoque est sacrilegium, cum virtuti Religionis opponatur hoc, quod est res sacras æstimare, tamquam profanas. Hinc contra non est simonia commutare rem spiritualem cum spirituali, nisi tantum in Beneficiis Ecclesiasticis ob specialem prohibitionem Ecclesiæ, ex dicendis c. 3. Per temporale autem intelligitur non solum pecunia, sed quodcumque pretio æstimabile, quod dici hic solet munus, sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio: munus a manu est pecunia, vestis, equus, & similia, quæ vendi

Digitized by Google

solent: munus a lingua est laus, vel vituperatio, commendatio apud Principem, patrocinium Advocati, preces, &c.; munus ab obsequio est ministerium in rebus temporalibus, ut est famuli, œconomi, &c. hæc omnia dicuntur pretium temporale.

III. Dicitur *Aliquid spirituale, &c.*, quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut Gratia, & Dona Sp. Sancti, &c., sive causaliter, ut Sacramenta, Sacramentalia, Concio, Preces, &c.; sive sit ejus effectus, ut usus potestatis spiritualis, nempe absolutio, sive a censuris, sive a peccatis, dispensatio, consecratio, benedictio, excommunicatio, &c., item electio, confirmatio, & collatio Beneficii Ecclesiastici; item collatio Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & acceptatio in Religionem, administratio Sacramentorum, & Sacramentalium, cæterique actus jurisdictionis, vel potestatis Ecclesiasticæ. At non est simonia pretium accipere pro officio magistri in Theologia, in Jure Canonico, in Interpretatione sacræ Scripturæ, in Doctrina Christiana, quia, etsi istæ scientiæ versentur circa res supernaturales, tamen sola instructio discursiva magistri per se, & ex fine intrinseco non ordinatur ad salutem, neque immediate, & principaliter dirigitur ad movendam voluntatem, sed tantum ad illuminandum intellectum: v. Illsung.

IV. Dicitur *Vel spirituali adnexum*, ad comprehendendum ea, quæ spiritualia non sunt, sed ad ea ordinantur, iisque adnectuntur, sive antecedenter, ut sunt Juspatronatus respectu Beneficii, vasa, & vestes Sacræ, &c. respectu Sacramentorum; sive concomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum, juxta infra dicenda; sive demum consequenter, ut Beneficium, seu jus percipiendi fructus, quod consequitur ad Officium Sacrum, propter quod datur. Huc etiam reducuntur Reliquiæ Sanctorum, aliæque res benedictæ, consecratæ, & aliæ similes.

Quæres primo, An sit simonia vendere, vel locare res benedictas, consecratas, aliasque similes?

Respondeo primo, Si vendantur pluris ob benedictionem, vel consecrationem, &c., certe esse simoniam, quia sic venderetur res spiritualis, qua talis; ideoque Reliquiæ SS. nullatenus vendi possunt, cum nihil habeant, quod

non

Digitized by Google

non sit Sacrum, idemque est, si sic emerentur. Addo tamen, licitum esse emere Reliquias, aliasve res sacras quantiplurimi ab infidelibus, vel hæreticis, quia sic non esset emptio rei sacræ, sed redemptio injustæ vexationis, & indignæ tractationis: similiter in extrema, vel etiam gravi necessitate, licitum est ad obtinendum Sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ dare pretium ei, qui non vult ea administrare gratis; quia tunc non datur, ut pretium Sacramenti, sed ad removendam injustam vexationem, seu ad tollendum impedimentum pravæ voluntatis alterius, quod Suar. probabiliter extendit etiam ad necessitatem sumendi Viaticum: Croix l. 3. p. 1. n. 159.

Respondeo secundo, Si vendantur res consecratæ, quanti valet præcise earum materia, quæ sit quid temporale, non esse simoniam, quia temporale illud non fundatur in spirituali adnexo, sed potius antecedit; ideoque vendi potest secundum suum valorem intrinsecum citra simoniam: sic vendi possunt Calices etiam consecrati, vestes sacræ, cappellæ, templa, &c., modo non vendantur pluris ob consecrationem: neque requiritur juxta nonnullos Canonistas, ut frangatur calix, sicque amittat consecrationem, antequam vendatur; nam praxis est in contrarium, & similiter servus baptizatus retinet baptismum, dum venditur. Canones autem, dum vetant, vendi quasdam res sacras, ut agnos Dei, oleum sanctum, intelligendi sunt, si vendantur ut sacræ, ut notat Sanch. l. 2. *Dec.* c. 43. n. 29., vel si in his fiat mercatura, aut si adsit scandalum: Croix n. 154.; prohibentur etiam vendi res sacræ Judæis ob periculum irreverentiæ, & abusus; ideoque etiam Laym. putat, Calicem consecratum non debere vendi integrum laico, nisi pro aliquo Oratorio, eo quod laicus rem talem sacram possidere non debeat: idemque est de lignis, & lapidibus Ecclesiæ dirutæ, in quibus ex declaratione speciali juris manet consecratio: Croix n. 155. Dixi, vendi posse temporale spirituali adnexum, *Si non fundatur in illo*, sed potius antecedit. Nam contra, si temporale fundetur in spirituali, & oriatur ex illo, tanquam ex causa morali, simoniace venditur, etiam quanti ipsum præcise valet: sic beneficium, seu jus percipiendi fructus clericales, cum fundetur in officio spirituali tanquam in radice, non potest vendi

Digitized by Google

citra ſimoniam (ſecus dic de fructibus Beneficii; ſunt enim quid omnino temporale)quia,cum non poſſit poſſideri ſine tali officio,ſequitur,ut ſi poſſideatur per emptionem,ipſum etiam officium ematur; & de his cap. *Si quis* q. 2. dicitur, *Qui horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Hinc etiam Suar. cum aliis communiter dicit, eſſe ſimoniam vendere jus ſepulturæ, quamvis pretium daretur pro loco in quantum honoratior eſt, quia id, in quo fundatur talis honor, eſt ſacrum; licet Barb., & alii apud Dian. p.2.t.15.r.57., probabiliter dicant oppoſitum; & omnes fatentur, pretium accipi poſſe pro fundo, & expenſis; uti etiam pro onere non ſepeliendi alium in tali loco, quam v.g.Cajum, & familiares ejus, quia onus illud nec eſt ſpirituale, nec ſpirituali adnexum.Quando autem locus ſacer eſt communis pro ſepultura fidelium, ſimonia eſt ſaltem juris humani exigere aliquid pro ſepultura in illo, ex c. *Abolendæ de ſepult.*, niſi excuſet conſuetudo legitime introducta, ut ſcilicet aliquid fabricæ Eccleſiæ applicandum detur pro loco ſepulturæ, uti etiam pro ſede, vel loco honoratiori in templo: Croix n. 185.

Reſpondeo tertio, Eſſe ſimoniam locare rem ſacram, puta calicem, paramenta, &c. pro pretio (niſi pretium petatur præciſe pro damno,ſeu detrimento, quod paterentur) quia non locatur, niſi eorum uſus, & uſus rei Sacræ eſt ſacer: Suar., Croix n. 154., & alii communiter.

Quæres ſecundo, An ſit ſimonia accipere aliquid pro adminiſtratione Sacramentorum, Litaniis, aliiſque actionibus ſpiritualibus?

Reſpondeo primo, Eſſe ſimoniam, ſi accipiatur in pretium illius adminiſtrationis, ſeu laboris; quia talis labor eſt intrinſecus, & inſeparabiliter conjunctus cum rebus ſpiritualibus, imo eſt intrinſeca pars ipſius functionis ſpiritualis, ut notat Suar.ex D.Bonav. Secus vero eſt de labore extrinſeco, ſeu non eſſentialiter requiſito, puta celebrare tali hora, in loco valde diſtanti, cum cantu in Miſſa, divinis Officiis, &c.,quia hæc per accidens connectuntur cum re ſacra; ideoque pro his poteſt aliquid etiam ultra ſtipendium accipi: Suar., Fil., Leſſ., Val., & alii: ſic etiam multi excuſant, qui aliquid accipit in pretium labo-

Digitized by Google

boris in paranda concione, memoriæ mandanda, aut in concionando magna aliqua contentione; quamvis Suar., & Fill. id non admittant, cum sit labor necessarius ad exercendum ministerium spirituale, prout humano modo exerceri solet: similiter Nav., Less., Bon., & alii contra Suar., Pal., & alios apud Croix n. 162. excusant, qui accipit pretium pro obligatione exercendi aliquid spirituale, quia hæc obligatio distinguitur a functione sacra, sicut obligatio mutuandi distinguitur a mutuo: similiter Suar., & alii excusant, qui accipiunt pretium, ut sint testes matrimonii, non vero Parochum; quia assistentia testium spectat præcise ad rationem contractus civilis (quo sensu etiam in matrimonio paciscuntur de dote, &c.) neque est actus alicujus officii spiritualis, sicut est assistentia Parochi, ut Parochus est, qui proinde per modum tantum stipendii accipere aliquid potest.

Quod dictum de est actione spirituali, dic pariter de omissione talis actionis: nam simonia est, si accipias pretium pro omissione alicujus actionis procedente a potestate spirituali, puta pro omissione absolutionis audita confessione, quia non solum absolvere, sed etiam ligatum detinere est exercitium jurisdictionis spiritualis, ideoque pretio invendibile: secus vero, si pretium accipias, ut non audias confessionem alicujus, quia talis omissio est tantum pravus non usus voluntatis; ideoque pretium, etsi sit turpe lucrum, & aliquando etiam injustum, non est tamen simoniacum: Suar., Croix a n. 175. contra Ugolin., si tamen omittas audire missam pro pretio, quod æstimas æquivalere bono spirituali, quod haberes audita missa, est simonia, ut patet: ita Doctores cit.

Respondeo secundo, Non esse simoniam, si in administratione Sacramentorum, aliisque functionibus spiritualibus accipias aliquid, non in pretium earum, sed in eleemosynam, aut in stipendium pro substentatione, quia substentatio cuivis Operario jure naturæ est debita, juxta illud Matt. 10. *Dignus est operarius cibo suo*: Quod verum est, etiamsi Sacerdos aliunde habeat, quo substentetur, quia id est per accidens, nec derogat juri naturæ: Suar., & alii communiter contra Azor.; neque hinc fit, ut non det gratis Sacrificium, ut ibidem vult Christus, *Gratis accepistis*,

gra-

Digitized by Google

gratis date; nam, ut bene ait Lugo, etiam pictor dicitur gratis pingere, si accipiat solam substentationem, & sumptus necessarios ad colores. Hinc potest etiam de tali stipendio pacisci, sicut pacisci potest de candelis, vino, aliisque necessario ad Sacrificium. Neque obest, quod cap. ult. *de Pactis*, & cap. *Tua nos*, *de Sim.* generaliter prohibeatur omne pactum in Spiritualibus; nam non debet intelligi de substentatione, utpote debita jure naturæ: Suar., Bon., & alii contra Cajet., & alios. Excipiendæ hic sunt aliquæ functiones spirituales, in quibus nihil omnino accipi potest, ex prohibitione speciali Ecclesiæ, puta in ordinatione, in examine ad beneficia, & in visitatione, in quibus adhuc Pal. ait, non prohiberi stipendium, aut gratuitam donationem, ut simoniacam.

Quæres tertio, An in simonia detur parvitas materiæ? Respondeo negative, Loquendo de simonia juris naturalis (nam de simonia juris ecclesiastici probabile est oppositum: v. Croix l.4.n.632.) Ratio est, quia talis parvitas non potest provenire ex vilitate ipsius rei spiritualis, quæ, quantumcumque videatur exigua, est ex natura sua ordinis supremi: ergo est gravis irreverentia eam pretio æstimare, cum hoc sit infinities vilius: neque provenire potest ex parvitate pretii, quia, quo minus est pretium, eo minor fit æstimatio rei spiritualis: DD. communiter cum Croix n.198., Suar. contra Reg., Mer., & alios apud Dian. p.5.t.5. r.2. putantes, dari posse hic parvitatem, ut in modico furto rei Sacræ. An autem sit irreverentia ludere pro re spirituali, quæ utrinque spondeatur, vel pro re spirituali, si spondeat alter rem temporalem, dictum est d.3. q.5.c.1.

§. II.

Quotuplex sit Simonia?

SIMONIA est triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis, ad quas etiam reducitur Simonia Confidentialis; atque hæ omnes esse possunt, vel juris naturalis, vel tantum juris Ecclesiastici.

I. Simonia mentalis apud Canonist., & Theol. non solum est propositum mere internum eam committendi, ut propositum furandi dicitur furtum mentale; sed vere & pro-

Digitized by Google

& proprie eſt propoſitum internum prodiens in actum externum, ſine ullo tamen pacto externo explicito, vel implicito: ſic, ſi tradens ſtipendium pro miſſa tradis illud animo emendi Sacrificium, ſimoniam mentalem committis: ſimiliter, ſi des aliquid, vel præſtes obſequium temporale, intendens per id ſtricte obligare alterum ad dandum determinate ſpirituale, quantumvis ſine ullo pacto prævio ne implicito quidem, ſimoniam mentalem committis: & ſimiliter ille ſimoniam mentalem committit, ſi dans illud ſpirituale putet dare ex obligatione juſtitiæ ratione illius obſequii, quamvis a te omnino liberaliter præſtiti.

Contra vero non committis ſimoniam mentalem, ſi abſque ullo pacto prævio, des aliquid, aut præſtes obſequium temporale animo liberali, & gratuito, ea tamen intentione, & ſpe, ut alter moveatur ex ſola gratitudine ad dandum ſpirituale, quia ſic non intendis in illo ſtrictam obligationem, ſed tantum expectas naturalem gratitudinem, ſeu obligationem antidoralem, ad quam quiſque tenetur poſt acceptum obſequium, remunerando quovis modo ipſi placuerit, juxta dicta in de mutuo: neque obſtat Prop. 45. damnata ab Inn. XI. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut contra;* nam hæc merito damnatur; loquitur enim, quando temporale datur ut compenſatio, hoc eſt adæquatio æſtimabilitatis rei ſpiritualis, in quo certe eſt ſimonia; at tu in caſu noſtro non intendis movere alterum ad dandum ſpirituale pro compenſatione obſequii, ſed ad dandum, ſi ei placuerit, ut aptum extinguere obligationem antidoralem gratitudinis, cuialiter etiam ſatisfacere poterit: Croix n. 74., ubi addit Rain., te poſſe etiam monere illum de gratitudine; ſed ſapienter monet Suar., id cavendum ob periculum, & ſpeciem pactionis.

Denique nec committis ſimoniam mentalem, ſi abſque ullo pacto des temporale habens pro fine ſecundario, & extrinſeco aliquid ſpirituale, vel contra: v. g. ſi gratis inſervias Epiſcopo ad obtinendum ex mera ejus gratitudine beneficium, principaliter quidem ob tuam idoneitatem, ſecundario vero, & occaſionaliter ob talem famulatum: ſi exponas reliquias principaliter quidem ad de-

vo-

Digitized by Google

votionem populi, ſecundario vero, & occaſionaliter ad obtinendam eleemoſynam largiorem: ſi ſacrifices, eas ad Chorum, &c. principaliter quidem ad dandum cultum Deo, ſecundario vero ob ſtipendium, diſtributiones, &c., quia non eſt peccatum ordinare rem ſpiritualem etiam ad finem temporalem honeſtum, dummodo in hoc non ſiſtatur, ut in motivo principali, ſeu fine poſitive ultimo: Sanch., Suar., Con., Croix n. 62. Quod verum eſt, etiamſi aliter non eſſes hodie v. g. celebraturus, & oblato ſtipendio celebres, dummodo finis celebrationis principalis ſit cultus Dei: ſic ex metu naufragii elicis hic & nunc contritionem, quamvis aliter non eliceres; & tamen motivum intrinſecum contritionis eſt amor Dei, & metus naufragii eſt tantum motivum extrinſecum, &, ut dicitur, impulſivum. Hinc dominus poteſt allicere ſervum muneribus, ut ſuſcipiat baptiſmum, pater filium, ut ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ, &c., ſolum enim vult, motivum intrinſecum in iis eſſe ſalutem æternam, & munus illud motivum extrinſecum, & impulſivum.

Secus vero dicendum, ſi des temporale, quod ſe habeat, ut motivum intrinſecum, finale, & principale ponendi ſpirituale, aut contra; ut conſtat ex cit. prop. 45. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale*; intelligitur enim de motivo principali, ut videtur explicare idem Innoc. XI. damnando propoſ. 46. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imo, etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis*: ſic eſſet, qui ſerviret Epiſcopo ad obtinendum beneficium propter famulatum principaliter, & tamquam propter motivum intrinſecum, quamvis non propter pretium: quod fere ſemper contingit quando temporale, quod datur, non eſt levis momenti; ſic enim ſolet animum pervertere: non vero, ſi ſit levis momenti, ex cap. *Etſi, de Simon.*

II. Simonia conventionalis eſt, quæ mentali conventionem externam addit; ut ſi cum altero conventionem, ſeu pactum expreſſum, vel tacitum ineas de dando temporali pro ſpirituali, aut contra, quin tamen adhuc ſequu-

ta

Digitized by Google

ta sit traditio; nam, si hæc sequatur, simonia erit realis, juxta dicenda n. 3. Habetur autem pactum tacitum, seu implicitum ex circumstantiis: ut si acceptet tuam promissionem ille, quem scis, non solere gratis dare spiritualia: vel si ante dationem muneris promissi excites illum ad dandum spirituale, quod ipse annuat dare: vel si dones temporale magni momenti, & non adsit alius titulus, ob quem dones præter Beneficium Ecclesiasticum, quod desideras, & ille tale munus acceptet, & similia. Hinc, cum ad simoniam conventionalem requiratur etiam alterius promissio, multi censent, illum hoc ipso, quod acceptat tuam promissionem, tacite repromittere; quamvis alii probabilius negent, quia ex eo, quod quis acceptet tuam promissionem oneroſam, non sequitur, quod ipse velit se obligare, sed solum, quod velit, te manere obligatum, ut ait Sanch. *de Sponsal.* l. 1. d. 5. Cæterum, si fiat utrinque promissio externa dandi v.g. beneficium pro pecunia, aut contra, sed sine voluntate te obligandi, & observandi pactum post acceptam pecuniam, peccas quidem graviter, utpote inducens alterum ad malum, & ponens opus externum simoniacum, sed non committitur simonia conventionalis, quia non habetur vera conventio: Suar., Less., n. 11. contra Nav. apud Croix n. 200.

Si promittas temporale sub conditione, *Si alter ponat spirituale*: tunc, si spirituale cedit etiam in utilitatem ipsiusmet tantum promissarii, non est simonia: sic licite promittere potes servo libertatem, si suscipiat Baptismum: pauperi eleemosynam, si suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ: reo vitam, si ingrediatur Religionem, quia ex una parte nullum imponitur ei onus ex tua promissione conditionata, & ex altera parte ille ponit spirituale cedens in suam tantum utilitatem: Laym., Sanch. l. 1. *Matr.* d. 39. At si illud cederet in utilitatem tuam, aut tertiæ personæ, quamvis aliqui cum Pal. p. 4. speculative loquendo excusent a simonia, tamen in praxi absolute dicenda est simonia, ob magnam suspicionem intentionis obligandi; &, si ille repromittat, omnes affirmant, cum sit tunc conventio utrinque oneroſa.

III. Simonia realis est, quando pactio utrinque realiter completur traditione rei temporalis, & spiritualis: & cen-

Digitized by Google

censetur etiam realis completa, si data re spirituali detur tantum pars etiam minima pretii temporalis, aut contra, si dato pretio temporali detur quæcumque pars rei spiritualis promissæ: v. g. si pactum fuerit de dandis Ordinibus Minoribus, & unus tantum Ordo sit collatus; vel de duobus Beneficiis pro 20. aureis, & unum tantum Beneficium, & unus nummus tradatur: Sanch. l. 2. *Consil.* c. 3. d. 106. Contra vero, si facta sit traditio solius pretii temporalis, non autem rei spiritualis, nondum reputatur commissa simonia realis, quia nondum est complete talis: Doctores communiter. Si autem facta sit traditio solius rei spiritualis, nondum autem pretii temporalis, Pal. p. 22. n. 5. affirmat, esse simoniam complete realem, ejusque pœnas incurri; sed alii communius cum Less. n. 149., Suar. c. 56. negant, quia significatum vocis pœnalis, cum sit odiosum, debet esse stricte completum, nisi aliud expresse statuatur in jure, & non est stricte completa traditio, nisi sit etiam tradita res temporalis; ideoque infert Fill., quod recipiens simoniace Ordines, vel aliud spirituale, si postea nolit dare temporale promissum, non incurrat censuram, nec alias pœnas latas in simoniacos reales.

De simonia confidentiæ, de simonia juris Ecclesiastici dicam cap. 3. Demum de pœnis simoniacorum dicam distinctius cap. 4.

CAPUT II.

De Beneficiis Ecclesiasticis?

VIDENDUM: I. Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum? II. Quando acquiratur, vel deperdatur?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

BENEFICIUM Ecclesiasticum est *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter Officium Spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum*, ex cap. *Relatum, de Præbendis*.

Dicitur *Jus perpetuum*, ob duplicem scilicet perpetuitatem beneficio necessariam, & ut perpetuetur in persona pro-

Digitized by Google

proviſa, itaut ſine cauſa privari non poſſit, & ut perpetuetur in ſeipſo, itaut ea mortua exigat, ut alteri conferatur; ideoque dicitur beneficium tunc vacare, non extingui. Hinc beneficia manualia, non ſunt vere beneficia, quia non perpetuantur in perſona, ſed ad nutum auferri poſſunt etiam ſine cauſa, modo non fiat ex odio, & calumnia, vel cum magno dedecore amoti: Sanch., Caſtr., & alii contra Leſs. Tales ſunt Vicariæ temporales, Cappellaniæ manuales ſic fundatæ abſque auctoritate Epiſcopi; ſi autem auctoritate Epiſcopi ſint creatæ, & dotatæ, dicuntur Vicariæ perpetuæ, & Cappellaniæ collativæ, & vere Beneficia: Garz., Luc., & alii apud Croix l. 4. n. 235. Item penſio (quæ eſt jus percipiendi fructus ex alieno beneficio) revera non eſt beneficium, quia, ſi eſt impoſita ab Epiſcopo, ordinarie exigit extingui morte beneficiati: ſi eſt impoſita a Papa, etſi perpetuetur in penſionario, tamen eo mortuo exigit extingui, adeoque nunquam perpetuatur in ſeipſa: idque verum eſt non ſolum de penſione laicali, quæ ſcilicet datur tantum laico propter miniſterium temporale, v.g. cantori, ædituo, patrono, & defenſori Eccleſiæ, ſed etiam de penſione clericali, ſive quæ fundatur in ſtatu ſimul, & officio ſpirituali, quæ proinde dicitur ſpiritualis, ut quæ datur Concionatori, Coadiutori Epiſcopi, Parocho, &c.; ſive quæ fundatur in ſtatu tantum ſpirituali, quæ proinde dicitur media, ut quæ datur Clerico, ut pauperi, Parocho ſeni ad ſubſtentationem, cauſa reſignationis, & litis componendæ; hinc nemo poteſt ſuper penſione promoveri ad Sacros Ordines, niſi erigatur in titulum, inſtar patrimonii Secularis: Croix n. 1119.

Dicitur *Percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ*; quare patrimonium Clerici non eſt beneficium, cum non ſit ex bonis Eccleſiæ. Proventus autem ex bonis Eccleſiæ in quatuor partes dividi cœperunt in Concil. Rom. 11., quarum Prima erat pro menſa Epiſcopi: Secunda pro fabrica Eccleſiæ: Tertia pro pauperibus: Quarta pro menſa capitulari, ex qua ultima portione, tempore Sylv. Pap., erecta ſunt beneficia; quia vero ſucceſſu temporis portio pauperibus debita confuſa eſt cum portione beneficiatorum, ideo quæritur hic, an beneficiarii ſint Domini fructuum beneficii, an vero tantum adminiſtratores, & uſuarii? de quo agam in de Reſtit. loco ſupra cit. Di-

Digitized by Google

Dicitur *Propter Officium Spirituale*; duo enim oportet in beneficio considerare: Primum est jus officii, seu potestas, & obligatio exercendi functionem spiritualem, v.g. recitandi horas, celebrandi, ministrandi Sacramenta, &c., & est omnino spirituale, nec dicitur beneficium, nisi tantum fundamentaliter, eo quod sit radix, & causa beneficii: Secundum est jus percipiendi certos redditus, seu fructus ex bonis Ecclesiæ; & hoc est proprie Beneficium, quod præsertim in Canonicatibus dici solet Præbenda. Hinc Superioratus Regularium, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & alia eorum officia, ac dignitates non sunt in rigore beneficia, quia non habent jus perpetuum percipiendi fructus propter officium,&c.,ideoque est quæstio, an pœnæ latæ in obtinentes simoniace beneficia incurrantur etiam ab obtinentibus simoniace officia Regularium? cujus solutionem vide ap. Pal. hic p.25.n.1.

Dicitur demum *Auctoritate Ecclesiæ constitutum*; quia nullum esse potest Beneficium Ecclesiasticum, nisi auctoritate Papæ, vel Episcopi sit erectum; quare nec Cappellaniæ laicales sunt beneficia. Quid autem possit Pontifex, quid Episcopus, aut habens jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio circa erectionem, mutationem, unionem,divisionem,dismembrationem,& suppressionem beneficiorum, v. Croix l.4. a n.271. Illud hic notandum, Commendas Equitum Jerosolymitarum, etsi Ecclesiasticas, tamen non esse Beneficia; quia, licet dentur solis Professis, tamen dantur titulo laico, & pro temporali militiæ ministerio; professio vero est solum conditio, sine qua non; unde nec sunt materia simoniæ: Sanch., Lezan., & alii communiter cum Dian. p.2. t.15. r.54.

Quæres, Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

Respondeo, Dividi: Primo, In simplex, & duplex. Simplex est, quod solum est institutum ad preces Deo persolvendas, & ad Altaris servitium absque ulla administratione,aut eminentia singulari. Tale est,quod obligat tantum ad Horas Canonicas; item simplex Canonicatus, etiam Ecclesiæ Cathedralis, ex Nav., & Less., item Cappellaniæ collativæ, auctoritate Episcopi, aut Papæ erectæ: item Præstimonia, quæ sunt beneficia instituita pro Clericis, ut studiis vacent, quibus Pius V. addidit pensum re-

ci-

Digitized by Google

citandi Horas Canonicas, quando dantur in titulum, & vacant morte poſſidentis: v. Scort. *Theor.* 321.

Duplex beneficium dicitur, quod habet præterea præeminentiam, juriſdictionem, & adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Si ſit cum præeminentia, & juriſdictione in foro externo, dicitur Dignitas, ut Papatus, Cardinalatus, Epiſcopatus, quæ dicuntur Beneficia majora, & quaſi culmina dignitatum: item Præpoſitura, Decanatus, & Abbatiæ, quæ dicuntur Beneficia media. Si ſit cum præeminentia, & juriſdictione in foro tantum interno, dicitur Curatum, quod etiam dicitur Beneficium minus, ut Parochi. Si ſit cum præeminentia, ſed ſine juriſdictione, dicitur Perſonatus, ut Cantoriæ, & ſimiles, quæ honorificum locum habent in Eccleſia, Proceſſionibus, &c. Si ſine præeminentia, & juriſdictione, ſed cum adminiſtratione aliqua, dicitur Officium, ut eſt Commenda Spiritualis, in qua alicui commendatur adminiſtratio aliqua ſpiritualis, & aliter vocatur Vicaria perpetua: item officium Theſaurarii Eccleſiæ, Sacriſtæ, Primicerii, qui Diaconis præeſt, Archipresbyteri, qui Presbyterorum curam habet, eorum confeſſiones audiendo, Cuſtodis, &c. De quibus omnibus ſtandum eſt conſuetudini locorum. In dubio autem, an beneficium ſit ſimplex, an curatum, cenſeri debet ſimplex, quia tot ſunt qualitates requiſitæ ad curatum, ut merito præſumi non debeant, niſi probentur: Gutt., Dian., Croix n. 228.

Dividitur ſecundo, In Beneficium Seculare, & Regulare. Seculare eſt, quod pro ſecularibus tantum eſt inſtitutum, ideoque vacat per profeſſionem Religionis, niſi Papa diſpenſet; non autem vacat in Novitiatu, neque in Scholaſticis Societatis Jeſu ante profeſſionem. Beneficium Regulare eſt, quod pro Regularibus tantum eſt inſtitutum, ideoque nec poteſt conferri ſeculari, niſi Papa diſpenſet, ex cap. *Cum de beneficio, de præb. in 6.* Vide tamen Croix n. 225., ubi etiam not. ex Lauren., Beneficium Regulare unius Ordinis, vel Monaſterii non poſſe conferri Regulari diverſi ordinis, aut monaſterii. Cæterum in Eccleſia Seculari poſſunt eſſe Beneficia Regularia, & in Regulari Secularia; imo in eadem Eccleſia poſſunt eſſe duo Capitula, unum ſeculare, alterum regulare:

Digitized by Google

item collator potest esse Regularis,& Beneficium Seculare,itaut non possit conferri regulari:in dubio autem præsumitur beneficium esse seculare, nisi aliud probetur vel ex sui prima institutione, vel per possessionem pacificam 40. ann., quo tempore completur legitima præscriptio adversus Ecclesiam.

Denique aliud dicitur Beneficium Monoculare, quod scilicet est unicum in Ecclesia, vel unice potest quis conferre. Aliud beneficium titulare, quod scilicet datur in titulum Ordinis.

§. II.

Quomodo acquiratur, vel amittatnr Beneficium?

SUPPONO, aliud esse jus in re, seu in beneficio; aliud jus ad rem, seu ad Beneficium: per primum acquiritur actualis potestas utendi, & administrandi beneficium tanquam proprium; per secundum acquiritur tantum jus, & potentia ad illud habendum. His suppositis

I. Acquiritur beneficium per *Collationem*, quæ est concessio Beneficii non patronati facta ex solo jure, & libertate concedentis, unde dicitur Beneficium collativum, & liberum; & in qualibet Dioecesi Episcopus Ordinarius est Collator talium Beneficiorum, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat; supremus vero collator omnium beneficiorum non patronatorum est Papa. In Concordatis autem inter Sedem Apostolicam, & Fridericum Imperatorem, per Constit. Nicol.V. *Ad Sacra*, alterni menses collationi Papæ reservantur, scilicet Januarius, Martius, &c., reliqui vero Ordinariis collatoribus relinquuntur; imo, si per tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii nulla dispositio vel gratia a Papa appareat, Ordinarius conferre potest, & similiter mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat: Less. c.34. Denique, si in ultima nocte mensis Episcopalis Beneficium cœperit vacare, & dubitetur utrum ante, an post mediam noctem, præsumptio juris est pro Ordinario, nisi facta sit etiam provisio a Papa: Gonzal., Barb., & alii.

Collatio Beneficii simplicis ordinarie non prærequirit examen, si notum sit, petentem esse sufficienter literatum:

Digitized by Google

tum: Gonzal., Felin., Leſſ., & alii; putat tamen Pal. p. 11., Epiſcopum debere conferre digniori, quia aliter violaret juſtitiam diſtributivam in re gravi. Collatio Beneficii Curati prærequirit certe examen, & conferri debet digniori, ex Trid. *ſeſſ.* 24. c. 16. Peccat ergo graviter Epiſcopus conferens minus digno, etſi non teneatur ad reſtitutionem, digniori omiſſo, niſi præceſſerit concurſus, juxta alibi dicenda. Inter plures vero æque dignos poteſt conferre cui libuerit, & quidem omnino gratis, ut conſtat ex nuper cit. prop. 22., & 26. damnatis ab Alex. VII.

Collatio Beneficii non ſolum debet fieri gratis, ſed etiam libere, itaut ſit nulla, ſi extorta ſit per vim, vel metum, uti etiam, ſi ſit ſubreptitia, & per fraudem obtenta, Garz., Croix n. 384. Debet etiam eſſe certa ita, ut, ſi non ſit determinata ad unam perſonam, ſit invalida: Lug., Laym., & alii communiter. Debet etiam eſſe abſoluta; unde non valet: *Confero Parochiam, ſi intra annum fias Sacerdos*; nam ſic ſuſpenditur collatio; quare debet abſolute conferri cum obligatione, ut intra annum fias Sacerdos: Garz., Croix n. 380., Si autem fundatio Beneficii dicat, ut collatio fiat cum conſenſu, vel ex conſilio alterius, ſine hoc facta erit nulla: v. Croix n. 386. Debet demum Collatio fieri perſonæ a collatore diſtinctæ; unde Epiſcopus invalide ſibi conferret Beneficium, etiamſi ſibi conferret per ſuum Vicarium generalem, aut Provicarium; quamvis hic poſſet Vicario conferre: Croix n. 377.

Collatio beneficii non poteſt fieri ab Epiſcopo, antequam vacet, imo nec promitti, itaut nulla ſit talis promiſſio etiam jurata: Doctores communiter ex cap. *Tuæ*, *de Præb.*, ne ſcilicet præbeatur occaſio captandi mortem, vel per vias illicitas aperiendi ſibi aditum ad beneficia vacatura. Poſtquam autem vacaverit, conferri poteſt ab Epiſcopo intra ſex menſes a die vacationis cognitæ, aut juris ad conferendum acquiſiti, ex cap. *Nulla*, *de Conceſ. Præb.*, &, ſi intervenerit impedimentum, indulgetur iterum ſemeſtre integrum, uti etiam a tempore, quo providendus moritur, aut collationem non acceptaverit: Croix n. 379.

Denique, ſi Epiſcopus conferat beneficium abſenti, non poteſt, antequam ille acceptet, variare collationem, ex cap. *Si tibi abſenti*, *de Præb. in 6.*, quia non decet, Epiſcopum

Digitized by Google

pum variare. Hinc talis collatio nondum acceptata dat jus ad rem: acceptata vero, vel per se, vel per procuratorem, dat jus in re, etiamsi nondum data sit ei *Possessio*. Requiritur autem *Possessio*, ut tale jus sit efficax, uti etiam aliquando *Investitura*, quæ fieri solet in absentia per annulum, vel impositionem bireti; & loco investituræ quandoque est *Installatio*, seu *Inthronizatio*, assignando ei proprium stallum.

II. Acquiritur beneficium patronatum per *Præsentationem*, qua patronus beneficii exhibet, seu nominat certam personam ad illud. Hæc præsentatio fit Episcopo, seu ei, ad quem spectat instituere, qui proinde tenetur præsentatum instituere, hoc est concedere ei tale beneficium; præsentatus ergo ante institutionem habet jus ad rem; post institutionem habet jus in re, ad quam inde sequitur possessio, ut supra. Si autem patronus, antequam beneficium vacet, promittat promissione jurata Cajo, se illum præsentaturum, quando vacabit, talis promissio est irrita, & graviter peccaminosa, cum graviter prohibeatur ab Ecclesia, ne detur ansa captandi mortem, &c. Croix n. 302.

Dicitur autem patronus beneficii is, cui ab Ecclesia concessa est potestas præsentandi, eo quod Ecclesiam, Beneficium, aut Cappellam fundaverit, ædificaverit, aut dotaverit cum consensu Diœcesani ex Trid. *sess.* 14. c. 11., & talis potestas dicitur juspatronatus, quod competere potest etiam feminæ, infanti, pupillo, illegitimo, necnon etiam irregulari, non autem infideli, hæretico, aut excommunicato vitando: Sanch., Garz., & alii communiter. Hoc jus est etiam triplex, laicum, ecclesiasticum, & mixtum: laicum est, non quod laicis competit, sed quod bonis patrimonialibus est acquisitum: ecclesiasticum est, non quod ecclesiasticis competit, sed quod bonis ecclesiasticis est comparatum: ut, si quis pecunia ex bonis Ecclesiæ percepta novam Ecclesiam fundet, ædificet, aut dotet: mixtum est, quod ex patronis laicis simul, & Ecclesiasticis coalescit. Potest autem patronus ecclesiasticus a die cognitæ vacationis beneficii intra sex menses præsentare (uti etiam patronus mixtus) aliter pro illa vice amittit jus præsentandi; patrono vero laico id solum intra qua-

Digitized by Google

quatuor menſes permittitur: rurſus, ſi patronus eccleſiaſticus præſentet indignum, probabiliter ea vice amittit jus nominandi alium; ſecus vero patronus laicus: tenetur autem quivis patronus ſub gravi præſentare dignum, imo & digniorem abſolute ad beneficium curatum, ex Trid. *ſeſſ.* 24. c. 16. Ad beneficium vero ſimplex variant Doctores: uterque etiam debet præſentare intra 20. dies ad beneficium curatum ex Bul. Pii V., & uterque nequit præſentare, ſi ſit hæreticus, aut excommunicatus vitandus: de tolerato variant Doctores apud Sanch. l. 3. *Matr.* d. 22. n. 31. Denique patronus eccleſiaſticus, poſtquam aliquem præſentavit, non poteſt variare præſentando alium; patronus vero laicus poteſt deinde alium præſentare, non quidem excludendo primum, ſed relinquendo arbitrio Epiſcopi, utrum illorum velit inſtituere: Leſſ., & alii. Illud autem hic notandum, juſpatronatus aliquando eſſe perſonale, eo quod tali perſonæ eſt affixum, & hoc ſine conſenſu Epiſcopi non poteſt per donationem tranſire ad laicum: aliquando eſſe reale, eo quod tali rei ſit affixum, & ratione talis rei poteſt per accidens tranſire ad emptorem: ita tamen, ut non vendatur pluris res illa ob juſpatronatus ei affixum, juxta dicenda cap. 3.

Patronus non poteſt præſentare ſeipſum ad beneficium, ex cap. *Per noſtras, de Jure patr.*; imo nec Procurator, aut Subſtitutus poterunt ſeipſos, aut patronum præſentare, ex cap. *Didicimus*, 24. q. 1.: poterunt tamen, ſi plures ſint patroni, unus præſentare alium, qui, ſi conſentiat, hic conſenſus facit, ut habeat duo vota; item, ſi patronus ſit pauper, & beneficium ſit ſimplex, poteſt ab Ordinario per viam deprecationis illud obtinere: Abb., Luc., Croix n. 326. Denique debet patronus præſentare perſonam non habentem impedimentum canonicum, juxta dicenda.

III. Acquiritur beneficium per *Electionem*, quæ fit ab aliqua Communitate habente jus eligendi per ſuffragia aliquem ad beneficium, quod proinde dicitur electivum. Si ergo perſona electa nullum habeat impedimentum canonicum, tunc abſolute dicitur electio, & dat jus ad rem, cui ordinarie ſuccedere debet confirmatio Superio-

Digitized by Google

rioris, quæ dat jus in re; si vero habeat aliquod impedimentum canonicum, tunc non dicitur electio, sed *Postulatio*, qua scilicet Electores postulant a Superiore, ut dispenset in impedimento; ideoque, antequam admittatur postulatio, possunt Electores variare, & alium eligere. Non potest autem electio, aut postulatio valide fieri, antequam vacet Beneficium; imo illicite fieret, valide tamen, ante sepulturam beneficiati defuncti; quamvis licite tunc fieret præsentatio, & collatio: Croix n. 307. Denique inter electores invalide quis dat sibi suffragium; item excommunicatus vitandus non habet jus suffragii, uti nec interdictus denunciatus, nec suspensus ab Officio: quare si scienter admittatur, electio est nulla: Croix n. 401.

Electio fieri potest Primo per scrutinium secretum, sive per sortes, sive per calculos, aut fabas, sive ad aurem: Secundo, Per compromissum, si scilicet Electores communi consensu aliquibus Clericis idoneis committant, ut eligant, quem judicaverint aptiorem: Tertio, Per communem inspirationem, nemine non consentiente in eandem personam. In electione requiritur majoritas votorum absolute, seu respective ad totum capitulum, itaut, si in capitulo sint 12., debeat valide electus habere plura, quam sex vota, ex cap. *Ecclesia* 48.; non sic autem in præsentatione, in qua, si plures patroni plures nominent, ille prævalet, qui a pluribus respective ad alios nominatur: v. Croix n. 312. Votum autem datum extra Capitulum per literas non valet; si ergo quis ex legitima causa sit absens, potest dare votum per procuratorem, ex cap. *Si quis justo, de Elect.*, excepto Capitulo Regularium, ex Trid. *sess.* 25. c. 8. Cæterum pro præsentibus habentur etiam legitime impediti in vicinia loci electionis, & ad eos mitti debent scrutatores pro audiendo voto: Croix a n. 390., ubi plura in hanc rem habebis.

Quæres primo, Quis sit inhabilis ad acquirendum Beneficium?

Respondeo, Esse inhabilem laicum, & Religiosum (excepto Professo militari) Clericum uxoratum, Excommunicatum excommunicatione majori, etsi toleratum, & ir-

Digitized by Google

irregularem, ſive ex delicto, ſive ex defectu: idemque eſt de inhabili ad acquirendam penſionem clericalem, juxta fuſe dicenda in de Cenſuris. Noto tamen, quod, quamvis præſentatio, aut electio alicujus non actu Clerici ſit ipſo jure nulla, nec validetur per ſupervenientem Clericatum, (quod verum eſt etiam de tonſurato ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis) tamen poſſet laicus præſentari in tempus habile, dicendo ſic: *Præſento hunc, quamprimum fuerit tonſuratus*: vel, *Præſento, & peto ei dari tonſuram, dummodo hanc recipiat intra tempus præſentatori conceſſum*: Croix n. 742., ubi etiam ex aliis ait, quod, ſi quis præſentetur per literas, ſatis eſt, eſſe Clericum, quando præſentatio exhibetur: item Rotam aliquando reſolviſſe, quod ſufficiat, ſi præſentandus fuerit proxime clericandus, quia tunc non eſt penitus indignus, cum ante inſtitutionem ſit tonſuratus; item, fundatorem Beneficii poſſe diſponere, ut infans uſque ad Clericatum habeat illud titulo ſeculari; item Papam poſſe concedere Beneficium laicis, & feminis. Quid autem poſſit Epiſcopus diſpenſare ſuper irregulares ex defectu ætatis, & illegitimitatis, dicetur in Tract. cit. de Cenſur.

Quæres ſecundo, Quomodo amittatur, ſeu vacet Beneficium?

Reſpondeo, Amitti primo, Per mortem Beneficiati naturalem: Secundo, Per mortem civilem, ſeu profeſſionem Religioſam, per quam ipſo jure vacant omnia Beneficia in ſæculo obtenta, cap. *Beneficium de Reg. in 6.*; item jus ad Beneficium, & penſiones eccleſiaſticæ: Lug., & alii: idemque eſt de Coadjutoribus formatis in Societate Jeſu: Tertio, Per militiam ſecularem, ſi tamen exercuerit militaria; ſecus probabile eſt non vacare ipſo jure: Azor., & alii; addit etiam Barb., Clericum in Sacris venire tantum privandum: Quarto, Per matrimonium, etiamſi tantum ratum, ex cap. 1., & 3. *de Cler. conjug.*; per ſponſalia autem venire tantum privandum, ait Leſſ. v. Croix n. 931. Quinto, Per commiſſionem criminis, cui amiſſio Beneficii ipſo jure eſt adnexa, ut eſt hæreſis, ſchiſma, ſodomia ſæpius exercita: v. Croix a n. 940.; ubi habentur alia etiam delicta, ob quæ amittitur Beneficium peſt ſententiam Judicis: Sexto, Per liberam reſi-

Digitized by Google

gnationem, hoc est spontaneam proprii Beneficii renunciationem factam coram legitimo superiore eam acceptante. Hæc, si fiat coram Episcopo, aut Prælato Papa inferiore, debet esse clara, & absoluta; quamvis probabiliter fieri possit modo non obligatorio, sed tantum deprecatorio in favorem tertii, juxta dicenda c. 3. Septimo demum, Ob novum Beneficium incompatibile simpliciter cum priore. Porro de hoc

Quæres tertio, Quæ sint beneficia incompatibilia, ita ut nequeat quis plura eorum simul habere?

Respondeo, Esse talia tripliciter: Primo, Ex munere: Secundo, Ex Jure: Tertio, Ex Persona: Pal. hic d. 6. p. 2. §. 6.

I. Ex munere, seu officio sunt incompatibilia, quæ officia habent incompatibilia simul, ut duo beneficia curata, vel obligantia ad residentias diversas, vel quid simile. Qua in re pro certo tenendum, contra Nav., Less., Genuens., &c., vacare ipso jure, quodcumque Beneficium etiam simplex expostulans præcisam residentiam, per obtentionem pacificam secundi incompatibilis, ut *ex plurib. decisionib. Rotæ, & S. C. declarationibus* testatur Gonz. apud Pal. ibid., quia Trid. *sess. 7. c. 4. de Refor.* expresse decernit, *Plura beneficia curata, aut alias incompatibilia retineri non posse*. Hinc, si utrumque retinere præsumpseris, privaris utroque; quia Trid. absque distinctione primi, vel secundi dicit, te esse Beneficiis privatum ipso jure: Pal. ibid.

II. Ex jure sunt, quæ licet cæteroqui compatibilia ex munere, jus tamen vult incompatibilia: ut sunt Primo, duo Beneficia simplicia uniformia in eadem Ecclesia, seu sub eodem tecto, ut loquitur cap. *Literas, de Conces. Præb., & Clem. fin. eodem tit.* talia sunt sita in eadem Ecclesia, Cappella, seu Cœmeterio illi contiguo, & habent idem omnino ministerium, & exercitium, & eandem Congregationem constituunt: non sic autem, quæ diversa munera obeunt (v. g. si una Cappellania instituta est cum obligatione dicendi singulis mensibus 14. missas, alia cum obligatione dicendi duas, aut aliud onus subeat) nam sunt difformia. Itaque uniformia sub eodem tecto utraque vacant ipso jure, si ea simul retinere præsumpseris: Pal. ibid. Secundo, Ex Jure compati etiam nequeunt

quæ-

Digitized by Google

quævis alia Beneficia cum Episcopatu (non quidem mere titulari, sed frugifero) vel cum Abbatia habente jurisdictionem quasi Episcopalem, itaut omnia antecedentia ipso jure vacent, si promovearis ad illum, post ejus pacificam possessionem, ex Trid. *sess.* 7. c. 9., & cap. *Licet Episcopus, de Præb. in 6.* Quid autem in hoc possit Papa, præsertim de Beneficiis conferendis post adeptionem Episcopatus, v. Croix hic n. 996.

III. Ex Persona incompatibilia sunt, si alterum eorum *Sufficiat ad ejus vitam honeste substentandam*, ex Trid. *sess.* 24. c. 17. *de Reform.*, spectata scilicet Ejus personæ, & Beneficii ipsius qualitate prudentis arbitrio designandum; Beneficiato enim simplici minus designari debet, quam Canonico, & Canonico minus, quam Dignitati, & Dignitati minus, quam Episcopo: item Beneficiato infimæ sortis minus, quam nobili, illiterato minus, quam docto, & hæc ex usu, & consuetudine timoratorum juxta alibi dicta.

Itaque, si duo Beneficia, quæ habes, non possunt singula, seu unita simul ad talem substentationem sufficere, poteris retinere absque dispensatione, modo non sint incompatibilia munere, vel jure juxta modo dicta; & modo etiam non sint pluſquam duo; nam triplex in una Ecclesia jure ipso prohibetur, & absque Pontificis dispensatione nequis simul habere. Si autem unum eorum sufficiens sit, non potes absque Pontificis dispensatione alterum sufficiens simul retinere, ex Trid. cit. Si ergo Ordinarius de facto conferat Beneficium sufficiens tibi habenti alterum sufficiens, teneris primum resignare; quamvis enim non vacet ipso jure, venit tamen vacandum: Pal. n. 10.: si autem velis retinere utrumque, nulla erit ab Episcopo collatio posterioris, utpote in persona inhabili, & incapaci: Pal. ibid. Si autem tibi habenti sufficiens, alterum non sufficiens conferat, primum sufficiens non vacat ipso jure, venit tamen vacandum: Idem. ib. Contra vero, si tibi habenti insufficiens conferat aliud sufficiens; Idem. ib. contra Garz. probabilius putat, alio obtento non vacare primum, ex Trid. cit.

Nota demum: Beneficium litigiosum vacat ipso facto obtentione pacifica secundi incompatibilis; quia nulla

est

Digitized by Google

est ratio, quare retineas: Pal. ibid. Contra vero non vacat primum pacificum obtentione secundi litigiosi, ne scilicet periculum subeas manendi absque ullo: id. ibid. Si vero obtento titulo unius, ante ejus possessionem, obtineas secundum litigiosum, & durante litigio secundi accipias possessionem primi, probabilius ex Pal. ibid. non vacat ipso jure secundum litigiosum; quia jus solum induxit vacationem primi obtentione pacifica secundi, quod non de sola possessione, sed de possessione, & titulo intelligendum est. Si autem duo incompatibilia ex dispensatione habeas, iisque retentis, aliud litigiosum tibi collatum sit, nulla est hæc collatio sine dispensatione Pontificis, ex cap. *Ordinarii, de Off. ord. in 6.* Denique, si electo tantum, vel tantum præsentato ad Beneficium Parochiale conferatur aliud Beneficium incompatibile, vacat ipso jure primum (modo expeditæ sint jam literæ, & Capitulo ostensæ) quamvis secundi possessionem nondum acceperis: Pal. ibid. ex *Clem. Gratiæ, de Reserv.*

CAPUT III.

Quid de Simonia in materia Beneficiaria?

IN materia Beneficiaria alia est simonia juris divini, ac naturalis, quæ scilicet prohibita est, quia intrinsece mala, ut venditio officii spiritualis, propter quod datur Beneficium, & ex communi sententia contra Canonistas venditio ipsius Beneficii, cum ex prop. 22. damnata ab Alex. VII. contra justitiam sit illud non conferre gratis, adeoque contra Jus naturæ; unde nec potest Pontifex in hoc dispensare, nisi prius illud separet, ut potest, ab officio spirituali, & sic illud extinguere.

Alia est simonia juris mere Ecclesiastici, quæ scilicet mala est, quia prohibita est ab Ecclesia ex motivo Religionis; & hæc maxime versatur circa Beneficia, Ordines, & Professionem Religiosam. Quare simoniacum est jure saltem Ecclesiastico quodcumque pactum, conditio, aut modus appositus in collatione, præsentatione, electione, institutione, investitura, aliave provisione Beneficii: Doctores comuniter ex cap. ult. *de Pactis*, & cap. *Quæsitum*. Imo simonia etiam juris saltem Ecclesiastici est da-

Digitized by Google

dare aliquid Titio, ut intercedat, ſeu roget collatorem ad conferendum tibi, vel amico Beneficium, ex Extrav. *Cum deteſtabile, de Sim.*, quia eo pretio paratur via ad Beneficium; idemque eſt de pecunia data interceſſori apud patronum, electorem, ut præſenteris, eligaris, &c. Si autem des aliquid Titio, ut intercedat apud Cajum, qui poſtea gratis intercedat apud Epiſcopum collatorem Beneficii, aliqui apud Dian. p. 4. t. 4. r. 151. cenſent, non eſſe ſimoniam, quia eo pretio emitur tantum interceſſio mediata, ac remota ad Beneficium; ſed longe probabilius, & omnino tenendum eſt oppoſitum; quia, cum interceſſio illa mediata ſit etiam cauſa moralis obtinendi Beneficium, hoc per eam virtualiter emitur: Croix n. 90., & alii communius. Si autem des aliquid Interceſſori, ſive mediato, ſive immediato, non quidem pro interceſſione, ſed pro labore, lucro ceſſante, damno emergente, diſpendio temporis, &c. in eundo, & redeundo, non eſt ſimonia, quia iſta ſunt quid temporale omnino extrinſecum: Croix n. 91., & alii communiter: idemque eſt, ſi quid des Titio, non ut intercedat, ſed ut aditum aperiat, facilem ingreſſum concedat, vel ut certiorem te faciat de primo Beneficio vacante, aut Epiſcopum de tuis meritis; quamvis hoc ultimum ſit in praxi valde periculoſum: Suar., Azor., Sanch., Bonac., & alii.

Quæres primo, An ſit ſimonia dare aliquid ad redimendam vexationem in materia Beneficiaria?

Reſpondeo, Eſſe ſimoniam juris naturalis, ſi des aliquid ad redimendam vexationem juſtam: puta, ne tibi juſte denegetur beneficium, ne juſte manifeſtentur Epiſcopo tui defectus occulti, &c., ne alius competens concurrat ad Beneficium: Doctores communiter cum D. Th. contra Paſqual. apud Croix lib. 3. part. 1. num. 142. Si autem des ad redimendam vexationem injuſtam, tunc diſtinguendum: ſi, cui das, poteſt tibi obeſſe ſimul, & prodeſſe relate ad beneficium, v. g. das Epiſcopo, qui potens tibi digno conferre Beneficium, velit conferre indigno, eſt ſimonia juris Eccleſiaſtici, ex cap. *Sicut tuus, de Sim.*, quia vexatio in hoc caſu nihil aliud eſt, quam negatio collationis Beneficii, adeoque dans pecuniam, ut ea vexatio tollatur, das, ut tibi conferatur Beneficium.

Di-

Digitized by Google

Dixi, *Relate ad Beneficium*; nam relate ad alia, puta ad baptismum, absolutionem, &c. non est simonia, juxta dicta c. 1.; imo neque relate ad Beneficium, si des aliquid Episcopo, non quatenus tibi prodesse potest, sed quatenus est persona privata volens te infamare, subornare electores, &c., quia sic potest tantum obesse. Itaque non est simonia, si des temporale ad redimendam vexationem injustam ab eo, qui potest tantum obesse etiam relate ad Beneficium, quia sic vere non das pro Beneficio, sed pro amovenda injuria: potes ergo dare temporale Titio, ne subornet Episcopum ad conferendum Beneficium Cajo minus, aut æque, ac tu, digno, vel ne te injuste infamet apud Episcopum, vel ne precibus, aut muneribus pervertat illum in te propensum, vel ne te injuste detineat, ne concurras, vel ut testetur apud illum veritatem: Suar., Less., Bonac., & alii. Noto tamen, quod, si in his casibus des aliquid spirituale, puta des Beneficium, ne quis tibi mortem injuste intentet, ne injuste impediat assequutionem beneficii pinguioris, &c., committis simoniam juris naturalis, quia das spirituale pro temporali, hoc est pro tollenda vexatione injusta: Bonac., & alii communiter. An autem sit simonia, dare aliquid ad redimendam vexationem injustam ab Episcopo, qui post institutionem inique nolit dare possessionem Beneficii, est dubium. Probabiliter negant Suar., Less., & alii, ex cap. *Dilectus*, *de Sim.*, quia beneficii possessio secundum se non est aliquod jus spirituale, quod supponit, sed est factum temporale. Sed probabilius affirmant Sot., Bon., & alii; quia possessio saltem reddit jus in re firmum, & efficax; secus vero dicendum, si Episcopus inique vellet deturbare te a possessione jam obtenta; quia sic nihil spirituale redimitur: DD. communiter contra Hugol.

Quæres secundo, Quando sit Simoniaca permutatio Beneficiorum?

Respondeo, quamvis non sit Simoniaca permutatio rei spiritualis cum spirituali, ut jurispatronatus cum alio, tamen permutationem unius Beneficii cum alio factam propria auctoritate inter ipsos Beneficiarios esse Simoniam juris Ecclesiastici, ex cap. *Majoribus*, *de Præbend.*, possunt tamen se invicem obligare ad permutandum sub conditione, *Si Superior consentiat*: Suar., & alii com-

mu-

Digitized by Google

muniter. Itaque requiritur ad permutationem Beneficii auctoritas Papæ, quando utrumque Beneficium, vel saltem alterutrum eorum est ei reservatum, ut sunt quædam dignitates: item quodvis Beneficium non Patronatum vacans in mense Papali, eo vivente, aut vacans per obitum Beneficiarii in Curia Romana, vel Curialis Papæ ubicumque moriatur, aut vacans in pœnam delicti per sententiam declaratoriam criminis. Si autem Beneficia non sint reservata, sufficit ad permutationem auctoritas Episcopi, ad quem eorum collatio pertinet, ex cap. *Quæsitum, De rer. permut.* quod, si Beneficia sint in diversis Diœcesibus, utriusque Episcopi auctoritas requiritur: Suar., Sanch., & alii communiter: uti etiam requiritur consensus saltem quæsitus, etsi injuste negatus, Patronorum, vel Electorum, si Beneficia sint patronata, vel electiva: Croix l. 4. n. 1091. At permutatio jurium ad Beneficia, v. g. inter duos tantum præsentatos, aut electos requirit omnino auctoritatem Papæ, quia lex solum concedit Episcopo permutationem Beneficiorum jam obtentorum: Sanch., Fel., & alii: idem est de permutatione Beneficii cum pensione, jurepatronatus, aliave re spirituali alterius; & de permutatione beneficiorum compensata fructuum inæqualitate, vel pensione imposita extra casum litis componendæ; & de permutatione cum pacto, ut recipiens pinguius Beneficium solvat expensas, aut Bullas utriusque; quia permutatio apud Episcopum fieri tantum potest absolute; neque is extra casum litis componendæ imponere potest onera, & pensiones in Beneficiis.

Quæres tertio, Quando sit simoniaca resignatio Beneficii?

Respondeo, Esse simoniacam, si fiat coram Episcopo cum pacto, ut sibi solvatur pensio, aut ut illud conferatur tertio; quia resignatio coram Episcopo fieri debet pure, & absolute, & sic Episcopus valide acceptat, & confert alteri quocumque mense: Croix n. 511., licitum tamen est resignanti offerre humiles preces, ut illud conferat tertio, si ei placuerit. Similiter simoniacæ sunt coram Episcopo resignationes reciprocæ, v. g. *Ego resigno Beneficium tuo amico, & tu tuum meo nepoti:* item resignationes triangulares, aut quadriangulares, v. g. *Ego resigno Beneficium*

Digitized by Google

ficium meum Cajo, Cajus suum Titio, & Titius suum mihi, &c.: Bon., Less., & alii communiter. Censet Covar., Episcopum posse acceptare resignationem factam in favorem tertii, rejecta hac clausula, tamquam turpi: atque adeo, cui maluerit, Beneficium illud conferre; sed Sanch. docet, talem resignationem post motum Pii V. *Quanta Ecclesiæ* esse simpliciter irritam, & nullam. At, si resignatio in favorem Tertii, vel cum reservatione pensionis fiat coram Papa, erit licita; quia ejus præsentia, ut loquitur Rebuff., simoniam juris humani purgat, & veluti sol tenebras dispellit. Cæterum, si quis in infirmitate constitutus resignaverit sive in Curia Romana, sive extra illam, & postea intra 20. dies de ipsa infirmitate decesserit, nulla est ejus collatio intra id tempus facta: Doctores communiter ex Reg. Cancell.

Quæ dicta sunt de permutatione, & resignatione, dic pariter de transactione in materia Beneficiaria, qua scilicet ad litem dirimendam fit pactio, ut alter beneficium v. g. dubium pacifice possideat, alteri vero aliquid solvat; si enim id fiat auctoritate propria litigantium, est simonia ex cap. *Cum quidem, de Pactis*; secus vero, si fiat auctoritate Episcopi, ex cap. *Nisi esset, de præbend.*, qui tunc posset etiam pensionem imponere ob bonum pacis, quamvis ob alias causas non possit: Suar. cap. 11.; addens probabiliter, transactionem fieri posse per arbitros electos ab ipsis collitigantibus, quia hoc ipso, quod eliguntur, habent a jure auctoritatem, ex cap. 2. *De arbitris*.

Quæres quarto, Quando committatur simonia confidentialis, seu confidentia beneficiaria?

Respondeo, Ex Bull. Pii V. *Intolerabilis* 6. Aug. 1579. committi, cum quis sine expressa licentia Papæ resignat, præsentat, eligit, confirmat, instituit, aut confert alteri Beneficium cum certa confidentia, ut ab eo postea sibi, vel alii illud renuncietur, aut detur pensio, aut pars fructuum ejusdem Beneficii: & committitur, sive per accessum, cum scilicet hac confidentia præsentas, confers, &c. alteri beneficium, sive per ingressum, cum scilicet eadem confidentia procuras alteri Beneficium, quod nondum pacifice possides; sive per regressum, cum sci-

Digitized by Google

ſcilicet eadem confidentia reſignas alteri Beneficium poſſeſſum. Porro, ſi talis confidentia nullo pacto manifeſtetur alteri, erit ſimonia confidentiæ ſolum mentalis, ſi aliquo pacto manifeſtetur alteri expreſſe, erit conventionalis; ſi demum ultra manifeſtationem ſequuta ſit reſignatio, præſentatio, collatio, &c. Beneficii, erit ſimonia confidentialis realis, etiamſi ex parte alterius nondum ſequuta ſit renunciatio, aut ſolutio pensionum, aut fructuum illius Beneficii; & in hoc differt hæc simonia a reliquis realibus, habetque pœnas ſpeciales, de quibus infra.

Quæres quinto, Quando committatur simonia in iis, quæ non ſunt proprie Beneficia?

Reſpondeo, Cappellanias manuales, commendas Militares, adminiſtrationes hoſpitalium ſine auctoritate Epiſcopi erectorum poſſe pecunia obtineri ſine ulla simonia: Gonzal., Pal., & alii; qui tamen notant, non poſſe ſine injuſtitia vendi, quippe quæ gratis ſunt conferenda: contra vero eſt simonia juris naturalis emere commendam ſpiritualem, coadjutoriam ſpiritualem, adminiſtrationem ſpiritualem Hoſpitalium auctoritate Epiſcopi erectorum. At emere horum adminiſtrationem temporalem, uti etiam officia Oeconomi, Sacriſtæ, Cuſtodis, Theſaurarii, & ſimilium adminiſtrantium res Ecclesiaſticas, eſt simonia juris Ecclesiaſtici, ſi exerceri ſoleant per Clericos; ſecus vero, ſi exerceri ſoleant etiam per laicos: Croix n. 197., ex cap. *Salvator* 1. q. 3.

Item emere officia Regularium eſt simonia juris naturalis; at probabiliter nulla eſt ſimonia, ſi duo Religioſi inter ſe conveniant, ut ſe invicem eligant in Superiores, quia non ſunt proprie beneficia: Sanch. apud Dian., p. 4. t. 4. reſ. 156. contra Peregr., & alios. Item, ſi Epiſcopus vendat ſuam judicaturam relate ad Clericos, eſt ſimonia juris naturalis; at nulla eſt ſimonia, licet ſit injuſtitia, ſi vendat judicaturam temporalem relate ad laicos, in quos habet dominium temporale Epiſcopatui adnexum, quia per accidens adnectitur: Pal., p. 12.; pro diſpenſationibus autem, ſi ſit conſuetudo, Epiſcopus tantum exigere poteſt pecuniam per modum ſubſtentationis, aut mulctæ, ne facile jus commune relaxetur, ex Trid. *ſeſſ.* 25. c. 18. Item ſimonia juris naturalis eſt vendere jus patronatus, cum procedat a poteſtate ſpi-

Digitized by Google

ſpirituali Eccleſiæ: ſi ergo ſit perſonale, ſeu perſonæ affixum, simoniace venditur, aut locatur, & invalide, quamvis non simoniace, donatur laico sine conſenſu Epiſcopi, ex *deciſ. Rot.* apud Barboſ.; ſi vero sit reale, ſeu affixum rei, poteſt hæc vendi, sicque illud transire ad emptorem: item tranſit ad conductorem, ſi res locetur ad longum tempus, ut decennium: ſecus, ſi ad modicum: Abb., & alii: Si tamen pluris res venderetur ratione juris, eſt simonia, & amittitur jus, & pretium ei reſpondens: Croix l. 3. p. 1. n. 129. Denique venditio pensionis, sive laicalis, sive Clericalis, ex ſtylo Curiæ Romanæ requirentis auctoritatem Papæ, eſt simonia juris ſaltem Eccleſiaſtici: item pactum de ea redimenda, quando agitur de ea obtinenda, cum tunc eſſet pactum circa ipſum Beneficium. At probabile eſt, poſſe poſtea redimi a Beneficiario certa pecunia, quæ eſſet veluti anticipata ſolutio pensionum futurarum: item probabile eſt, penſionarium poſſe retento jure pensionum transferre totum commodum temporale in alium, quamvis non pro pretio, cum id prohibeat Pontifex: v. Croix l. 4. n. 1182.

CAPUT IV.

Quid de pœnis Simoniacorum?

SOLA ſimonia realis, & confidentialis in Beneficio, Ordine, & profeſſione Religioſa inducit ipſo facto pœnas juris, quæ ſunt tres, & prima eſt excommunicatio ipſo facto reſervata Papæ, a qua nullus privilegiatus extra Urbem intra Italiam abſolvere poteſt, imo nec Epiſcopus, niſi delictum ſit occultum, juxta dicenda in de Cenſuris. At non incurritur, niſi ob ſimoniam realem, aut confidentialem, in Beneficio, Ordine, & profeſſione Religioſa. Itaque completa ſimonia reali hanc pœnam incurrit tum dans, tum accipiens, tum mediator, niſi excuſet ignorantia: completa ſimonia confidentiali per ſolam receptionem Beneficii, non incurrit hanc pœnam dans, neque mediator, ſed tantum recipiens (ſi ſit inferior Epiſcopo; ſi enim ſit Epiſcopus incurrit tantum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: Suar., & alii) modo certo animadverterit verum animum confidentialem dantis, quia ſic recipiendo intervenit pactum tacitum, & implicitum; etiamſi receperit ſine animo

Digitized by Google

mo annuendi illi, ut probabilius docet Bonac. ex Bul. Pii IV. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit*. Completa simonia reali in Ordine, vel prima Tonsura incurrit hanc pœnam tum Ordinans, tum Ordinatus, tum Mediator; & insuper Ordinans suspenditur a Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, ordinatus vero ab ordine suscepto, & a suscipiendis, ex Bull. Sixti V. Completa simonia reali in professione Religiosa (non autem in admissione ad novitiatum, si factum ante professionem retractetur) itaut vendita sit ipsa professio, incurrit hanc pœnam tum admittens, tum admissus ad professionem, non autem mediator; quod si admittens sit Capitulum, suspenditur, ex cap. *Sane*, *de Sim.*

II. Pœna est Nullitas actus simoniaci, & hæc solum est in simonia reali, vel confidentiali Beneficii, ex cap. *Sicut*, & cap. *Matth.*, *de Sim.* Ideoque Beneficium sic obtentum est ipso jure nullum, & vacans, & reservatum Papæ, etsi crimen simoniæ sit occultissimum; in quo casu, quamvis Beneficiarius non teneatur se infamare, tenetur tamen quæsito prætextu, aut colore beneficium cum fructibus perceptis dimittere, vel a S. Pœnitentiaria dispensationem obtinere; idque verum est, etiamsi simonia facta sit a tertia persona inscio Beneficiario (dummodo ea persona id non fecerit in odium Beneficiarii, aut ipso contradicente) quia ignorantia, etsi excuset a culpa, non tamen ab invaliditate actus: potest tamen hic elapso bona fide triennio gaudere regula triennalis possessionis, itaut turbari nequeat circa illud Beneficium. Imo, si beneficium sit simplex, potest Episcopus post factam liberam ejus resignationem dispensare cum illo, qui bona fide processit, eidemque statim illud iterum conferre: Croix, Pal., & alii: si autem simonia fuerit tantum materialis, itaut bona fide processerint omnes ignorantes peccatum simoniæ, probabiliter beneficium valet: Less., & alii. Noto demum, quod recipiens per simoniam confidentialem Beneficium incurrit etiam inhabilitatem ad illud iterum, & ad alia obtinenda, & privationem omnium beneficiorum, & pensionum, quamvis post sententiam declaratoriam criminis: Pal., & alii contra nonullos.

III. Pœna est Onus restituendi. Et primo, Pretium

Digitized by Google

ſimoniace acceptum, ſi res ſpiritualis nondum ſit tradita, in conſcientia reſtituendum eſt danti, cum contractus de re illicita ſit nullus: idem eſt, etiamſi tradita ſit res ſpiritualis, ſi hæc nullum ferat incommodum temporale tradenti, excepto tamen pretio collationis Beneficii, quod ex cap. *De hoc*, *de Sim.* dandum eſt probabilius Eccleſiæ, vel pauperibus: DD. communiter contra Dian., Moy., & alios. At, ſi res ſpiritualis ferat incommodum temporale tradenti, non eſt in conſcientia reſtituendum pretium, niſi in ſimonia Beneficiaria, puta, ſi accepiſti pretium pro reſignatione proprii Beneficii, ex c. *Cum deteſtabile*, *de Sim.* Secundo, Res ſpiritualis ſimoniace accepta non eſt in conſcientia reſtituenda, niſi poſt ſententiam Judicis, quia abſolute, & gratis eſt collata ex voluntate ſupremi Domini. Excipe tamen Beneficium ſimoniace acceptum, quod in conſcientia dimitti debet una cum fructibus perceptis, nec redit ad ſimoniace reſignantem, quia vacat ipſo jure; idque verum eſt non ſolum, ſi ſimonia ſit juris naturalis ex omnium ſententia; ſed etiam, ſi ſit juris Eccleſiaſtici: Doctores communius contra Pal., Sanch., & alios.

Verum de his reſtitutionibus, uti etiam de oneribus Beneficiatorum, nec non de fructibus Beneficiorum fuſius, Deo dante, in de Reſtit. De Contractibus autem huc uſque dixiſſe ſit ſatis.

A. M. D. G.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

Theologico-Moralis

DE RESTITUTIONE.

UNIVERSAM hanc tractationem tam multiplicem, tam variam, tamque implexis casibus passim expositam in duas disputationes distribuam, quarum prior erit De Restitutione in genere, posterior De Restitutione in specie.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere.

OCTO quæstiones hæc disputatio continet: I. est De Jure, & Injuria: II. De Natura Restitutionis: III. De Radicibus Restitutionis: IV. De Re restituenda: V. De Persona restituente: VI. De Persona, cui restituendum: VII. De Circumstantiis Restitutionis: VIII. De Causis excusantibus a Restitutione.

QUÆSTIO I.

De Jure, & Injuria.

CUM restituere sit reparare jus læsum alterius, nequit digne tractari de restitutione, quin ei præmittatur notitia juris, dominii, & injuriæ. Itaque videndum hic I. Quid, & quotuplex sit jus, & injuria? II. Quid, & quotuplex sit dominium? III. Quomodo acquiratur dominium?

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit jus, & injuria?

JUs per apocopen idem est, ac justum. Hinc accipitur I. Pro Lege, quæ est regula justi; & sic dividitur in naturale, & positivum. Jus naturale est *Lex necessario orta a natura;* cui etiam adhæret Jus gentium, seu *Lex, quam omnes nationes amplectuntur*: Jus positivum est *Lex orta a libera voluntate Legislatoris;* sive is sit Deus, quo modo dicitur jus positivum Divinum; sive sit homo, quo modo dicitur Jus humanum, quod vel est Civile, vel Canonicum, seu Ecclesiasticum. Porro ex jure sic accepto derivatur jurisdictio, quod est *Dominium politicum Superioris in subditos, quos legibus gubernat in ipsorum commodum.*

II. Accipitur jus pro facultate circa rem aliquam in proprium commodum; & sic dividitur in jus latum, seu improprie dictum; & jus strictum, ac proprie dictum. Primum est, quod non respicitur a justitia, sed ab aliis virtutibus: tale est jus, quod habent parentes ad obedientiam filiorum, majores ad obsequia minorum, benefactores ad remunerationem pro collatis beneficiis, cives ad officia publica, &c. hæc enim non debentur ex justitia, sed ex pietate, observantia, gratitudine, congruitate, &c., ideoque ad hæc habetur jus valde latum, & improprie dictum. Secundum est, quod respicitur a justitia, ideoque, si lædatur, committitur injustitia, & rigorosa injuria per restitutionem reparanda, & de hoc loquimur in præsenti. Itaque

Quæres primo, Quid sit jus strictum?

Respondeo, Est *Facultas legitima disponendi de re in proprium commodum, & obligandi alios, ne huic facultati controveniant.*

Explico definitionem: Dicitur primo, *Facultas legitima*, hoc est moralis, seu a lege concessa; quod enim secundum legem non competit, non est jus, sed vis, & injuria: Less. l.2. c.2.n.3. Dicitur secundo, *Disponendi de re*, sive corporea, qualis est ager, vestis, pecunia, servus, &c., sive incorporea, qualis est census, redditus, creditum, actio, omissio actionis, &c. Dicitur tertio *In proprium*

Digitized by Google

prium commodum; unde vocatur etiam jus proprietatis; differtque in hoc a jure jurisdictionis, quod præcipue disponere debet in commodum subditorum; quamvis ob honorem, & alia commoda sibi adnexa participet etiam de jure proprietatis, itaut injuste impediretur Princeps ab usu, & exercitio suæ jurisdictionis. Dicitur demum, *Et impediendi alios, &c.;* quia hujus juris natura est favere uni, & gravare alios, ne scilicet eo invito disponant de re sua, neve illum a sua dispositione impediant; in quo stat justitia reddens unicuique jus suum: & econtra injustitia, seu injuria realis lædens jus strictum alterius.

Hinc tale jus dicitur activum, tum quia potest disponere de re, tum quia obligat alios, ne eo invito disponant: eique proinde respondet jus passivum in aliis, seu obligatio, ne ei controveniant, itaut, si eo invito disponant, aut impediant, faciant ei injuriam stricte realem, seu injustitiam; ideoque teneantur ad restitutionem.

Quæres secundo, Quotuplex sit jus strictum, seu proprietatis?

Respondeo, Esse duplex: alterum inchoatum, quod dicitur *Jus ad rem*: alterum actuale, quod dicitur *Jus in re*. Jus ad rem est *Facultas legitima disponendi, nondum quidem immediate de re, sed de persona aliqua in ordine ad ipsam rem*: tale jus habet donatarius, vel emptor ante rei traditionem, v. g. emisti servum a Titio, qui tamen, antequam tradat tibi, eum vendit, ac tradit Cajo; tu habes jus strictum, sed ad rem; quia potes legitime agere in personam Titii de damno in ordine ad talem servum; at non potes hunc tibi vindicare; unde dicetis habere tantum actionem personalem. Jus in re est *Facultas legitima immediate disponendi de ipsa re*; ideoque parit actionem realem, qua potes rem, ubicumque sit, tibi vindicare; & hoc idem est, ac dominium; quod etiam dividitur in dominium perfectum, & imperfectum; & rursus imperfectum vel est directum, vel utile, seu usufructus, vel habitatio, vel usus, vel servitus, vel possessio; de quibus c. seq.

Quæres tertio, Quomodo intelligatur Regula illa 27. Jur. in *6. Scienti, & consentienti non fit injuria?*

Respondeo, Intelligi de eo, qui omnino voluntarie cedit jure suo, in quantum suum est. Ratio est, quia hic suum

Digitized by Google

jus vere ponit in aliorum arbitrio, adeoque non eos obligat, ne sibi controveniant; & consequenter, si ab illis damnificetur, nullam patitur injuriam, cum nullum ejus jus, in quantum ipsius est, lædatur; Ut si sciens, & volens expresse, vel tacite consentiam, ut utaris mea veste, ut comedas, vendas, projicias meum frumentum &c.

Dixi 1. *Qui omnino voluntarie cedit*; quia, ut recte notat Less. l. 2. c. 7. n. 12., cessio juris, quæ tollit injuriam, debet esse plene liberalis, ac libera: Hinc, qui solvit usuras, cum non solvat voluntarie, nec velit donare, sed quia aliter mutuum obtinere non potest, non dicitur cedere jure suo: similiter, neque is, qui vi, aut dolo inductus consentit: similiter neque is, qui vult quidem rem suam esse Titii, sed Titius hanc voluntatem ignorans clam eam furatur; quia consensus Domini est tantum comitans, & non voluntarius in furtum: Croix n. 11. Denique neque Christus, & SS. Martyres cesserunt jure suo; quia etsi libere passi sunt, & pati desiderarunt, tamen non cupiebant sibi ab impiis illa mala irrogari, sed solum permissive se habebant, non repugnando; unde retinent actionem injuriarum in illos coram Tribunali Divino.

Dixi 2. *Jure suo, in quantum suum est*; quia posita tali cessione, etsi non violetur jus præcise, qua suum est, tamen potest aliquando violari, in quantum pertinet ad alium. Sic, qui ultro se interficit, etsi injuriam sibi ipse non faciat, tamen facit injuriam Reipublicæ, cujus ipse est pars, & Deo, qui est vitæ humanæ Dominus. Similiter, qui volentem interficit, aut mutilat, facit injuriam Reip., & Deo; probabiliter tamen non facit injuriam illi, ut pote omnino libere, ut supponitur, cedenti jure suo, quod habebat ad usum vitæ, & membri, atque ideo nec tenetur ei quidquam restituere: Less., Lug., & alii contra Haun., Croix. n. 4., & alios: videtur tamen probabilius contra Less. teneri ejus filiis, uxori, parentibus, & creditoribus, utpote habentibus jus ad alimenta, & ad solutionem debitorum, cui ille non poterat cedere, juxta dicenda d. 2. c. 1.

Si laicus percutiat, vel trahat ad suum forum Clericum volentem; vel si quis adulteretur cum Berta consentiente ipsa, ejusque marito, Less., Lug., & alii contra alios pa-

Digitized by Google

pariter docent, hunc non teneri eis ad reſtitutionem, utpote ſponte cedentibus jure ſuo, in quantum ad ſe pertinet; tenetur tamen ad reſtitutionem, ſeu ſatisfactionem Eccleſiæ, quia fit injuria ſtatui Clericali, & Sacramento matrimonii, cui juri nec Clericus, nec conjuges cedere poſſunt. Impuberi autem, & in aliquibus caſibus Pupillo, & Minorenni ſcienti, & conſentienti in contractum ſibi noxium ſemper fit injuria, quia talis conſenſus per leges irritatur, eſtque moraliter nullus, ac ſi phyſice non eſſet.

CAPUT II.

Quid, & Quotuplex ſit Dominium?

DOMINIUM, ex dictis, idem eſt, ac jus in re; & dividitur in dominium perfectum, & imperfectum, quod eſt vel directum, vel uſusfructus, vel habitatio, vel uſus, vel ſervitus, vel poſſeſſio; de quibus hic agendum, Itaque

Quæres primo, Quid ſit dominium plenum, ſeu perfectum?

Reſpondeo, Eſt *Jus perfecte diſponendi de re in proprium commodum, niſi obſtet aliqua lex, vel conventio*. Hæc definitio patet ex dictis: Per ly *perfecte* innuitur ipſa plenitudo dominii, quo Dominus poteſt pro libito rem ſuam deſtruere, alienare, ſervare, eaque frui, & uti ad omnem uſum ſibi, & rei phyſice poſſibilem. Per ly *Niſi obſtet, &c.*, innuitur impediri aliquando Dominum ab aliqua diſpoſitione rei ſuæ; ſive per legem, qua ſcilicet prohibetur pupillus, ne alienet res ſuas immobiles, civis ne in caritate annonæ extrahat ſuum frumentum, &c. ſive per conventionem, ſeu pactum, quo v. g. Dominus pignoris prohibetur diſponere de illo, quouſque manet apud pignoratarium, &c. Verum neque talis lex, neque pactum minuit plenitudinem dominii; nam lex ei non obſiſtit in gratiam alterius, ſed potius in gratiam ipſius Domini, vel boni communis, cujus ipſe eſt pars: conventio autem eſt *Lex, quam ipſe Dominus ſibi imponit*; ideoque eſt potius quidam uſus ſui dominii. Similiter neque plenitudini dominii, quod habes v. gr. in tuum equum, obſtat dominium Divinum, utpote quod eſt alterius ordinis; neque

Digitized by Google

demum obstat dominium altum, quod habet Princeps, vel Respublica in bona subditorum; quia hoc est tantum sub conditione, in casu scilicet publicæ necessitatis, qua conditione posita cessat dominium privatum, seu passum, ut loquuntur Juristæ.

Contra vero obstat plenitudini dominii dominium privatum ejusdem rei penes duos simul, & in solidum; quia sequeretur per se loquendo bellum utrinque justum simul, & injustum, quod implicat saltem naturaliter; uterque enim dominus posset juste uti re illa invito altero, cui tamen simul, & semel injuste inferretur injuria. Dixi *per se loquendo*; nam per accidens, & ratione ignorantiæ, aut opinionis probabilis, potest contingere bellum utrinque justum, v.g. si tu pugnes pro re, quæ vere sit tua, & alter pro eadem re, quam invincibiliter ignorat esse tuam, aut bona fide probabiliter putat esse suam: Azor., Cov., Pal., & alii.

Rogabis hic, quinam esse possit dominus, & quarum rerum? Dico, eum tantum posse esse dominum, qui libere potest disponere de re in proprium commodum: hinc præter Deum, & Christum omnium dominum, Angeli habent tantum dominium suarum actionum, rerum vero corporalium sunt administratores; ideoque, si cui dæmon det pecunias, si eas surripit alteri, huic sunt restituendæ; si eas accipit ex thesauris derelictis, retineri juste possunt titulo occupationis, juxta dicenda cap. sequ. Homo autem non est dominus suæ vitæ, aut membri, bene tamen usus istorum; uti etiam sui honoris, & famæ: esse item potest dominus cujuscumque rei corporeæ sublunaris, juxta illud Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, &c.* Cœlestium autem tantum quoad commoditates, quæ inde percipiuntur, puta ex eorum luce, calore, &c.

Ex dictis infers primo, etiam infantes, & amentes posse esse dominos, quia habent usum rationis, & libertatis saltem in radice, & potentia remota; unde patet, non potuisse Hispanos tuta conscientia auferre bona ab Indis, eo quod dicerent esse amentes; tum quia revera non erant; tum quia etsi erant, manebant tamen veri domini suarum rerum: Mol., Ledes., Salon., & alii. Peccatores

Digitized by Google

res etiam retinent dominium ſuarum rerum, ut definitum eſt in Concil. Conſtant. ſeſ. 8. err. 15. Et ſimiliter infideles, etſi non ſubditi Principibus Chriſtianis, ut docent communiter apud Trull., itaut oppoſitum ſit temerarium. Hæretici etiam, & rei læſæ majeſtatis, etſi jure poſitivo priventur dominio ſuarum rerum in pœnam, tamen illud retinent, donec condemnentur per ſententiam declaratoriam criminis, quæ etiam retrotrahitur ad diem commiſſi delicti, & ejus vi reſcinduntur omnes contractus ab eo tempore facti: Filliuc. apud Trull. l. 7. *Decal.* c. 2. d. 2. Denique de Religioſo, ſervo, filiofamilias, uxore, Clerico dictum eſt d. 1. *de Contractibus*, & plura dicentur hic d. 2.

Infers ſecundo, Secluſo bello juſto, non licere Chriſtianis privata auctoritate bona infidelium ſurripere, vel deprædari, vel damnum aliquod eorum bonis inferre; quia ſunt vere domini: Sot., Sanch., & alii communiter. Dixi *Secluſo, &c.*, nam tempore juſti belli certum eſt licere, eos bonis ſpoliare. Dixi, *Privata auctoritate;* nam de licentia Principis Chriſtiani poſſumus bona Infidelium terras Chriſtianorum Principum injuſte occupantium ſurripere; quia poteſt Princeps ille ea juſte auferre, & bellum indicere, ut notat Sanch. l. 1. *Conſil.* c. 1. Item potuit Alex. VI. concedere Hiſpanis poteſtatem deponendi Reges Indorum, non quidem abſolute, ſed in caſu, quo inique agerent contra Fideles ſibi ſubditos, ut notant Trull., & alii.

Quæres ſecundo, Quid ſit dominium directum, & uſusfructus?

Reſpondeo, Dominium directum eſt, *Quod continet ſolam rei proprietatem, commodum vero, ſeu rei utilitatem habet alius:* tale dominium habet, qui rem ſuam alteri conceſſit in uſumfructum, vel in feudum; ideoque manet ejus dominus tantum directus, qui dicitur etiam proprietarius, & abſolute dominus. Uſusfructus eſt *Jus utendi, & fruendi re aliena, ſalva ejus ſubſtantia:* dicitur *Jus utendi*, quale non habet creditor in pignore, qui proinde nullo pacto eſt ejus dominus; dicitur *& fruendi*, hoc eſt percipiendi, & alienandi omnes fructus ex ea re, quale non habet merus uſuarius, de quo quæſ. ſequ. Dicitur *Salva ejus ſubſtan-*

Digitized by Google

ſtantia, quia res debet integra proprietario ſervari; unde eſt, ut uſusfructus non poſſit conſtitui ſuper re unico uſu conſumptibili, aut alienabili, puta in frumento, vino, oleo, pecunia, &c.

Itaque uſufructuarius habet dominium utile rei, ſeu rei commodum, & utilitatem, qualis eſt feudatarius, emphyteuta, pater in bonis adventitiis filii, &c., ideoque hoc ipſo, quod colligit ex fundo v. g. fructus, acquirit plenum eorum dominium, & conſequenter injuriam ei faceret dominus directus fundi, ſi eos ipſe colligeret. Si vero, antequam eos colligat, uſufructuarius moriatur, tunc ſunt domini directi, quia quamdiu adhærent plantis, cenſentur unum cum fundo, adeoque cedunt ejus domino. Quare morte naturali uſufructuarii (uti etiam capitis diminutione, aut etiam præſcriptione non uſus) amittitur uſusfructus, nec tranſit ad ejus hæredes; quia alias fruſtranea eſſet proprietas domini directi: Doctores communiter. Similiter, quamvis poſſit uſufructuarius rem locare aliis, ſi tamen vendat ipſum uſumfructum abſque conſenſu domini directi, illum amittit, ex *l. Uſusfr. ff. de Jur. dom.* Denique, ſi conſtituatur uſusfructus in grege animalium, debent in locum capitum demortuorum, vel inutilium ſubſtitui ab uſufructuario alia capita, quæ ſic conſtituta cadent ſub dominium proprietarii: & ſimiliter ſubſtitui debent aliæ in locum arborum frugiferarum demortuarum ab uſufructuario fundi; niſi vero vi tempeſtatis, vel ſimili caſu ſint everſæ: ſimiliter uſufructuarius ædium tenetur ad moderatam earum reparationem, ut integræ domino permaneant: Lug. n. 18.

Quæres tertio, Quid ſit habitatio, & uſus?

Reſpondeo, Habitatio eſt *Jus utendi domo aliena, ſalva ejus ſubſtantia, cum facultate alienandi talem uſum:* Uſus vero eſt *Jus utendi tantum re aliena, ſalva ejus ſubſtantia*. Differunt hæc duo ab uſufructu per hoc, quod non ſint jus fruendi, ſed tantum utendi re: differunt vero inter ſe per hoc, quod habitatio det facultatem habitandi in ædibus alienis, & pro libito talem uſum alienandi uſque ad dies vitæ ſuæ; ideoque non amittitur ex non uſu, nec capitis diminutione, ſed tantum morte, ex *l. Si habitatio, ff. de Uſu, & habitatione*. Uſus vero conceditur in hunc

ſo-

Digitized by Google

ſolum finem, ut quis utatur re aliena, itaut nullatenus poſſit talem uſum locare, alienare, aut liberaliter aliis concedere.

Uſus autem, ut ſit jus, debet eſſe abſolutus, ſeu non revocabilis ad nutum; ideoque vocatur *Uſus juris*, quia ſecus nullum conferretur dominium uſuario, ſi eſſet revocabile ad arbitrium concedentis; ſed diceretur potius *Uſus facti*, qualem habent etiam Bruta, quæ utuntur herbis, & paleis ad nutum domini; & qualem habent ſubditi Regulares, qui utuntur rebus Monaſterii ad nutum Superioris. Itaque uſuarius, qui habet uſum juris, injuſte impediretur a domino rei in uſum conceſſæ; ſecus vero uſuarius habens tantum uſum facti: ut patet in commodato, & precario; in illo enim conceditur uſus juris, in hoc uſus facti. Si ergo detur tibi fundus ad uſum reſidendi in illo, potes cum tua familia inhabitare, imo etiam cum admiſſo inquilino extraneo, at non potes ei ſeorſim locare: ſimiliter, ſi detur ad uſum alendi, potes ex ejus fructibus neceſſaria tibi, tuæque familiæ ſumere, at nihil potes vendere, donare, vel alio modo aliis concedere; utinec poteſt dominus ante tempus conceſſum te expellere, ex *l.* 2., *ff. de Uſu*.

Infers ex dictis, Uſum juris conſtitui non poſſe in re unico tantum uſu conſumptibili, vel alienabili; hoc ipſo enim, quod in tali re conceditur uſus juris, conceditur etiam dominium plenum, ut patet in mutuo. An autem in tali re ſeparari poſſit uſus a dominio, itaut concedatur tantum uſus facti, celebris eſt quæſtio apud Fr. Minores, qui (approbante Nicol. IV., licet reprobante deinde Joan. XXII., ſed iterum approbantibus Martin. V., & Paul. III.) profitentur, non ſolum ſingulos ſuos Religioſos, ſed etiam ipſum Monaſterium, ac Religionem carere dominio rerum, quæ ipſis donatæ ſunt, etſi unico uſu conſumptibilium; itaut earum dominium maneat penes dantes, ex Nicol. IV.; imo penes ſolum Papam, ex Mart. V.

Equidem reſpondeo affirmative, cum Sot., Val., Mol., Suar., Leſ., Sanch., & aliis contra Sylv., Cajet., & alios. Et ratio eſt, quia ſicut ſingulis Religioſis cujuſvis ordinis concedi tantum poteſt uſus facti, revocabilis ad nutum.

etiam

Digitized by Google

etiam in re unico usu consumptibili; ita etiam concedi potest toti Religioni Fr. Minorum, itaut possit Pontifex sine ulla injustitia tollere v. g. panem etiam ab eorum manibus tum, cum illum ori admovent, ut manducent; ut etiam potest Superior Regularis a suo subdito. Sic etiam dominus convivii sine injustitia, quamvis cum summa inurbanitate, potest ab invitatis auferre cibos appositos, donec consumantur, licet postea ex defectu materiæ jam consumptæ desinat ejus dominium, ut recte notat hic Tamb.

Quæres quarto, Quid sit servitus?

Respondeo, est *Jus in re alterius, ut ipsa quodammodo serviat alteri;* uti est v. g. jus transeundi per alienum fundum. Dividitur in realem, personalem, & mixtam. *Servitus realis* est, *quæ a re debetur immediate alteri rei*, sic si ager meus habet jus, ut per agrum tuum possit duci plaustrum in meum, ager tuus immediate servit meo. *Servitus personalis* est, *quæ a persona immediate debetur personæ; mixta vero, quæ a re immediate debetur personæ*. Porro servitus realis subdividitur in urbanam, quæ prædio urbano, & in rusticam, quæ prædio rustico debetur. Prædium urbanum dicitur omne habitaculum, etiamsi in villa, & hortus adnexus causa amænitatis. Prædium rusticum dicitur quodvis aliud, ut stabulum, horreum, ager, &c. Hinc servitutes urbanæ sunt, v. g. ut ædes tuæ non possint altius attolli, ne officiant luminibus vicini, ut in tuum parietem possit immitti tignum a vicino, &c. Rusticæ sunt, v. g. ut liceat tibi per fundum alterius ducere currum, jumentum, aquam, &c., frumentum in alterius horreo servare, & similia. Si ergo alter impediat, injuriam tibi facit, & ad restitutionem tenetur.

Quæres quinto, Quid sit possessio?

Respondeo, Si accipiatur pro ipso actu possidendi, qui dicitur possessio facti, est *Detentio rei, corporis, animi, & legis adminiculo*; si accipiatur pro jure possidendi orto ex tali actu, quod dicitur possessio juris, est *Jus insistendi rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri*: & hoc jus est dominium quoddam imperfectum, cum formaliter, & præcise acceptum hoc tantum ferat, ut possessor possit rem pacifice tenere, ut mox explicabitur.

Ita-

Digitized by Google

Itaque ad acquirendam poſſeſſionem tria requiruntur, nempe detentio adminiculo corporis, animi, & legis. Detentio adminiculo corporis eſt corporalis apprehenſio rei, ſive vera, ſive ficta: ad poſſeſſionem enim rerum non habentium dominum, ut ferarum, theſaurorum, &c., requiritur vera apprehenſio, manibus ſcilicet, pedibus, &c., & ſimiliter ad poſſeſſionem rerum immobilium requiritur, ut aliqua ſaltem earum pars contigua vere apprehendatur. Sed ad poſſeſſionem reliquarum rerum ſufficit apprehenſio ficta, ſi ſcilicet a tradente tibi oculis exhibeantur; vel ſi tradatur tibi ſcriptura, claves, aliudve, in quo res continetur; vel ſi rei emptæ, & nondum traditæ ſignum aliquod a te imponatur. Ad poſſeſſionem autem hæreditatis, præſertim in Italia, ſufficit ſola acceptatio; ideoque dicitur hæc poſſeſſio civiliſſima.

Adminiculum animi eſt, quod velis apprehendere rem tanquam tuam, itaut velis ſaltem apparere, & ab aliis haberi pro domino. Hinc nec depoſitarius eſt poſſeſſor depoſiti, nec pignoratarius pignoris, nec tutor bonorum pupilli; ſed potius contra hi poſſident per illos. Noto hic, poſſe inchoari, & manuteneri poſſeſſionem etiam per alium; ſed ut dicaris ſic poſſidere per alium, requiritur, ut ille habeat etiam animum detinendi ſaltem apparenter pro te; nam ſi intendat pro ſe, non poſſides per illum, niſi ſit tuus ſervus, vel filiusfamilias, qui, quidquid juſte acquirunt, acquirunt tibi, etiamſi talem animum manifeſte non habeant, ex *l. Quod ſervus*, *ff. de Acquir. Poſſeſ.*

Adminiculum legis eſt, quando nulla lex obſiſtit tollens privilegia poſſeſſionis; nam aliquæ res, etiamſi apprehenſæ corpore, & animo, tamen ex legum diſpoſitione nullatenus dicuntur poſſideri; ut decimæ, & bona ſacra a laico, bona publica a privato, & quorum poſſeſſione (niſi forte ſit immemorabilis) nullum acquiritur privilegium.

Privilegia veræ poſſeſſionis ſunt quatuor: Primum, Ut poſſeſſor poſſit rem tueri, non ſolum remediis juris, ſed etiam aliquando armis contra perturbantes: v.g. ſi domum rediens invenias illam ab injuſto invaſore occupatam, potes illum armis expellere, quia ſic non eſt offendere, ſed poſſeſſionem tuam tueri, ne ab ea decidas, ut mox patebit:

Digitized by Google

bit: similiter potes furem armis insequi, etsi fugientem cum re tua, modo id fiat confestim, & in continenti. Secundum est, Ut possessor non teneatur probare in judicio rem esse suam: Tertium, Ut in dubio, semper melior sit conditio possidentis: Quartum demum, Ut possessor bonæ fidei evadat aliquando dominus rei alienæ per præscriptionem, juxta dicenda cap. sequ.

Hæc privilegia debentur possessori; sive possessio sit *Naturalis simul, & Civilis*, qualem habet, qui corpore simul, animo, & lege pergit rem detinere; sive possessio sit tantum *Civilis*, qualem habet, qui postea animo tantum, & lege pergit detinere, corpore autem nec per se, nec per alium detinet, sed est absens. At non debentur, si possessio sit tantum *Naturalis*, qualem habet, qui injuste occupat rem tuam immobilem; tunc enim in te remanet possessio civilis.

Denique amittitur possessio, ejusque privilegia: Primo, Propria voluntate, si scilicet nolis rem amplius possidere, exceptis iis, qui sunt sub Tutore, Curatore, &c.: Secundo, Amittitur possessio rei mobilis per furtum (etiam depositarii, modo is rem loco dimoveat, ut addunt Mol., & alii) fur autem, etsi tunc possideat civiliter, in conscientia tamen injuste possidet, ut patet: similiter amittitur possessio per amissionem v. g. bursæ, annuli, &c.; item per fugam, ut si animal aberraverit a grege, si gallinæ domesticæ avolarunt, &c.; excipe tamen servum, cujus fuga possessio non amittitur: Tertio, Amittitur possessio rei immobilis, si possessor absit longo tempore, nec per alium detinet, nec protestatur, se nolle amittere possessionem; item si sciat, rem ab alio occupatam, & negligat; vel timens repulsam non audeat repetere, aut invadere; vel ab eo repulsus non audeat resistere; vel si res sit ita occupata, ut non sit possibilis reparatio; vel demum si ignoret, rem esse suam: v. Less. c. 3.

CAPUT III.

Quomodo acquiratur dominium?

AD acquirendum dominium, seu quodcumque jus in re requiritur titulus, tanquam basis, radix, seu causa

Digitized by Google

ſa moralis dominii. Poteſt tamen titulus eſſe duplex, ſcilicet verus, & coloratus: tunc eſt verus, cum reipſa valide exiſtit, ut ſi res valide reipſa ſit empta: tunc eſt coloratus, cum exiſtit quidem, ſed ob ignoratam cauſam eſt invalidus, ut, ſi bona fide ematur res furtiva. Si autem quis bona fide putet, rem a patre ſuo eſſe emptam, cum is furto acceperit, nullum habet titulum, niſi putatum; ſi vero ab immemorabili poſſidet rem, cujus ignoratur titulus, prudenter præſumi poteſt adfuiſſe. Cæterum omnis titulus, ſive verus, ſive coloratus, reduci poteſt vel ad contractum, vel ad occupationem, vel ad unionem, vel ad præſcriptionem, de quibus hic agendum. Itaque

Quæres primo, Quomodo acquiratur dominium per contractum?

Reſpondeo, Acquiri per quemcumque contractum translativum dominii de uno in alterum: qualis eſt donatio, emptio, permutatio, mutuum, ludus, ſolutio, &c. Item hæreditas, legatum, fideicommiſſum, de quibus actum eſt in de Contract.; quibus etiam addi poteſt adjudicatio per ſententiam Judicis. Illud hic notandum, in translatione dominii de uno in alium per contractum requiri præter titulum etiam traditionem rei; ante hanc enim jure poſitivo habetur tantum jus ad rem, juxta jam dicta; exceptis tamen aliquibus caſibus, in quibus ex eodem jure poſitivo acquiritur dominium, ſeu jus in re etiam ante traditionem, poſita tantum acceptatione.

Hi caſus ſunt quinque: Primo, Si quid donetur, aut vendatur Eccleſiæ, loco pio, Civitati, aut pro captivo redimendo: Secundo, Si ſit hæreditas, vel legatum: Tertio, Si ſit electio, præſentatio, aut collatio Beneficii Eccleſiaſtici: Quarto, Si quid donetur a Principe volente dare dominium ante traditionem: Quinto demum, Si quid donaſti, & tradidiſti alteri ſub conditione, ut tibi præbeat alimenta, & ille non præbeat. In his ergo caſibus ante acceptationem habetur jus ad rem; poſita tamen acceptatione, habetur dominium, ſeu jus in re etiam nondum tradita, necdum poſſeſſa; traditio autem, & poſſeſſio requiritur tantum, ut poſſis actu percipere ex ea fructus. Imo in ultimo caſu, altero non præbente alimenta, ſtatim recuperas rei donatæ dominium: Leſſ., & alii ex *pluribus juribus*.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres secundo, Quomodo acquiratur dominium per occupationem?

Respondeo, Res, quæ nullius domini sunt, fieri primi occupantis, qui proinde earum hoc uno titulo legitime evadit dominus. Nota hic, jure naturæ (non quidem jubente, sed tantum permittente) omnia esse communia, ex cap. *Jus naturale d.* 1., exceptis tamen propriis actionibus, fama, honore, uxore, & familia, ut notant Salon., Sayr., & alii communiter. Post peccatum autem jure gentium facta est rerum divisio per occupationem, nimirum ut quisquis primus aliquid occupasset, evaderet illius dominus; tum facta multiplex subdivisio, & multiplicatio dominiorum per contractus, leges, &c. Multa tamen adhuc manent sub nullius dominio, quæ proinde evadunt primi occupantis. Tales sunt feræ, lapilli, gemmæ, ambarum, corallium, & similia, quæ in litore maris, in promontoriis, vel fluminibus inveniuntur; item venæ metallicæ, & Thesauri; item res, quas dominus ea mente abjicit, ut in numero suarum rerum esse nolit, quæque proinde dicuntur haberi pro derelictis. Hæc enim omnia jure naturæ, & gentium fiunt primi occupantis, nisi quid obstet jus positivum, de quo agemus q. 3., ubi fusius singula enodabimus.

Quæres tertio, Quomodo acquiratur dominium per unionem?

Respondeo, Acquiri, cum res aliena unitur tuæ, sive id fiat mixtione, aut confusione, sive fiat specificatione, sive fiat accessione. Mixtio dicitur de rebus solidis, & confusio de liquidis: itaque, si pecuniam alienam immisceas tuæ, acquiris dominium totius cumuli, ex *l.* 78., *ff. de Solut.*, quia, ut ait Glos., talis mixtio habet rationem consumptionis; idem est de cumulis frumenti, de gregibus ovium, cæterisque rebus miscibilibus; item cum ex duobus liquoribus fit unum, ut ex vino, & melle mulsum, ex stamno, & argento poculum, &c. duo tamen requiruntur: Primo, Ut talis sit mixtio, seu confusio, ut non possint amplius ab invicem discerni, quia sic mixtio habet rationem consumptionis: Secundo, ex Lug., & aliis, ut pars tua non sit admodum exigua relate ad alienam, quia sic pars major trahit ad se minorem; ideoque hæc potius

transi-

Digitized by Google

tranſit in dominium alterius. His ſuppoſitis, ſi mixtio, ſeu confuſio rei alienæ cum tua fiat a te, ſive bona, ſive mala fide, ſed ſine conſenſu alterius, evadis quidem dominus rei alienæ, ſed alter habet actionem perſonalem in te, juxta dicenda q. 3.; ſi autem fiat cum conſenſu alterius, aut caſu, tunc totus cumulus eſt indiviſim utriuſque, ex *Inſtit. de rer. dom.* Croix n. 118.

Specificatio habetur, cum mutatur materia in novam ſpeciem, ut cum ex uvis fit vinum, ex auro vas, ex lana pannus, ex aſſeribus navis, &c. Sed ad acquirendum hac via dominium tria requiruntur: Primo, Bona fides: Secundo, Ut in humano commercio fiat nova res, quæ vocetur novo nomine ſubſtantivo: Tertio, Ut non poſſit reduci ad priorem ſtatum. His ſuppoſitis, ſi bona fide ex meis uvis expreſſeris tibi vinum, aut ex meo frumento feceris tibi farinam, aut ex mea farina panem, aut ex meis lanis pannum, acquiris eorum dominium, & mihi competit tantum actio perſonalis in te. Contra vero maneo ego dominus, ſi mala fide hæc feceris; vel etiamſi bona fide meas lanas albas feceris nigras, ex meis ſpicis excuſſeris tibi triticum, &c., quia non fit nova ſpecies, ſed manet idem ſubſtantivum, aut præjacens detegitur; vel ſi ex meo auro feceris tibi poculum, quia poteſt reſolvi in prius aurum; quod verum eſt, etiamſi immiſcueris aurum tuum, aut aliud metallum arte ſeparabile: ſimiliter, ſi ex meis aſſeribus facias navim, aſſeres manent mei, quia in eos reduci poteſt navis: ſi vero ex mea quercu ſcindas bona fide aſſeres, & ex his facias navim, acquiris dominium navis, & aſſerum, quia hi non poſſunt amplius reduci in quercum: Croix n. 118. ex *plur. juribus*, & alii.

Acceſſio habetur, cum rei tuæ tamquam principali adjicitur aliquid alienum, quod abſque detrimento ab ea ſeparari non poſſit; & ſic illud aliud cadit ſub tuum dominium, etiamſi mala fide feceris: ut, ſi veſti tuæ addas texturam alienam, quæ abſque detrimento ſeparari non poſſit, evadit tua, quia acceſſorium ſequitur principale, ex *l.* 23. *ff. de rei vindicat.*, alteri tamen competit actio perſonalis in te, tuoſque hæredes. Si ſcripſeris, vel pinxeris in charta, vel tabula aliena; ſcriptura, vel pictura ex jure deberet cedere domino chartæ, vel tabulæ: verum

Digitized by Google

ex consuetudine charta, & tabula cedunt tibi cum obligatione solvendi pretium chartæ, & tabulæ: Croix n. 134.

Ad accessionem reduci possunt plantatio, ædificatio, & alluvio: si enim plantes arborem alienam in tuo solo, vel tuam in alieno, acquiritur domino soli: similiter planta in confinio posita ejus soli erit, in quo principalius radices egerit; si utrobique æqualiter, erit utriusque. Item, si ædifices in tuo solo ex materia aliena, vel in solo alieno ex tua materia, ædificium acquiritur domino soli; utrobique autem restituenda est æstimatio materiæ, & expensarum, juxta dicenda q. 3. Item, si alluvio fluminis paulatim adjecit tuo fundo aliquid ex fundo alieno, evadit tuum, nec teneris quidquam compensare alteri, cum sit incrementum latens, ex *Instit. de rer. divis.*; at, si magnam partem simul adjecit, manet alterius, quia est incrementum patens, ex *Text. cit.*

Denique, si fluvius mutet alveum, tunc, si fiat tua arte, compensare debes damnum ex novo alveo proveniens domino fundi; si fiat naturaliter, novus alveus fit publicus: sed, si iterum deseratur a fluvio, redit saltem ex æquitate ad priorem dominum: alveus vero antea derelictus, quamvis ex jure dividendus est inter possidentes ripas, tamen ex æquitate etiam fit illius, in cujus fundo novus alveus est factus. Nova insula nata in fluvio, si in ejus medio, dividenda est utrique possidenti ripas pro earum latitudine; si sit alteri proximior, erit illius; at, si nata sit in medio mari, erit primi occupantis: v. Croix n. 139.

Quæres quarto, Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem?

Respondeo: Præscriptio est *Acquisitio dominii rei alienæ per possessionem bona fide cum titulo, & tempore debito continuatam:* hæc in rebus immobilibus dicitur præscriptio, in rebus mobilibus dicitur etiam usucapio. Itaque, si quis legitime præscripsit rem alienam, si postea constet, fuisse alienam, non tenetur quidquam restituere, quia acquisivit ejus dominium, quod perdidit alter, qui proinde neque poterit sibi compensare, legibus sic disponentibus etiam in conscientia, ob bonum pacis: nisi tamen alter gaudeat privilegio restitutionis in integrum, vel si probet, præscriptionem esse factam se inscio; his enim conceditur spa-

Digitized by Google

ſpatium 4an. a die notitiæ ad repetendam rem ſuam apud Judicem, ante cujus tamen ſententiam non eſt reſtituenda: Leſ. l. 2. c. 6. Videndum nunc ſupereſt, quænam conditiones requirantur ad legitime præſcribendum; ſunt enim quatuor, titulus, poſſeſſio, bona fides, & tempus ſtatutum a lege. Itaque

I. Titulus alicujus ſcilicet contractus debet eſſe cum bona fide coloratus (ſi enim ſit verus, certe dat dominium, ſed ſine præſcriptione) imo nec requiritur ſimpliciter ad præſcribendum titulus coloratus, ſed tantum, ut ordinario tempore præſcribatur, juxta mox dicenda.

II. Poſſeſſio debet eſſe civilis, & quidem continuata uſque ad certum tempus ſtatutum a lege. Sola autem poſſeſſio naturalis non ſufficit, cum nullum det privilegium; qualem ſcilicet habere tantum poteſt Religioſus profeſſus, utpote incapax poſſeſſionis civilis; vel laicus in bonis Sacris, aut jure decimarum; vel privatus in locis publicis, utpote quæ incapacia ſunt poſſideri civiliter.

III. Bona fides, qua ſcilicet prudenter judices, rem a te poſſeſſam eſſe tuam, vel ignores, eſſe alienam, quæ dicitur ignorantia facti, modo non ſit craſſa, & ſupina, cum hæc potius faciat malam fidem. Ignorantia autem juris, etiamſi ſit invincibilis (ut ſi acquiſiviſti rem contractu uſurario invincibiliter putans, licitas eſſe uſuras) non ſufficit, ex *l. Nunquam, ff. de Uſucap.*; niſi vero jus ſit incertum, ſeu dubium apud Doctores, ut excipiunt Leſſ. & alii. De dubio autem circa factum nota, ſi dubium præcedat poſſeſſionem, cum ſcilicet emis rem dubitans, eſſe furtivam, non inchoas poſſeſſionem bona fide; ideoque non potes præſcribere: ſi ſuperveniat poſſeſſioni bonæ fidei, eam non violat, quia in tali dubio melior eſt conditio poſſidentis: ſi Titius, a quo rem accipis, bona fide poſſederit, tu autem ab initio dubites, teneris inquirere: ſecus inchoas mala fide; at, ſi poſt inquiſitionem non potes deponere dubium, potes pergere poſſidere, quia acquiſiviſti jus, quod habebat Titius, qui ſuborto dubio potuiſſet pergere: ſi demum bona fide ſuccedas poſſeſſori malæ fidei, tunc, ſi ſuccedas, ut hæres immediatus, non potes præſcribere, quia hæres facit unam perſonam cum defuncto, quod Lugo, & alii contra Leſſ., & alios dicunt etiam de hærede

Digitized by Google

mediato : ſi ſuccedas, non ut hæres, ſed ut donatarius, legatarius, emptor, aliove titulo, potes ex tua bona fide præſcribere. In dubio autem, an incœperis bona, an mala fide, præſumendum pro bona, quia delicta non præſumuntur : Lug. d. 18. n. 16., ſi vero ſit actu mala fides, & neſcias, quando cœperit, præſumitur ab initio mala, quia ſemel malus ſemper præſumitur malus, ex *Reg.* 8. *Jur. in* 6. Croix n. 567.

Ex dictis infers, nunquam cum mala fide poſſe aliquid præſcribi ; nam leges civiles ſtatuentes aliquid oppoſitum ſunt abrogatæ *Jur. Can. C. fin. de Præſcr.* Hinc, quamvis creditor non meminerit debiti, vel nunquam petat, non ideo debitor ſciens poteſt quovis tempore elapſo præſcribere : item, quamvis alicubi ſit ſtatutum, ut famuli, niſi intra triennium a die dimiſſionis petant ſalarium, non poſſint deinceps petere, tamen eſt in conſcientia ſolvendum a domino ſciente. Contra vero, ſi tua bona per legem pœnalem addicta ſint Fiſco, potes tamen alia bona præſcribere; quia, quamvis ea tunc non eſſent abſolute tua, tamen, cum non tenearis offerre Fiſco, procedit cum bona fide præſcriptio: Leſſ. n. 20. : item, ſi habeas jus ſervitutis in meo fundo, & certo tempore non utaris, poſſum etiam ſciens præſcribere ; quia, cum non tenear te monere, non mala, ſed bona fide procedit præſcriptio ; Medin. *de Reſtit.* q. 7., ſecus vero eſt, ſi tu habeas jus, ne ego aliquid faciam, v.g. ne altius ædificem, ne feneſtras in hortum tuum faciam, &c.; tunc enim requiritur, ut bona fide faciam contrarium, & tu non contradicas : Leſ. n. 20.

IV. Tempus ad uſucapionem rerum mobilium cum titulo ſufficit poſſeſſio triennalis inter præſentes, quadriennalis inter abſentes : ſine titulo requiruntur 30. anni. Hæc vera ſunt, etiamſi res mobiles ſint Eccleſiæ Romanæ; non autem, ſi ſint pupillorum, contra quos, quamdiu ſunt ejus ætatis, præſcribi non poteſt ; ſi autem ſint minorennium, ſemper requiruntur 30. anni.

Ad præſcribendas res immobiles contra perſonas privatas (exceptis, ut ſupra, pupillis, & minorennibus) requiruntur cum titulo 10. anni inter præſentes : 20. inter abſentes : ſine titulo, vel ſi res immobilis ſit furtiva, aut accepta a poſſeſſore malæ fidei, 30. anni. Nota, eos dici præ-

Digitized by Google

præsentes, qui sunt in eadem Regni Provincia: absentes, qui in diversis Regni Provinciis, quocumque loco sita sit res: hinc, si, postquam septem annis mihi præsens possedisti meum fundum, egrediaris, indiges sex aliis annis ad præscribendum, quia tres anni, qui supererant inter præsentes, debent duplicari ratione absentiæ; unus enim annus præsentiæ æquivalet duobus absentiæ, ex *l. Quod si quis, C. de Præscr.*, & sic proportionaliter de reliquis.

Ad præscribendas res immobiles contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100. anni; contra Ecclesias inferiores, & loca pia, 40. anni; contra PP. Benedictinos, aliosque, qui cum his communicant, 60. anni; ut ex jure ostendit Trull. Si autem cum titulo possedisti fundum privati per 5. annos inter præsentes, & nunc fundus evadat Ecclesiæ Romanæ, satis erit pergere possidere 50. aliis annis, ut præscribas, quia solum deerat dimidium temporis ad præscribendum contra privatum, & similiter, si evadat Ecclesiæ inferioris, satis erunt 20. alii anni: Less. l.2. c.6. n. 25. Cæterum ad præscribendum beneficium ecclesiasticum contra quemcumque competitorem satis est possessio triennalis cum titulo absque simoniaco ingressu, ex *Regul. Cancel.* 33., quæ regula etiam procedit de eo, qui bona fide illud possidet per simoniam, se inscio, ab aliis factam: Sanch. l.7. *Consil.* c.29. n.91., qui autem cum titulo colorato illud possidet bona fide, non potest præscribere, nisi 10. annis inter præsentes, 20. inter absentes; & sine titulo nunquam præscribere potest, quia sine institutione non stat possessio: Trul., & alii communiter.

Ad præscribendas res immobiles Civitatis requiruntur 100. anni; & similiter contra Principem in bonis coronæ adnexis, ut sunt prata regia, &c. At contra tributa, quæ non sunt imposita in recognitionem Principis, sed pro aliqua necessitate, præscribi potest 40. annis cum titulo, sine titulo vero requiritur tempus immemorabile: & eadem dic de bonis Principis Fisco incorporatis: at, si non sint incorporata, præscribuntur 4., vel 5. annis, si Fiscus sit secularis, 40. annis, si sit Ecclesiasticus: v. Les. n. 38. Contra leges autem civiles, & probabiliter etiam Ecclesiasticas, legitime præscribit consuetudo contraria 10. annorum: si autem legislator sciens non contradicat, sufficit, si bis,

Digitized by Google

aut ter contra actum sit: v. Les., Suar.,& alios apud Trul.

Denique contra debita præscribit bona fides debitoris post 30. annos contra quemcumque creditorem: & similiter præscribuntur legata, fideicommissa, & majoratus, contra legatarium, &c. Si autem res hypothecata possideatur bona fide a debitore, vel ejus hæredibus,non extinguitur actio creditoris, nisi post 40. annos. Cæteræ autem actiones, accusationes, aut inquisitiones criminis, decursu 10. annorum a die commissi criminis tolluntur;imo sunt quædam crimina, ut adulterium, in quibus spatio quinquennii præscriptio absolvitur: Laym., Less., Trul., & alii.

Rogabis hic, quando dicatur præscriptio non procedere, aut dormire, aut interrumpi?

Dico primo, Præscriptionem non procedere, si non potuit inchoari possessio civilis ex defectu requisiti, puta bonæ fidei, capacitatis, &c.

Dico secundo, Præscriptionem dormire, seu non currere, si bene inceepta pro aliquo tempore deinde suspendatur, itaut tale tempus intermedium non computetur, sed perinde se habeat, ac si non interfuisset, ideoque tempus prius, & posterius moraliter continuetur: contingit hoc, quando is, contra quem præscribitur, agere in judicio non potest, sive ob defectum judicis, quamdiu scilicet tempore pestis, belli, aut hostilitatis jus dici non potest; sive ob legitimum ipsius impedimentum, quia actore impedito non currit præscriptio; hinc præscriptio contra Ecclesiam dormit, quamdiu ejus Prælatus est excommunicatus, suspensus, aut alio impedimento detentus: item, quamdiu ipse vivit, a quo læsa est Ecclesia: similiter dormit præscriptio contra Ecclesiam Romanam, quamdiu vacat sedes, vel est schisma: contra Imperium, quamdiu vacat thronus, quod Mol., & Lug. dicunt etiam de throno Regis: similiter dormit contra pupillum durante pupillari ætate, quod Laym., & Lug. extendunt etiam ad filiumfamilias quoad bona adventitia,& ad uxorem quoad fundum dotalem vivente marito.

Dico tertio, Præscriptionem interrumpi, si ita desinat, ut se habeat, ac si nunquam antea cœpta fuisset. Et sic interrumpitur, si desinat possessio civilis; & hæc desinit, si rem

Digitized by Google

si rem alienam, quam bona fide possides, concedas domino in pignus, vel ei loces, vel des precario, ex *l.* 33. *de Usucap.* Item, si desinat bona fides; quod si hæc postea redeat, Doctores communiter contra Felin. dicunt, non solum dormisse, sed etiam esse interruptam, adeoque de novo inchoandam. Item interrumpitur contestatione litis præscriptio major triennali (triennalis enim sic non interrumpitur) imo sola citatione, quando citantis silentium erat fundamentum præscriptionis; & similiter per libellum supplicem porrectum Principi, aut in defectu ejus Episcopo, aut in horum defectu per protestationem factam in loco publico, ubi possessor habet domicilium, de qua tabellio, aut in hujus defectu tres alii testentur ex *l.* 2. *C. Annual. except.* Si autem contestatio litis non fiat animo eam prosequendi, aliqui affirmant, aliqui negant, interrumpi præscriptionem; sed Molina tantum negat, si de hoc sit vehemens suspicio; si autem post contestationem litis actor succumbat, vel pacto, aut transactione cesset, censetur præscriptio non fuisse interrupta; at, si bona fide a lite tantisper cesset, potest iterum instaurare ante triennium, & ita efficere, ut alter nunquam præscribat; imo, quamvis non possit instaurare elapso triennio, tamen alter non præscribit, nisi ex nunc pergat possidere per 4. annos, ex *l.* 9. *C. de Præscr.* 30. *ann.* Si autem alter bona fide rem venderet, aut aliter transferret in alium, hic posset præscribere tempore ordinario.

QUÆSTIO II.

De Natura Restitutionis.

VIDENDUM I. Quid sit Restitutio, & quæ ejus obligatio, & necessitas? II. An Restitutio sit actus justitiæ commutativæ? III. An Restitutio esse possit actus virtutis a justitia distinctæ?

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid sit Restitutio, & quæ sit ejus obligatio, & necessitas?

DICO primo: Restitutio stricte accepta est *Actus Justitiæ commutativæ, quo quis reparat ad æqualitatem jus alterius a se læsum.*

Hæc definitio patet ex dictis, & clarius ex dicendis. Per ly *Jus alterius* intellige jus strictum, sive sit jus in re, sive sit jus ad rem, cum hoc uno discrimine, quod, si læsum sit jus in re, restitui debet solidus valor rei, quia tanti valet jus in re, quanti ipsa res; si læsum sit jus ad rem, restitui debet, non solidus valor rei, sed quanti erat ejus spes spectatis circumstantiis, prout scilicet spes est proximior, vel remotior: v.g. occidisti equum; si hic erat donatus, & traditus Titio, teneris Titio de solido valore equi; si donatus, sed nondum traditus, teneris Titio restituere, quanti erat ejus spes orta ex tali donatione. Per ly *A se læsum* intellige, ad actum restitutionis requiri, ut, qui damnum intulit, ipsemet, vel per se, vel per alium resarciat; nam, si per te resarcias damnum non a te, sed ab alio illatum, facis solum actum liberalitatis, vel eleemosynæ, non restitutionis, & justitiæ.

Infers primo, Ad actum restitutionis requiri, ut vere, & realiter damnum sit illatum alteri, sive per injustam ablationem, aut detentionem, sive per injustam destructionem rei suæ. Hinc, si Judex ferat sententiam putatam injustam in Titium, quam deinde deprehendat justam, nihil tenetur ei restituere; quia, quamvis peccaverit contra justitiam, tamen vere, & realiter nullum ei damnum injuste intulit. Similiter, cum nullum Deo damnum possit inferri, non potest restitutio exerceri erga Deum, sed tantum satisfactio pro dehonoratione; in hominibus vero, qui dehonoratur, hoc ipso damnificatur, & ideo, qui honorem ablatum reddit alteri, unico actu & satisfacit, & restituit.

Infers secundo, Restitutionem stricte acceptam differre a satisfactione, quia satisfactio est quid generalius, & respicit personam, ejusque honorem violatum, & fieri de-

Digitized by Google

debet etiam pro damno irreparabili; restitutio vero respicit rem ablatam, & solum fit pro damno reparabili. Differt etiam a solutione, quia solutio v. g. ex debito, voto, juramento, &c. per se non supponit injuriam; restitutio vero per se supponit jus læsum alterius. Et ob eandem rationem differt a restitutione late accepta, qua dicimur restituere pignus, depositum, &c. domino suo, quo sensu restituere est in pristinum statum reponere, ex *l. Restituere, ff. de V. S.*

Dico secundo: Restitutio rei gravis est necessaria ad salutem necessitate præcepti, non autem necessitate medii.

Ratio primæ partis est, quia extat præceptum restituendi, tum naturale fundatum in illo naturæ dictamine, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris;* tum positivum divinum, ex illo ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita;* tum Ecclesiasticum ex cap. *Si res aliena* 14. q. 6. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Neque obest, quod Christus Pharisæis plenis rapina solummodo dixerit, *Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, Luc. 11.; nam, ut explicat Less. n. 47., Christus suasit iis eleemosynam, quæ est restitutio pauperibus facienda, quando propriis dominis exhiberi non potest. Præceptum autem restituendi ex genere suo obligat sub gravi, nisi venialem reddat talem obligationem parvitas materiæ: ergo restitutio rei gravis est necessaria ad salutem necessitate præcepti.

Ratio secundæ partis est, quia illud dicitur necessarium ad salutem necessitate medii, quod ita est necessarium, ut eo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri non possit, qualis est fides, baptismus, &c., illud vero est necessarium necessitate tantum præcepti, quod, si ex ignorantia inculpabili, aut impotentia omittatur, adhuc salus obtineri possit: atqui hujusmodi est restitutio: ergo est necessaria necessitate tantum præcepti, non medii. Neque obstat, quod, qui non potest, vel immemor est restituere, teneatur habere propositum, seu votum saltem implicitum restituendi; sicut, qui non potest suscipere baptismum, vel Sacramentum pœnitentiæ, tenetur habere ejus votum; & consequenter utrobique habetur necessitas medii, vel

in

Digitized by Google

in se, vel in voto. Nam disparitas est, quia baptismus, vel Sacramentum pœnitentiæ est id, quod per se sanctificat, & ideo ejus votum est votum medii positi a Deo ad salutem obtinendam; at restitutio per seipsam non sanctificat, & ideo, quamvis ad salutem requiratur etiam ejus votum, hoc autem non est votum ponendi medium collativum salutis, & consequenter non dicitur restitutio necessaria necessitate medii in se, vel in voto, sed tantum necessitate præcepti.

Infers ex dictis, eum, qui injuste damnificavit alterum, obligari ex præcepto ad restitutionem externam, seu realem, si possit; si non possit, ad restitutionem internam, seu propositum restituendi, si quando poterit; & quidem sub gravi, vel levi, prout gravis, vel levis est damnificatio. Ratio est, quia non restituere, cum possis, est voluntarie nocere alteri; cum vero non possis, ad remissionem peccati pro damno illato requiritur pœnitentia, quæ involvit propositum emendationis, adeoque restituendi. Notat hic Trul. d. 1. n. 14. ex Salon., & Sayr., Animam defuncti non detineri diutius in Purgatorio, eo quod hæres, cui imposuit restitutionem, eam differat; quia solum punietur pro sua negligentia non restituendi in vita, aut etiam, si hæres differat satisfactionem Deo, quæ fit per Missas.

Quæres primo, An præceptum restituendi sit affirmativum, an vero negativum?

Respondeo cum D. Th., & aliis communiter contra Lug., Dicastil., & alios, formaliter acceptum, esse potius affirmativum; quia præcipit actum positivum, scilicet redditionem rei injuste ablatæ: &, quamvis obliget semper, non tamen ad semper, seu pro omni tempore, sed tantum, quando est opportunitas restituendi. Notat tamen Less. c. 7. n. 50., hoc præceptum, etsi formaliter acceptum sit affirmativum, involvere tamen aliud præceptum negativum, ex quo ipsum oritur, scilicet *Non furtum facies*; quia detinere rem alienam, cum possis reddere, idem fere est, ac continuate furari; & ideo præceptum restituendi obligat semper: quia tamen non obligat ad semper, sed tantum pro tempore opportuno, ideo formaliter loquendo dicitur potius affirmativum: v. Tamb. hic c. 1. n. 8.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres secundo, Quot peccata committat, qui pluries oblata opportunitate restituendi non restituit?

Respondeo, Tot peccata numero distincta committere, quot sunt actus intentionis, seu voluntatis non restituendi moraliter interrupti. Certum est autem, interrumpi moraliter per actum contrarium, seu propositum restituendi; quoties ergo post tale propositum reditur ad voluntatem non restituendi, toties multiplicatur numerus peccatorum in confessione explicandus. Præter hanc interruptionem, Petrus Nav. l.4.c.1. putat, non dari aliam, adeoque unum tantummodo peccatum committi ab eo, qui per multum temporis potens non restituit, si tale peccatum per propositum restituendi nunquam retractaverit. Sed communis sententia Doctorum docet, hoc peccatum interrumpi, non solum per actum contrarium, sed etiam per quamcumque aliam interruptionem, per quam censeatur prior intentio non amplius virtualiter perseverare; sive id accidat per distractionem voluntariam ad alia negotia incompossibilia; sive per involuntariam, ut multi docent, puta per somnum; sive per hoc, quod cesset hic & nunc obligatio restituendi ex impotentia, aut alio capite, & deinde reviviscat; sive per hoc, quod iterum abutatur re aliena, aut illam donet, vendat, &c.; sive demum per hoc, quod appareat novum damnum consurgere creditori ex omissione restitutionis, puta si in carcerem sit detrudendus, eo quod non habeat, unde alteri solvat, quod debet, &c.; sic enim voluntas causandi novum damnum non continetur moraliter in illo peccato retentionis rei alienæ, sed est novum peccatum in confessione aperiendum.

Cæterum notat hic Bonac. q.7. ex Mol., & aliis, Confessarium non debere esse nimis scrupulosum in investigando numero actuum internorum moraliter interruptorum; quia non conveniunt Doctores in assignanda ratione hujusmodi interruptionis. Quare, nisi novum damnum secutum sit creditori, vel habiti sint actus contrarii, satis erit investigare, quantum temporis res aliena detenta sit; sic enim facile plus minus cognoscetur numerus peccatorum, & status pœnitentis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

An Restitutio sit actus Justitiæ commutativæ?

SUPPONO celebrem divisionem Justitiæ in commutativam, distributivam, legalem, & vindicativam; quæ tamen divisio non est generis in species rigorosas, & univocas, sed valde analogas; nam commutativa solum participat nomen, & rationem strictæ, & rigorosæ justitiæ, quæ ex Ulp. *l. Justitia, ff. de Just., & Jur.* definitur. *Constans, & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi*: Itaque

Justitia commutativa est, quæ jus strictum, & rigorosum cuique tribuit, seu adæquat arithmetice, itaut nec plus, nec minus tribuat, quam quod precise exigit jus in re, vel jus ad rem alterius, sive illud præstando, sive non lædendo; & consequenter consistit in indivisibili. Vocatur autem *Commutativa*, quia præcipui ejus actus in mutua rerum commutatione consistunt: vocatur etiam *Justitia particularis*, quia exercetur inter personas particulares, vel instar particularium se habentes: vocatur etiam *Justitia vulgaris*, quia passim vulgo exercetur; absolute autem, & simpliciter venit sub nomine Justitiæ. Hinc dicitur servare *medium rei*, hoc est æqualitatem rei ad rem, seu ad jus alterius, quæcumque sit persona, cujus sit ea res: cum reliquæ virtutes dicantur servare *medium rationis*, hoc est, quod juxta dictamen rationis proportionatur qualitati personæ; sic e. g. in Gratitudine, quod est æquale respectu unius, est nimium, vel minus respectu alterius, &c.

Justitia distributiva est, quæ distribuit particularibus proportionaliter bona Communitatis, puta Officia, Beneficia, aliaque bona ad totam Communitatem spectantia. Atque hæc est justitia minus proprie dicta; quia non respicit, per se loquendo, jus strictum particularium, sed jus quoddam congruitatis, & convenientiæ; cum enim hæc bona sint propria Communitatis, sequitur, ut nemo in particulari habeat jus proprietatis ad illa, sed tantum congruitatem majorem, vel minorem, prout magis, vel minus dignus, seu aptus extiterit.

Justitia legalis est, per quam Princeps condit leges respicien-

Digitized by Google

ſpiciendo bonum publicum, & quas ſubditi tenentur ſervare; ideoque vocatur etiam juſtitia communis, & generalis, qua ſcilicet quilibet tenetur conformare ſe moribus, ac legibus univerſalibus propter bonum commune: ſed neque hæc eſt juſtitia ſtricte accepta; quia non reſpicit jus ſtrictum Legislatoris, aut Communitatis, ideoque ejus violatio non dicitur injuſtitia, ſed inobedientia.

Juſtitia vindicativa eſt, per quam commenſuratur pœna delicto; & huic per exceſſum opponitur Crudelitas, per defectum nimia Remiſſio, ſeu Conniventia: ſed neque hæc eſt juſtitia ſtricte accepta, cum nec Judex habeat jus proprietatis ad exigendam pœnam, nec delinquens ad dandam.

Dico primo: Reſtitutio eſt actus Juſtitiæ commutativæ: Doctores communiter. Ratio eſt, quia Juſtitiæ commutativæ eſt reddere cuique jus ſuum: ergo ejuſdem eſt jus alterius læſum reparare, quod idem eſt, ac reſtituere, & conſequenter ex violatione juſtitiæ commutativæ oritur obligatio reſtituendi, ſeu ponendi æqualitatem inter ablatum, & redditum, inter damnum, & compenſationem, ſicque injuriam realem illatam tollere. Noto tamen, non omnem actionem contra juſtitiam commutativam inducere onus reſtitutionis, ſed eam tantum, quæ vere, & realiter intulit damnum alteri, juxta dicta cap. antec.

Dico ſecundo: Qui non ſervat juſtitiam diſtributivam, per ſe loquendo, non tenetur ad reſtitutionem: Doctores communiter. Ratio eſt, quia nullum violat jus ſtrictum alterius: hinc, ſi Princeps in diſtributione officiorum civilium, puta Præfecturæ, Gubernatoris, Judicis, &c., præferat minus dignos dignioribus, per ſe loquendo, non tenetur quidquam his reſtituere, quia non habent ad illa jus proprietatis, neque in re, neque ad rem, ſed tantum majorem quandam aptitudinem, ſeu congruitatem, unde nulla fit eis injuria. An autem tunc Princeps teneatur quidquam reſtituere ipſi Communitati, diſtinguendum; ſi enim contulit officium poſitive indigno, ſeu inepto ad illud exercendum, peccat graviter, & tenetur reſarcire omne damnum, quod inde ſecutum eſt Communitati; quia hæc habet jus ſtrictum ad talia officia, ut in ſuum commodum bene adminiſtrentur: ſi autem contulit

Digitized by Google

tulit officium minus quidem digno, ſed tamen apto, poſthabitis aptioribus, probabile eſt apud Illſ. *de Juſtit.* n. 9. cum aliis contra alios, non teneri de damno, ſi quod inde forte ſequatur Communitati; quia ſic etiam apte providit bono communi; ut etiam patet de Oeconomo, qui communiter non obligatur ex juſtitia commutativa ad conſtituendos operarios optimos, ſed tantum ad aptos. Hinc communis etiam timoratorum praxis eſt, ut damna ex tali electione ſecuta abſque remorſu conſcientiæ non reſarciantur Communitati, ſed tantum, ſi ſequantur ex electione ineptorum.

An autem ſit licitum Principi vendere officia ſecularia? dubitant Doctores,& mordicus negant Adr.,Salon.,Azor., & alii, quia Principes non ſunt Domini, ſed tantum adminiſtratores Reipublicæ, & Officiorum; ſed Haunol. apud Croix l.3.p.2.n.991. ait,conſuetudinem prævalere in contrarium etiam in Curia Romana; ideoque curandum, ut ſerventur, quæ jure naturæ ſunt ſervanda, nempe ut vendantur pretio moderato, & perſonis cæteroqui aptis, quæque prudenter judicantur officio bene functuræ,; ſi ſecus fiat, peccatur graviter contra juſtitiam commutativam debitam Communitati. Officia vero Eccleſiaſtica, puta Oeconomi, Cuſtodis, Sacriſtæ, aliorumve adminiſtrantium res temporales Eccleſiæ, ſi exerceri ſoleant a ſolis Clericis, ſimoniace venderentur ex jure ſaltem Eccleſiaſtico, juxta dicta in de Contract. d.5.

Cæterum notat Leſs. n. 23., juſtitiam diſtributivam aliquando includere etiam commutativam reſpicientem jus ſtrictum particularium in diſtributione bonorum communium: quod jus oriri poteſt, vel ex lege Superioris, aut conſuetudine, vel ex conventione, ſeu pacto, vel ex intentione inſtitutoris talium bonorum. Sic lege, vel conſuetudine tenetur Dux ex juſtitia etiam commutativa diſtribuere ſpolia hoſtium militibus juxta proportionem meritorum, itaut quiſque miles habeat jus proprietatis ad illa commenſuratum ſuis meritis, adeoque inducens onus reſtitutionis, ſi in tali diſtributione lædatur: Illſ. n. 8. Similiter in collatione Beneficii Eccleſiaſtici, ſi fiat per concurſum, & prævio examine, quiſque concurrens ex tacito pacto cum examinatoribus, & collatore acquirit

jus

Digitized by Google

jus proprietatis ad illud obtinendum, si inventus sit dignior; ideoque, si postponatur minus digno, obligat illos ad restitutionem, quanti scilicet erat ejus spes: at, si fiat collatio absque examine, & concursu, quamvis sit lex Ecclesiastica graviter obligans, conferri absolute digniori, maxime, si sit beneficium Curatum (nam de simplici est dubium) tamen, cum hæc lex non obliget ex justitia commutativa, nihil videtur restituendum digniori posthabito, neque Ecclesiæ, seu Communitati, nisi minus dignus sit positive ineptus, ut dictum est de officio seculari. Denique, si quis legaverit v. g. 100. aureos distribuendos annuatim Studiosis Academiæ pro cujusque habilitate, vel inopia, tunc distributor etiam ex justitia commutativa tenetur ad talem distributionem, itaut, si habiliori, vel pauperiori minus dederit, teneatur ei restituere ad justam proportionem, ad quam is acquisivit jus proprietatis ex intentione legantis: idemque est de eleemosynario Principis, dum jubetur distribuere eleemosynam certis pauperibus secundum proportionem indigentiæ: unde etiam sequitur, ut, qui ultra suam proportionem accepit, teneatur excessum restituere: v. Less. n. 23.

Ex dictis infers, tunc haberi peccatum acceptionis personarum, cum obligatur distributor ex justitia commutativa, contra quam graviter peccat eligendo minus dignos, vel ineptos. Si vero nulla admisceatur justitia commutativa, non habetur rigorosa acceptio personarum in electione minus digni, modo sit aptus; quia tunc revera non habetur rigorosa injuria: peccatur tamen saltem venialiter contra jus congruitatis, & convenientiæ, quod habet dignior posthabitus; & quoad beneficia peccatur graviter, ratione legis Ecclesiæ graviter obligantis, juxta modo dicta: v. Laym., Less., c. 34. n. 67.

Dico tertio: Qui non servat justitiam legalem, per se loquendo, non tenetur ad restitutionem: Doctores communiter. Ratio est eadem, quia non facit contra jus strictum alterius. Hinc, si in publica Patriæ necessitate extraxeris tuum frumentum contra legem prohibentem, non teneris post transactam necessitatem illud, etiamsi possis, restituere Patriæ; quia, etsi peccaveris contra pietatem debitam Patriæ, & obedientiam debitam legi, non

tamen

Digitized by Google

tamen contra justitiam commutativam; quod enim debent Cives Reipublicæ, quousque apud ipsos manet, non est Reipublicæ appropriatum. Ideoque nec innocens non se tradens hosti tenetur restituere damna Reipublicæ, si ob id hæc oppugnetur, & pereat. Nec privatus non prohibens Reipublicæ incendium, aut aliud damnum, tenetur illud resarcire: Less.l.2. c.1. d.11.

Similiter, qui contra edictum Principis extrahit merces, non tenetur ad restitutionem, etsi ex violatione talis legis augeatur notabiliter pretium illarum, quia solum violat justitiam legalem, & publicam. Item nec tenetur Reus quidquam restituere, si juridice interrogatus taceat veritatem, unde damnum Fisco, vel alteri sequatur, quia peccat solum contra justitiam legalem, cum non teneatur ex justitia commutativa dicere veritatem, & procurare utilitatem alterius: Tamb.c.2. Et idem probabiliter Less., Sanch.,& alii apud Trull. dicunt de Testibus; secus vero, qui falsum dixit in damnum alterius, quia sic facit contra jus strictum, quod quisque habet,ne falso damnificetur. An autem fraudantes gabellas teneantur ad restitutionem, dictum est in deContr.d.4.Demum noto,inPrincipe cum justitia legali fere semper conjungi commutativam, si scilicet ferat leges noxias bono communi, quia violat jus strictum Communitatis, in cujus commodum cedere debent leges;ideoque tenetur ad restitutionem: Trull., & alii.

Dico quarto:Qui non servat justitiam vindicativam,per se loquendo, neque tenetur ad restitutionem. Ratio est eadem, quia, per se loquendo, non lædit jus strictum alterius; justitia enim vindicativa per se spectat æqualitatem pœnæ cum culpa, non vero cum jure Communi, aut personæ læsæ. Hinc Reo licet fugere pœnam: &, quamvis id faciat effringendo carceres, non tamen tenetur eas reficere, neque resarcire damnum, quod inde custos carceris pateretur, neque compensare damnum Reipublicæ, si alii captivi per effractum carcerem elabantur:Lug.d.40. s.4.; ratio horum est, quia utitur jure suo, & nulli facit injuriam; secus vero, si vim inferret custodi, aut satellíti, eos vulnerando, percutiendo: Less. c. 31. n. 51. Similiter, qui non est minister justitiæ, potest juvare reum, ut fugiat, suppeditando consilia, & instrumenta; si ta-

Digitized by Google

ſi tamen ipſe effringat, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, quia effractio ſoli reo eſt licita: Leſſ. n. 40.,Bon.,& alii. Denique reus mulctam pecuniariam non tenetur ipſe per ſe præbere, niſi cogatur a Judice; quia nemo tenetur in ſe exequi pœnam. Si autem ad eam damnatus eſt revera injuſte, ſed juſte ſecundum allegata, & probata, poteſt uti occulta compenſatione, & is, cui talis pecunia applicata eſt, id reſciens tenetur in conſcientia reſtituere, juxta dicta de Contract.d.4. c.3. n.2.

Quoad Judicem,ſi infligat pœnam majorem delicto,peccat etiam contra juſtitiam commutativam obligantem ad reſtitutionem, quia facit contra jus ſtrictum delinquentis; ſi minorem, vel nullam, facit tantum contra juſtitiam vindicativam: &, ſi ipſe ſit ſupremus Judex, ſeu Princeps, non peccat; ſi vero ſit Judex inferior, & remittat Reo pœnam pecuniariam, quam lege, vel conſuetudine debebat Actori, vel Fiſco, tenetur ipſe hanc reſtituere, quia ratione ſalarii, & pacti obligatur ex juſtitia commutativa tum communitati,tum ſubditis: Mol.,Reb.,Med.,Suar.,& alii;quamvis contradicant probabiliter Vaſq.,Dian., Leſſ., & Lug.d.37. n.112. apud Croix n.83.

Quæres hic, An liceat vindicta privata?

Reſpondeo, Per ſe loquendo, licere læſo appetere, & cuivis alii gaudere de obſervata debita æqualitate pœnæ cum delicto,modo abſit odium in delinquentem; & ſimiliter licere etiam curare,ut id fiat per poteſtatem publicam. At illicitum eſt, ſumere vindictam auctoritate privata, quia eſt uſurpare poteſtatem Superioris,ex Ep.ad Rom.12. *Non vosmetipſos defendentes*, ideſt ex Græco, *ulciſcentes*. Permittuntur tamen in Republica aliquæ vindictæ privatæ, modo ſint parvæ, pro quibus non ſolet ad Superiorem recurri; quia hoc reputatur neceſſarium, tum ad publicam pacem, ut quiſque a minoribus injuriis, quæ ad Tribunalia non ſolent deferri, tutus ſit, tum ſimul ad juſtam ſui defenſionem, ne ſcilicet alter injuriam inferre pergat: Leſs. l.2. c.47. n.23. Hoc modo quidam Doctores apud eundem putant, eum, qui percutit alterum pugno, vel baculo, poſſe ſtatim, & incontinenti repercuti, ne ſcilicet alter audacior in poſterum ad ſimilia evadat, & ſic eſſet hoc genus quoddam defenſionis.

Digitized by Google

CAPUT III.

An Restitutio esse possit actus alterius virtutis a Justitia commutativa distinctæ.

COMMUNIS sententia contra Ricch., & alios est negativa; quia nulla alia virtus a justitia distincta (quamvis sit virtus ad alterum, ut est Religio, Pietas, Gratitudo, &c.) respicit jus strictum alterius: ergo, si violetur, non obligat ad restitutionem. Ut id melius intelligas

Quæres primo, An dans operam rei illicitæ, quæ non sit contra justitiam, ex ea tamen sequatur damnum alteri, teneatur restituere?

Respondeo negative cum communi Doctorum sententia apud Croix n. 165., v.g. si noctu labores die festo, & ita incendas tuam, & alterius domum, nihil teneris restituere, quia non peccasti contra justitiam, sed contra Religionem: Gob., & alii communiter. Imo, etiamsi aliunde des operam rei illicitæ contra justitiam, & inde casu sequatur aliud damnum, non teneris hoc restituere: v. g. si noctu volens cum lumine accenso ingredi domum Titii ad furandum, casu accenderis horreum Caji, non teneris hoc damnum compensare Cajo, quia non est secutum ex actione injusta contra Cajum: Croix n. 166. Similiter, si noctu volens furari Titio pannum, & cum lumine accenso ingressus casu incendas ejus domum, neque teneris ei compensare damnum domus incensæ, quia tale incendium non prævidisti, ut supponimus, & gestatio luminis non erat actio de se læsiva juris, quod habebat Titius ad suam domum: imo, si apprehenso panno, dum alia vis surripere, sequatur illud casuale incendium, quo etiam pannus te invito comburatur, neque teneris panni damnum compensare, quia tua apprehensio panni non fuit causa efficax ejus combustionis; nam eodem modo fuisset comburendus, quamvis non apprehendisses: Lug. d. 18., Croix n. 169., & alii, qui idem dicunt cum Dicastil. contra Mol., si ingressus domum ad furandum, præter intentionem allisisti pedem in aliquod vas, & fregisti.

Similiter discurrendum de omissione actionis: si enim videas segetem, aut domum ab alio incensam, & potens extin-

Digitized by Google

extinguere incendium non extinguas, non teneris de hoc damno, quia peccas tantum contra charitatem; nisi vero eras custos publicus, aut aliunde tenebaris impedire incendium ex officio, quia sic omittendo peccas contra justitiam. Similiter, si ægrotus moriatur ex incuria Medici, qui nullum stipendium est pactus, Medicus non tenetur ad restitutionem, quia peccat tantum contra charitatem; secus vero, si esset stipendiatus, quia sic peccaret contra justitiam; uti etiam, si promiserit operam suam, cum sic non observando promissionem esset causa injusta damni: Less. l. 2. c. 18. n. 17. Ubi addit, eum, qui non observat promissionem, quamvis non teneatur restituere lucrum cessans, teneri tamen compensare damnum emergens, cujus est causa non servando promissum.

Qui omittit succurrere proximo in extrema necessitate, nihil deinde tenetur ei restituere, vel ejus hæredibus, quia ex communi sententia apud Dian. p. 5. t. 8. r. 2. contra Nav., Cajet., & alios, non peccat contra justitiam, sed tantum contra charitatem. Idem est, etiamsi ille erat suus parens, vel filius, quia peccavit tantum contra pietatem; secus vero dicendum, si ex officio, aut pacto tenebatur eum alere, quia sic peccavit contra Justitiam.

Quæres secundo, An turpe lucrum, quod scilicet acquiritur per actionem peccaminosam contra virtutem a Justia distinctam, sit restituendum?

Respondeo, Si pretium sit datum pro actione mala nondum posita, puta pro Assassinio patrando, esse omnino restituendum, quia actio illa non debet, nec potest poni, ergo nec retineri potest pretium pro ea ponenda: si vero liberaliter donatum sit munus ad alliciendum animum, v. g. feminæ honestæ ad peccandum, posset hoc ab ea retineri, sed adhuc omittendum esset peccatum, ad quod nunquam potest quis obligari: Lug. d. 18. n. 49.

Si actio mala jam sit posita, & pro ea acceptum sit pretium, non est saltem de jure naturæ restituendum: Doctores communiter contra Medin., & alios apud Dian. p. 2. t. 16. r. 38., quia tale pretium est acceptum sine ulla injuria; non enim dantis, quia hic sponte dedit pro actione sibi utili, vel delectabili, & gratis ab eo non præstanda; neque alterius, ut suppono; nam, si actio fuisset damnosa alteri,

Digitized by Google

esset ei satisfaciendum, non ratione turpis lucri, sed ratione damni illati. Dixi *Saltem de jure naturæ;* nam aliqui putant, jus positivum statuisse, turpe lucrum restituendum; sed Sa, Less., Lug., & alii plurimi probabiliter dicunt, leges illas, cum sint pœnales, non obligare ante sententiam Judicis. Vide, quæ diximus in de Contract. d. 4. c. 5.

Si actio mala jam sit posita, propter quam erat contractum de pretio, tenetur alter ex justitia dare pretium promissum, nisi leges positivæ aliter statuant: Sanch., Less., Tamb., Lug. n. 59., & alii contra Nav., & alios; quia impleta jam ex una parte conditione, sub qua contractum erat de pretio, hoc debetur, non ratione peccati, sed ratione utilitatis perceptæ. Unde, qui eam actionem posuit, juste petit pretium, nec ideo approbat peccatum patratum, ut putat Nav., sed illo supposito, quod jam detestatur, urget, ut impleatur altera pars contractus conditionati, quæ sine peccato impleri potest: Croix n. 290. Quod verum est, etiamsi illa actio, vel omissio fuerit contra justitiam, ut adulterium, assassinium, sententia injusta, omissio sententiæ justæ, &c. Excipe tamen, nisi fuerit contra justitiam præcise ratione ipsius pretii ob eam pacti, ut in usuris, & simonia, quia sic ipsum pretium injuste accipitur: etsi ergo usurarius dederit jam tibi mutuum, vel simoniacus rem spiritualem, tamen non teneris pretium pactum solvere: unde, si usurarius illud acceperit, tenetur in conscientia, & ante sententiam Judicis restituere: & similiter tenetur simoniacus, si ex officio tenebatur conferre rem Spiritualem, ut Parochus; vel si conferre poterat absque suo damno temporali, ut Elector, Præsentator, & Collator Beneficii Ecclesiastici; si autem cum aliquo incommodo temporali (ut resignator beneficii) probabiliter non tenetur restituere ante sententiam Judicis, quia sic, etsi acceperit simoniace pretium, non tamen injuste: Less. c. 35., ubi idem probabiliter dicit de privante se commodo Reliquiarum, &c.

Quæres tertio, An sit restituendum, quod acceptum est pro re, vel actione aliunde debita?

Respondeo: Si ex justitia erat debita illi, qui dat pretium, restitui debet: Doctores communiter contra Nav., Sot., & alios; quia dans pretium pro re, ad quam habet jus,

Digitized by Google

jus, æquivalenter emit rem ſuam, ut redimat injuſtam vexationem; ergo pretium injuſte acceptaretur; ergo reſtituendum: ut loc. cit. de Contractibus diximus de Judice accipiente pretium pro ferenda ſententia juſta, aut quam gratis adjudicare debet alterutri parti. Si autem actio, vel res ex juſtitia ſit debita, non tibi, ſed alteri: tunc dubium eſt apud Doctores, an poſſit retineri tuum pretium: e. g. Titio debita eſt vita ſua, ideoque debetur illi omiſſio ſuæ occiſionis, nunc quæritur, ſi tu ſcias ei intentari mortem a Cajo, ideoque des Cajo pretium, ne eum occidat, an Cajus poſſit hoc pretium retinere? Affirmant Sot., Ban., & alii; quia, quamvis Titius habeat jus ad illam omiſſionem, tu tamen non habes jus ad illam, & acquirere pretio hoc jus poteſt tibi eſſe utile: ergo poteris hoc emere, & conſequenter Cajus retinere pretium. Hanc ſententiam Tamb. vocat non improbabilem; ſed Leſs. n. 67., Lug. d. 37. n. 126. & alii communiter negant, quia non poteſt a Cajo vendi id, cujus Titius eſt Dominus: ſed Titius eſt Dominus talis actionis, vel omiſſionis; illi enim debetur ex juſtitia: ergo non poteſt vendi tibi a Cajo, qui proinde reſtituere debet pretium.

Si autem actio, vel omiſſio ſit debita ex alia tantum virtute diſtincta a juſtitia, non eſt obligatio reſtituendi pretium pro ea acceptum: Sot., Ban., Dian., Lug. n. 67., & alii contra Medin., Covar., Leſſ., & alios apud Croix n. 295. Ratio eſt; quia, quando id, pro quo datur pretium, non erat debitum ex juſtitia (v. g. ſi accipiam pretium, ut deponam odium erga alterum) huic pretio reſpondet jus juſtitiæ, quod acquiritur, & non habebatur, antequam dares pretium. Neque obſtat, quod illud des ex metu ad redimendam vexationem; nam neque metus, aut vexatio erat contra juſtitiam, uti nec odium; ſed tantum contra Charitatem; ergo, qui accepit pretium non peccavit contra juſtitiam, & conſequenter non tenetur reſtituere. Contra vero, qui accipit pretium pro mutuo, pro teſtimonio ferendo, pro collatione Beneficii, Ordinis, &c., tenetur reſtituere; quia, etſi non teneatur ex juſtitia mutuare, conferre beneficium, tamen hoc ipſo, quod vult mutuare, conferre, &c., tenetur ex juſtitia gratis id præſtare, juxta dicta de Contract. d. 2. q. 4., & d. 5. c. 3.

Digitized by Google

Quæres quarto, An teneatur reſtituere, qui aliquem impedivit a conſecutione boni?

Reſpondeo, Qui impedivit alium a conſecutione alicujus boni, ad quod habebat jus in re, vel ad rem, tenetur compenſare damnum, quamvis fecerit ſine vi, fraude, detractione, mendacio, &c., & quamvis fecerit ſola ſuaſione, vel precibus: ita tenent omnes; & ratio eſt, quia fuit cauſa efficax, cur alter non haberet id, quod ſuum erat, vel ſibi debebatur. Contra vero non tenetur ad reſtitutionem, qui alium impedivit ab aſſecutione boni, ad quod non habebat jus neque in re, neque ad rem; niſi ex officio, aut contractu tenebatur non impedire, vel niſi impedierit vi, fraude, detractione, aut mendacio; ratio eſt, quia his præciſis nulli fit injuria; ſi enim principalis negans tale bonum ad nihil tenetur, neque tenetur, per ſe loquendo, impediens. Neque obſtat, quod forte impediat ex intentione damnificandi alterum, quia ſola hæc intentio non ponit obligationem reſtituendi: ſi autem impedierit vi, fraude, &c., tenetur compenſare non ſolum illi, qui erat accepturus tale bonum, ſed etiam illi, qui erat daturus; quia unuſquiſque habet jus ſtrictum, ne vi, fraude, mendacio, aut detractione impediatur ſua libertas: Sanch. l. 2. *Conſil.* c. 1. d. 49. n. 9., & alii communiter. Quod uterque Navarr., & Cov. dicunt etiam de impediente precibus importunis, utpote quæ æque, ac minæ, & metus vim inferre ſolent, & quia preces Superioris æquivalent juſſui, æquiparantur etiam vi, & metui gravi.

Hinc non tenentur quidquam reſtituere mercatores, qui ſine vi, fraude, detractione, aut mendacio invitant emptores ad ſuas officinas, etiamſi faciant ex intentione ſic damnificandi alium mercatorem vicinum, quia is nullum habet jus ad omiſſionem talis actionis externæ; & illa intentio, quamvis injuſta, cum ſe ſola non ſit damnificativa, non obligat ad reſtitutionem: Doctores communiter apud Croix n. 148., ex quo etiam infers cum Nav., Vaſq., Sanch. contra Lug., quod ſi abſque vi, fraude, &c. perſuaſeris Titio, ne faciat teſtamentum, quod prævidebas facturum in favorem Caii, nihil tenearis Cajo reſtituere; etiamſi id feceris ex intentione nocendi Cajo. Neque obeſt, quod dicitur *l.* 2., *ff. de aqua pluvia arcenda*, con-

Digitized by Google

contra eum, qui fontem, vel aquæductum avertit, posse agi, si fecerit animo nocendi; nam quisque habet jus, ne ejusmodi bona naturalia sibi impediantur sine ulla tua utilitate; unde est, quod si id feceris non animo nocendi, ad nihil tenearis, ut ibidem dicitur: at in casu nostro Cajus nullum habet jus, ne sibi impediatur voluntas Testatoris; nisi id fiat dolo, fraude, mendacio, detractione, amovendo Notarium, &c. Neque obstat iterum paritas arreptionis libri alieni, quæ per solam intentionem furandi fit injusta; nam hæc actio externa de se est materialiter læsiva juris, & per eam intentionem fit formaliter talis; non sic autem est ea suasio, utpote nullius læsiva juris: similiter, cum nullius sit læsiva juris manifestatio injuriæ mihi factæ a Titio, in circumstantiis petendi consilium, non pecco contra justitiam, etsi tunc simul habeam animum infamandi Titium, neque adeo teneor ad restitutionem, juxta dicenda d. 2.

Religiosus, qui sine vi, dolo, &c. suadet Testatori, ut potius suo Monasterio, vel Religiosis relinquat legata, quam Matrici Ecclesiæ, peccat quidem graviter contra *Clement. 1. de Privil. in 6.*, ubi etiam excommunicatur: tamen non tenetur restituere, ut probabilius docent Sanch., & Lug. d. 18. n. 95. contra Molin., quia Ecclesiæ Matrici nullum erat acquisitum jus in re, vel ad rem, nec peccatum est, nisi contra obedientiam debitam Pontifici, qui non præcipit reparationem damni: Croix n. 74.

Si precibus non importunis, hortationibus, pollicitationibus impedias, ne Titius conferat Beneficium Ecclesiasticum Cajo extra concursum, ne det tali pauperi eleemosynam, &c., non teneris ad restitutionem Cajo, aut pauperi, etiamsi ex odio illorum facias; teneris vero, si mendaciis, dicendo v.g., Cajum esse indignum, illum non esse pauperem, cum tamen sit indignus, sit pauper, &c. Sanch., Croix n. 70. At, si impedias, ne Titius conferat beneficium indigno, eleemosynam pauperi ficto, &c., etiamsi vi, fraude, aut mandacio id facias, non teneris quidquam restituere, quia indignus nullum habere potest jus: Doctores communiter cum Dian. p. 3. t. 6. r. 33. Sicuti contra, si precibus obtineas beneficium, aut officium indigno, teneris de damno secuto Ecclesiæ, aut Reipubli-

Digitized by Google

cæ, cui fit injuria; &, si per fraudes, teneris etiam dignis posthabitis, quibus pariter fit injuria, juxta dicta c. antecedenti. Demum si fraude, vel mendacio declines mulctam pecuniariam imponendam a Judice tibi, vel aliis ob aliquod delictum, probabile est ex Sanch., Less. c. 12. n. 136. Lug., Dian., & aliis contra alios multos, non teneri quidquam restituere Fisco, aut alii, cui erat applicanda; quia, cum pœna non sit debita ante sententiam, impedis, ne acquiratur jus; fraus autem, & mendacium in casu adhibentur ad tuenda propria bona, ad quæ habes jus: jus autem, quod habet quisque, ne tua fraude, aut mendaciis impediatur a consecutione boni, tunc est, cum bonum illud non est tuum proprium: v. Less. c. 12., Croix n. 82.

Si alterum impedias a consecutione boni revelando verum, sed occultum crimen, teneris ad restitutionem tum famæ, tum damni ex bono impedito; quia peccasti graviter tum contra ejus famam, tum contra jus, quod habebat, ne per detractionem impediretur. Idem est, si per effractionem literarum alienarum fuisti causa impediens alterius bonum; & idem est, si detinueris literas alienas, quando ex officio, vel contractu tenebaris tradere: Lug., Mol., Croix n. 76. Si tamen per artificium legeris, aut effractas iterum clauseris, & debito tempore tradideris, Less. c. 12. n. 131., Pal., & alii dicunt, non teneri restituere, quia tunc damnum indirecte, & per accidens sequitur ex revelatione secreti; directe autem ex jure, quod habebas ad instandum pro illo bono post obtentam eam notitiam: idem dicunt Pal., & alii apud Croix n. 77. contra Lug., & Rebell., si fragmenta literarum ab altero dilaceratarum collegisses, & in ordinem redactis secretum perlegisses.

Si aliquo modo occupes procuratorem Titii, v. g. invitando ad prandium, ne sic possit obtinere Titio aliquod bonum, tunc, si procurator ex officio, vel contractu tenebatur illud procurare, teneris resarcire Titio, quia fecisti fraudem in damnum, ad quod vitandum procurator ex Justitia tenebatur: si vero procurator erat voluntarius, & sponte, vel ex amicitia volebat servire Titio, tunc, si is sciverit tuam intentionem, ad nihil teneris, quia decep-

ptus

Digitized by Google

ptus non est, sed libere abstinuit a procuratione; si vero eam ignoraverit, teneris, quia adfuit fraus: Lug. d. 18. n. 103.

Quæres quinto, An teneatur restituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, qui ideo damnum patiatur?

Respondeo cum Mol., Sanch., Less., & aliis communiter contra Vasq. non teneri; quia si damnum non sequatur ex natura sua regulariter ex positione talis actionis, sed ex ignorantia, vel malitia aliorum, talis actio non censetur injuriosa alteri, cum non sit proprie causa, sed tantum occasio illius damni, quod ex Justitia non tenetur impedire, sed tantum ex charitate. Hinc, si occidas Titium, etiam intendens, ut hoc homicidium imputetur Cajo; ideoque Cajus patiatur damna, probabile est, te non teneri quidquam restituere Cajo, quia sola intentio ex dictis non est causativa damni, & hoc secutum est ex errore aliorum, qui ex conjecturis imputarunt homicidium Cajo: Sanch., Less., Tamb., Dian. p. 11. t. 2. r. 34., Croix n. 156., teneris tamen compensare Cajo, quidquid ipse solverit hæredibus Titii, quia tu tenebaris ea solvere: Doctores communiter cum Lug. n. 84.

Si autem te induisses vestibus Caii, aut usus fuisses ejus gladio, quem adhuc sanguinolentum posuisses in ejus vagina, & inde ipse habitus esset ut homicida, teneris reparare ejus damna, quia moraliter influxisti in talem imputationem; tunc enim censetur tua actio influere moraliter in imputationem, cum ex illa ut plurimum sequitur imputatio, ut in casu posito: Less. l. 2. c. 9. n. 114. Limitat Tambur. apud Croix n. 157., nisi in ejusmodi actione utaris jure tuo, puta si te induisses vestibus Caii, ut effugeres mortem. Si cadaver Titii occisi ponas ante domum Caii, intendens, ut Cajo imputetur homicidium, & ideo patiatur damnum, Tamb. dicit, te non teneri resarcire, quia non videris moraliter influxisse in imputationem, cum ea sit tantum levis occasio inquirendi in Cajum, ut addit Lugo; sed oppositum probabilius tenet Sanch. l. 1. *Consil.* c. 5. d. 5. n. 72., quia saltem ex parte cooperaris imputationi, & per fraudem videris inducere Cajum ad hæc damna. Si infantem ante tuum ostium inventum ponas ante

ostium

Digitized by Google

ostium Titii, qui ideo facere debet expensas, non peccas contra Justitiam, quia non inducis Titio obligationem Justitiæ ad providendum infanti, sed tantum das occasionem exercendæ misericordiæ: Sanch., Lug. d. 18. n. 114. Si autem tantum ne patiaris infamiam, noctu exponas tuam prolem, ut inventa ferri debeat ad hospitale, ex communiori sententia teneris compensare hospitali expensas, quia talia hospitalia sunt instituta pro infantibus egenorum; quamvis Henr. putet, esse instituta etiam ob periculum prolium, quæ ob tegendam infamiam sæpe occiderentur, quod videtur probabile apud Croix n. 159.

Quæres demum, An aliquando sit obligatio restituendi eleemosynas?

Respondeo, Qui se pauperem finxit, & ita accepit eleemosynam, tenetur restituere: Vasq., Lug., Dian., & alii communiter; quia, qui dedit, erravit in substantia, seu in motivo dandi eleemosynam, quod est paupertas. Notant tamen Mol., Sot., Fagund., & alii, esse plurimos, qui, licet non darent, si fictionem scirent, si tamen dederint modica, præsertim quæ consumpta sunt, nolint restitui. Addit Dicast. apud Croix n. 161., quod, si fraus sit tantum circa modum, puta si se fingat pauperiorem, vel falso dicat, se fuisse captivum apud Turcas, non tenetur restituere, quia datio eleemosynæ manet simpliciter voluntaria quoad substantiam. Si autem fingas te v.g. Italum, quales tantum admittuntur ad certa hospitalia, teneris restituere, quia hæ eleemosynæ ex fundatione solis Italis debitæ sunt. Si actu non egeas ad victum, si tamen immineat necessitas proxima, potes nunc petere, & accipere eleemosynas; quia, quod in proximo est, reputatur præsens: sic ex Baldo docet Diana p. 2. t. 1. r. 8., pauperem posse petere eleemosynam pro filia dotanda, etiamsi non desint necessaria ad suam vitam, & filiæ: idem est, si alicui incumbat onus alendi matrem, quod Lugo extendit etiam ad eum, qui peteret pro fratre, vel sorore indigente, pro quibus Sanch. agnoscit aliquam obligationem legalem. Imo Cajet., Valent., & Sanch. dicunt, posse divitem petere eleemosynas, quando similes eleemosynas ex suis bonis erogat in pauperes, quod permittit Lugo, si eroget pauperi extraneo,

Digitized by Google

neo, non tamen si fratri, vel sorori, quia hi habent jus aliquod petendi a fratre, & consequenter, si talis frater est dives, ipsi non censentur pauperes.

Si Eremita petierit eleemosynas pro sacello, cujus ædificium ipsi est demandatum, potest etiam ipse inde vivere, quia inter necessaria illi loco etiam est ipse victus: Lug. l. 6. *Resp.* d. 17. Quod, si aliqua supersint, potest dare pauperibus, nisi datum esset ex speciali devotione ad locum. Demum in casu, quo debetur eleemosynæ restitutio, Cajet., & Nav. dicunt, faciendam danti: Sotus, & alii dicunt, faciendam aliis pauperibus: Vasq., Pal., Tamb. dicunt, posse fieri vel danti, vel pauperibus, prout volet: Mol., Lug., Dian. distinguunt, si unus multum dedisset, huic restituendum; si multi dederint modica, restitui posse pauperibus, quia talis prudenter præsumitur voluntas eorum, qui dederunt.

QUÆSTIO III.

De Radicibus Restitutionis.

EX communi post D. Th. sententia duæ sunt rădices, seu capita, ex quibus oritur obligatio restitutionis stricte sumptæ, nimirum *Injusta acceptio*, & *Res accepta*. Per rem acceptam, intellige rem alienam, quomodocumque etiam bona fide apud te existentem, sive in seipsa, sive in æquivalenti. Per injustam acceptionem, intellige actionem peccaminosam, qua accipis, detines, vel destruis rem alienam. Hinc, qui bona fide rem illam apud se habet, sive in seipsa, sive in æquivalenti, dicitur possessor bonæ fidei, & tenetur ex re accepta; qui vero mala, vel dubia fide accipit, detinet, aut destruit, dicitur acceptor, possessor, aut damnificator malæ fidei, & tenetur ex injusta acceptione, &, si res extet, etiam ex re accepta. Præter has radices est tertia, nimirum ex Contractu, quæ tamen pertinet ad restitutionem late sumptam, & de his omnibus hic agendum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Ad quid teneatur poſſeſſor, ſeu deſtructor bonæ fidei ratione rei acceptæ?

DIco: Tenetur, ſtatimac ſcit, rem eſſe alienam, reſtituere eandem numero; ſi non extet, æquivalens, in quo ex ea factus eſt ditior. Si autem legitime præſcripſerit, ad nihil tenetur: Doctores communiter. Ratio eſt, quia poſſeſſor bonæ fidei debet ſervari indemnis ex communi Doctorum ſententia: ergo, ſi quando ſcit, rem fuiſſe alienam, legitime præſcripſit, poteſt in conſcientia retinere ut ſuam, juxta dicta q. 1. c. 3.; ſi nondum legitime præſcripſit, debet reſtituere eandem in ſpecie, ſi extet, (ut loquuntur Juriſtæ) hoc eſt eandem numero rem: quare non poteſt tunc juſte reſtitui alia numero diſtincta loco illius, etiamſi ſit ei æquivalens; quia res ipſa clamat ad dominum, & hic non poteſt cogi, rem ſuam permutare, ſi rationabiliter nolit; quod verum eſt, etiamſi ſuperaddatur aliquid ſupra juſtum pretium, ut ex communi ſententia notat Dicaſtill. contra Valerum apud Croix n. 115. Excipe tamen, niſi res ſit pecuniaria, aut alia unico uſu conſumptibilis, in qua ſola diverſitas numerica nullam faciat inæqualitatem, nec rationabilem reddat affectionem domini ad ſuam in individuo; tunc enim poteſt juſte reſtitui æquivalens: Dicaſtill., & Croix ibidem contra Covar., Med., & alios.

At, ſi res non extet, poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur ad æquivalens, in quo ex ea factus eſt ditior: hoc eſt, ſi ex ipſa habeat nunc aliquid, quod alioqui non haberet; ut, ſi illam vendidit, & nunc habet ejus pretium, aut rem aliam, cum qua permutavit; ſi eam conſumpſit, & ſic pepercit ſuæ rei, aut pecuniæ nunc exiſtenti. Si autem nihil horum exiſtat, ad nihil omnino tenetur, quia ſecus non ſervaretur indemnis: idemque eſt, ſi dubitet, an factus ſit ditior, quia melior eſt conditio bona fide poſſidentis: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 25. n. 37., Bonac., Trull., & alii. Hinc reſolvuntur ſequentes caſus.

I. Si quis bona fide utens aliena veſte pretioſa pepercit veſti ſuæ viliori, tenetur tantum reſtituere valorem ejus,

Digitized by Google

ejus, quod de ſua attriviſſet, quia in hoc tantum factus eſt ditior ex aliena. At, ſi ſua, cui pepercit, erat pretioſior, tenetur tantum reſtituere valorem ejus, quod de aliena attrivit, quia non eſt factus ditior ex aliena, ſed tantum occaſione illius pepercit ſuæ, & alter accipit, quod ſibi erat conſumptum: Lug. d. 17. n. 11. Si demum veſtem alienam putans eſſe ſuam, caſu, aut voluntarie, aut etiam culpabiliter combuſſit, ad nihil tenetur, quia nihil ex ea factus eſt ditior: Doctores communiter contra Adrian., & Sot. Idemque eſt, ſi eam alteri donavit; niſi quod tunc tenetur monere donatarium, ut eam reddat Domino, &, ſi aliquid ab eo redonatum habeat, reſtituere debet Domino veſtis, ſi non poſſit hic eam habere a donatario.

II. Si quis per annum bona fide comederit laute apud furem ex rebus furtivis, tenetur, cum reſcierit, reſtituere Domino ſolum valorem ejus, quod ipſe eo anno expendiſſet juxta ſuum ſtatum domi ſuæ comedens; quia in hoc tantum factus eſt ditior parcens rei ſuæ; imo probabile etiam eſt, neque ad id teneri, ſi res furtiva erat unico uſu conſumptibilis, & fur ſit potens aliunde reſtituere, quia Dominus ſic non habet jus ad eandem numero rem: Sayr., Trul., & alii cum Dian. p. 2. t. 5. r. 45. Similiter, ſi quis pecuniam furtivam a fure donatam bona fide accipiens expenderit in uſus extraordinarios etiam peccaminoſos, quos ipſe juxta ſuum ſtatum alioqui non decreverat facere, ad nihil tenetur, quia nihil ex ea factus eſt ditior; imo nec tenetur, etiamſi factus ſit ditior, vel eam nondum expenderit, ſi fur eam prius miſcuerat cum ſua, itaut diſcerni non poſſet, & nunc ſit aliunde potens reſtituere Domino; quia ſic non donavit ex alieno, ſed de ſuo, juxta dicta q. 1. c. 3.

III. Si bona fide emeris a fure equum Titii, & bona fide vendideris Paulo, & poſtea ſcias, fuiſſe Titii, non teneris ex juſtitia monere Titium, nec Paulum; ſi non poſſis recuperare pretium, quod furi bona fide dediſti; quia potes te ſervare indemnem: Leſs. c. 14. n. 30. Similiter, ſi compareat Titius, & Paulus non inveniatur, ad nihil teneris Titio, quia neque habes equum, neque ex eo factus es ditior, cum tanti vendideris, quanti emiſti: Leſs. n. 29. imo, ſi pluris vendideris, probabile eſt ex Mol. contra

Leſs.,

Digitized by Google

Leſs., & Sanch. apud Dian. p.3. t.5. r.41., quod nec teneris hunc exceſſum reddere Titio, quia videtur fructus induſtriæ. Similiter, ſi Paulus equum reſtituat Titio, antequam tibi exhibeat, probabiliter non teneris ei reddere ſuum pretium, ſi ideo non poſſis recuperare tuum a fure; quia aliter non ſervareris indemnis: Leſs.n.28. contra Sanch. l.2. *Decal.* c.23. n.28.

At, ſi Paulus comparente Titio exhibeat tibi equum ei reddendum petens, reſcindi contractum, & reddi ſibi ſuum pretium, Navar., Sylv., Cajet., Lop., & alii apud Sanch. n.16.,& apud Dian. p.2. t.15. r.11. probabiliter putant, te non teneri in conſcientia reſcindere, ſed poſſe cedere Paulo actionem tuam in furem, ſi prudenter ab eo recuperare poſſit ſuum pretium, ut limitat Lopez; quia non teneris tu, neque ex injuſta acceptatione, neque ex re accepta. Sed probabilius dicendum oppoſitum cum Sot., Sanch., Leſs., Bon., Buſemb., & aliis communius ex D.Th., quia teneris Paulo de evictione non ſolum pro foro externo, ſed etiam in conſcientia, ut notat Sanch. n.18. contra Navar.; neque pro ea potes remittere ad furem, cum quo Paulus nullum negotium geſſit: neque obſtat, quod non ſis factus ditior, quia obligatio reddendi pretium oritur in caſu ex contractu venditionis ferente natura ſua evictionem; ideoque, ſi nequeas pretium tuum recuperare a fure, tribuendum fortunæ, & caſui.

Quæres primo, An poſſeſſor bonæ fidei teneatur, præter rem alienam, reſtituere etiam fructus inde perceptos?

Reſpondeo, Fructus alios dici naturales, alios induſtriales, alios mixtos. *Naturales* ſunt, qui ex natura ipſius rei proveniunt abſque ullo fere labore, vel induſtria humana; ut ſunt fœtus animalium, fructus arborum, herbæ pratorum, ſylvæ cæduæ, pretium elocationis, quod dicitur etiam fructus civilis, &c. *Induſtriales* ſunt, qui non ex ipſa natura rei, ſed præciſe proveniunt ex induſtria hominis utentis re, tamquam inſtrumento; ut ſunt omnia inſtrumenta artium, item pecunia utpote natura ſua ſterilis; quare lucrum reportatum ex uſu inſtrumentorum, ex pecunia negotiationi expoſita, dicitur fructus induſtriæ: at non idem eſt ſecundum Mol., Leſs., & alios communiter contra Nav., & Lop. de lucro reportato ex tor-

Digitized by Google

torque aureo elocato ad usum, quia sic non se habet, ut instrumentum, sed veluti domus locata. *Mixti* demum sunt, ad quos notabiliter concurrit tum natura ipsius rei, tum hominis industria, ut segetes ex agro, vinum ex vineis, &c. v. Croix n. 205.

His expositis, Dico primo, Possessorem rei alienæ bona fide nullatenus teneri restituere fructus industriales, sive extent, sive non extent, sive etiam ex his factus sit ditior; quia non sunt fructus rei, sed propriæ industriæ: Doctores communiter. Dico secundo, Teneri restituere fructus tum naturales, tum mixtos, si extent (nisi forte eos legitime præscripserit juxta dicta q. 1. c. 3.) quia res, ubicumque sit, fructificat Domino suo: cæterum detrahere sibi potest valorem expensarum, laborum, &c.; imo ex mixtis retinere potest, quantum lucri respondet suæ industriæ, itaut, si hæc plus contulit, quam natura, plus retinere possit; si minus, minus: Croix n. 224., & alii communiter. Dico tertio, Si tales fructus non extent; tunc, si ideo non extent, quia eos vendidit, vel quia ipsemet consumpsit, tenetur restituere tantum, in quo factus est ditior, deductis deducendis; si autem ideo non extent, quia liberaliter donavit, vel quia culpabiliter etiam disperdidit, vel quia etiam culpa sua eos non percepit, & Dominus percepturus fuisset, non tenetur pro iis quidquam restituere, quia non inde factus est ditior, & ratione bonæ fidei debet servari indemnis: Less. c. 14. n. 12.

Quæres secundo, An possessor bonæ fidei teneatur restituere etiam melioramenta in re aliena facta?

Respondeo, Melioramenta alia esse intrinseca rei, alia extrinseca. *Intrinseca* dicuntur, quæ separari a re non possunt, ut implantatio arborum, inædificatio domus, specificatio, accessio, alluvio, &c. juxta dicta q. 1. c. 3. *Extrinseca* dicuntur, quæ salva re separari possunt, ut tabulæ, januæ, fenestræ, torcular, &c. Dico nunc, melioramenta extrinseca posse retineri, intrinseca vero debere reddi una cum re Domino rei; quia hæc, & non illa, evadunt idem cum re, & cedunt Domino rei, juxta ibid. dicta. Potest tamen possessor bonæ fidei exigere a domino expensas pro his factas, etiamsi non erant melioramenta necessaria, nec utilia, sed voluntaria, & ad meram voluptatem facta

Digitized by Google

facta, ut deambulacra, aliave ad ornatum, & delicias; quia debet etiam in his servari indemnis. Hinc, si ea magni valeant, & Dominus compensare nolit, poterit retineri res, donec compensentur, vel cogi Dominus ad rem sibi vendendam justo pretio. Noto tamen, eorum valorem non pluris æstimandum, quam est, & manet nunc auctus, quando ad Dominum redeunt, quia hoc tantum habet Dominus ex ejus expensis; quare non debet compensare, quantum olim fuerit expensum, sed quantum valent in præsenti; reliquum vero tribuendum fortunæ,& casui: Mol., Sanch., Lug.,& alii communiter ex *l.in fundo, ff. de rei vindicat.*

Quæres tertio, An possessor rei alienæ bona fide teneatur restituere Domino etiam lucrum cessans, aut damnum ei emergens ex carentia rei suæ?

Respondeo negative; Quia neque horum est culpabilis causa, neque ex his factus est ditior. Imo, etsi ipse ditior sit factus ex negotiatione alienæ pecuniæ, quod lucrum cessaverit Domino, neque tenetur de isto lucro, quia ex jam dictis est fructus industriæ. Similiter, si pecuniam alienam bona fide immiscuerat suæ, itaut discerni non possit, & nunc ejus valor creverit, non tenetur restituere augmentum, quia crevit ipsi, tanquam Domino, nec fuit in culpa, cur non creverit alteri? Similiter, si valor decreverit, & ea pecunia immixta jam fuerit cum sua, itaut discerni nequeat, non tenetur restituere, nisi secundum valorem præsentem; quia debet servari indemnis.

Excipe tamen primo: Si possessor bonæ fidei, postquam certo scit,rem esse alienam,sit in mora culpabili restituendi, tenetur ad lucrum ex nunc cessans, & damnum Domino emergens; quia ex nunc incipit esse malæ fidei: Secundo, si successerit, tanquam hæres immediatus, possessori malæ fidei, tenetur loco illius de damnis, & lucris; quia ex jure repræsentat ejus personam, adeoque sibi non suffragatur sua bona fides: Lug.d.17. n.79., secus vero, si successerit quovis alio titulo, juxta dicta q.1.c.3. Tertio, si rem bona fide vendiderit tertio, tenetur huic de damnis & lucris, si ea res postea a Domino suo per Judicem evincatur; quia sic tenetur, non ex re accepta, neque ex injusta acceptione, sed ratione evictionis: Croix n.18.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres quarto, Ad quid teneatur, qui dubia fide possidet rem alienam?

Respondeo, Possessorem dubiæ fidei non esse, qui probabiliter putat, rem, quam possidet, esse suam, quamvis probabiliter, imo etiam probabilius putet, esse alienam; sic enim est possessor bonæ fidei. Dicitur ergo possessor dubiæ fidei, qui nullam habet pro se rationem solide probabilem, sed tantum leves conjecturas. Hoc supposito, qui bona fide cœpit rem possidere, & deinde incipit dubitare, tenetur ex justitia inquirere Dominum, & interim servare rem una cum ejus fructibus. At, si post factam diligentiam adhuc perseveret dubium, remanet possessor bonæ fidei. Unde poterit rem sibi retinere, consumere, imo etiam alienare, admonendo tamen emptorem de tali dubio, utpote de vitio rei, & cum animo, ut, si deinde compareat Dominus, restituat id, in quo factus est ditior. Ratio horum est, quia *in dubiis melior est conditio possidentis*., ex *Reg. jur. in 6.* Neque obstat Regula illa C. *Ad audientiam*, *de Homic. In dubiis tutior pars est eligenda*; Nam hæc tantum in irregularitate est præceptiva, in reliquis est solum consultiva, ut notat Suar. *de Censur.* d. 24. sect. 6. Si autem dictam diligentiam non adhibuit, peccavit contra justitiam, & consequenter a tempore dubiæ fidei tenetur ex injusta acceptione, ut inferunt Mol., Sanch., Lug. d. 17. n. 34.

Si quis dubia fide incipit possidere animo sibi rem retinendi, incipit mala fide, quia peccat contra justitiam, exponens se periculo injustitiæ; ex quo tenetur diligenter inquirere dominum, eique rem cum fructibus, &c. restituere: Less. c. 14. n. 25. & alii communiter. Quod, si post adhibitam diligentiam remanet aliquid dubii, quod sit alterius, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, dividere, plus vel minus ei assignando pro ratione dubii; qui, si sit persona nota, ei sua pars est tribuenda; si vero sit ignota, pauperibus: Cajet., Sot., Med., Less. ibidem. Cæterum, si dubitans acceperit rem animo tradendi domino, non peccavit, quia sic fecit ei beneficium potius, quam injuriam; quamvis nec possit sic præscribere, cum noluerit absolute possidere; tenetur ergo inquirere dominum, a quo exigere potest pretium moderatum, quo forte rem eo ani-

Digitized by Google

mo emerit; &, si post moralem diligentiam dominus non inveniatur, probabile est, posse retinere, juxta dicenda q. 4. c. 1.

Quæres quinto, Ad quid teneatur, qui partim bona, partim mala fide possedit rem alienam?

Respondeo, Si mala fide prius possedit, sed nihil consumpsit, nisi postquam supervenit bona fides, non tenetur restituere, nisi ex re accepta, quantum ex ea re factus est ditior, & lucrum cessans, damnumque emergens pro tempore malæ fidei: Croix n. 241. Si vero tempore malæ fidei consumpsit rei partem, & postea in bona fide consumpsit reliquum, ad illam partem tenetur ex injusta acceptione, ad reliquum ex re accepta: Croix n. 240. Contra vero, si bona fide prius possedit, & postea in mala fide consumpsit, pro tempore bonæ fidei tenetur tantum ex re accepta, pro reliquo ex injusta acceptione: Doctores communiter ex *cap. Virgo*, 34. *q.* 2. *& l.* 23., *ff. de acquir. dom.* Hinc, si possessori bonæ fidei moveatur lis, quæ postea evincatur ab actore, huic tenetur in conscientia restituere fructus rei a se consumptos, aut percipiendos a tempore motæ litis, etiamsi ex his non factus sit ditior; quia tenetur ex injusta acceptione: Doctores communiter apud Illsun. ex *l.* 25., *ff. de hæreditatis petitione*, ubi dicitur, post motam litem omnes incipere esse tanquam possessores malæ fidei; ex fructibus autem consumptis ante motam litem restituere tantum debet id, in quo factus est ditior, quia ad hos tenetur tantum ex re accepta.

CAPUT II

Ad quid teneatur Possessor, seu Damnificator malæ fidei, ratione injustæ acceptionis?

POSSESSOR, seu damnificator malæ fidei in hoc maxime differt a possessore bonæ fidei, quod, cum sit causa formaliter culpabilis damni alterius, tenetur ex injusta acceptione, seu damnificatione servare dominum indemnem, etiam cum suo æquali damno, & a fortiori, etiamsi in nullo factus sit ditior: Doctores communiter ex jure naturæ. Hinc

I. Restituere debet rem inique possessam, & quidem can-

Digitized by Google

eandem numero, si extet, juxta dicta c. 1., nisi vero non possit eandem numero restituere sine manifestatione delicti occulti, aliave infamia, aut longe graviori suo incommodo, juxta dicenda q. 8.; tunc enim, si potest, debet restituere æquivalens: uti etiam, si res ipsa non exstet, etiamsi ex ea nihil factus sit ditior, nihilque ad ipsum pervenerit: imo, etiamsi deinde apud ipsum casu forte perierit, juxta infra dicenda: Doctores communiter cum D. Th.

II. Restituendi sunt omnes fructus (non quidem industriales, cum hi ex dictis non sint fructus rei) sed naturales, & mixti: etsi a possessore malæ fidei sint consumpti, venditi, donati, non collecti, aut per negligentiam amissi, nec ex his factus sit ditior; imo etiam eos, quos dominus per suam diligentiam ex ea re percepturus fuisset, & ipse non percepit, nec percipere potuit: ratio est, quia horum omnium fuit causa culpabiliter damnosa Domino, cui proinde restitui debent, vel in se, si extent, vel, si non extent, in æquivalenti, etiamsi in nullo factus sit ditior: Croix n. 216., cum aliis communiter, addens etiam, restituendos eos, quos ipse ex re percepit, quamvis Dominus per se percepturus non fuisset, quia res fructificat Domino suo: deducere tamen potest valorem expensarum, laboris, & industriæ; & ex mixtis probabiliter etiam deducere potest lucrum respondens industriæ: Croix n. 213. Notat tamen n. 224., inter expensas non esse computandos casus fortuitos, v. g. si inter labores in colendo agro alieno mortui sint boves, valor boum deduci non potest, cum non pertineat ad expensas ordinarias in ea cultura; quare non plus deduci potest, quam Dominus ipse fuisset ordinarie expensurus: Dicastil., Tamb. apud eundem. Contra vero non sunt restituendi fructus, quos nec ipse percepit, nec Dominus percepturus fuisset, quia sic nec tenetur ex injusta acceptione, neque ex re accepta. Neque sunt restituendi, quos Dominus illicite ex re sua percepisset, puta ex turpi lucro suæ ancillæ, nisi eam furatus fuisset; quia nullum habet jus ad fructus illicitos, ex *l.* 38., *ff. de rei vindic.*; si tamen fur tales fructus percepit, tenetur restituere; quia res, quamvis illicite, valide tamen fructificat Domino suo, ex *l.* 27., *ff. de Hæredit. petit.* Qua ratione Lug. n. 57., Sanch., Bon., & alii contra Sot., & Covar.

Digitized by Google

var. idem dicunt de fructibus, quos iniquus possessor culpa sua non percepit ex melioramentis a se factis in re aliena, quia debebantur Domino rei. Denique, si fur alienum triticum seminavit in agro suo, non tenetur restituere fructus segetis; quia sunt industriales, & potius agri, quam seminis, quod per se mortuum est, & ab agro vivificari debet: Lug., Dicast., Croix n. 214. Similiter, si fur alienum triticum alio deportavit, & ideo carius vendidit, non tenetur restituere hunc excessum; quia, quod carius sic vendiderit, est fructus industriæ: idem dic de lucro acquisito a fure ex negotiatione pecuniæ alienæ, ex usu alieni instrumenti, &c. Solvere tamen debet attritionem instrumenti; uti etiam lucrum cessans Domino in his omnibus, damnumque emergens, juxta mox dicenda.

III. Restituenda sunt omnia melioramenta, non extrinseca, sed intrinseca facta in re aliena inique possessa, quia cedunt domino rei, juxta dicta c. 1. Sed dubium est, an pro his teneatur Dominus aliquid compensare possessori malæ fidei? Negant Sanch. l. 2. *Decal.* c. 23. n. 143., & alii, quia hic debet culpæ suæ hoc damnum imputare; ideoque *l. 7. ff. de acquir. dom.* negatur ei actio in foro externo; cui legi putant Lug., & alii apud Croix n. 221.; posse Dominum etiam pro foro interno se accommodare, itaut nihil solvat de expensis, si res jam ad ipsum redierit. Equidem cum Less. c. 18. n. 113., & aliis probabilius censeo, aliquid in conscientia ei compensandum, minus tamen, quam valent arbitrio prudentis; & quidem non solum pro melioramentis necessariis, ut communius fatentur, sed etiam pro voluntariis, ad ornatum scilicet, & delitias factis: quia semper verum est, quod res redit ad dominum pretiosior; &, cum fur teneatur tantum restituere damnum per injuriam illatum, hoc restituto, æquum est, ipsi cætera arbitrio prudentium compensari: nisi vero ea ideo fecerit, ut dominus impotens compensare cogeretur ipsi relinquere; sic enim dolus non debet ei patrocinari: Croix n. 228.

IV. Restituendum est lucrum cessans, quod scilicet dominus ex sua re percepturus fuisset negotiatione, locatione, seminatione, cultura, &c., prout prudenter censeri possit, quod esset facturus, si suam rem habuisset: Item da-

Digitized by Google

damnum emergens, quod scilicet interim ex carentia rei suæ est passus, accipiendo v. g. ab aliis cum interesse, non solvendo debita, &c. Dubium est primo, An possessor malæ fidei teneatur hæc solvere, si nullatenus prævidit, nec prudenter suspicari potuit? Negant Pallau., & Espar. apud Illf. n.22., quia sic non videtur esse eorum causa culpabilis. Sed oppositum ab eodem ostenditur ex communi sensu, & praxi continuata utriusque fori, condemnantis reum ad valorem, tum lucri cessantis, tum damni emergentis, etiamsi hæc, aut eorum æstimatio sæpe sit ignorata, cum satis sit, si prævisa sint saltem confuse, itaut causando culpabilem injuriam ad hæc omnia saltem implicite se exposuerit. Dubium est secundo, An possessor malæ fidei teneatur etiam de his pro eo tempore, quo rem restituere non potuit? Affirmant Mol., Laym., Rebel., Lug. d.21.n.17., Les. c. 16.n.32., Tamb., & alii communius, quia injusta acceptio, quæ præcessit, adhuc est illorum causa pro dicto tempore. Sed Nav., Dian. p.1.t.2.r.34., & alii probabilius putant, tunc solum teneri, cum prævidens reddidit se voluntarie pro eo tempore impotentem; si secus, non videtur esse eorum causa culpabilis; quam sententiam Dicastil. apud Croix n.252. vocat probabiliſſimam, præsertim, si causa non restituendi fuit gravis necessitas, periculum infamiæ, &c., quia sic ea damna proveniunt non ex injusta acceptione, sed ex justa dilatione restitutionis. Eadem ratione, inquit Croix n.288., Fur, si postea incidens in extremam necessitatem, consumat rem, tenetur compensare sola lucra, & damna usque ad tempus necessitatis, & nihil aliud, nec ipsum valorem rei; nisi antea immiscuerat cum sua, quia sic consumpsit rem suam. Unde etiam fit, ad nihil teneri eum, qui furatus est uni equum, sed in via aggressus ab hostibus illum insiliat, itaut in fuga perimatur. Eadem ratione, ait Lug. d.18. n.43., quod, si res restituenda valebat 100., quando non poterat restitui, & postea, quando post justam dilationem restituitur, valet 80., satis est restituere valorem 80.

Quæres hic primo, Præcisa dicta impotentia, quantum restituendum sit pro re mala fide possessa, si ejus valor creverit, aut decreverit tunc, cum fit restitutio?

Respondeo, Id esse satis implexum. Equidem cum Mol.

Digitized by Google

Vaſq., Rebel., Tamb., & aliis cum Croix n. 230. cenſeo, taxandum eſſe ex damno illato, attendendo ad tempus, quo damnificator iniquus rem conſumpſit, aut alienavit, & etiam ad tempus, quo a domino fuiſſet conſumenda, aut alienanda : v. g. Titius furatus olim eſt pullum equinum valentem 10., qui poſtea factus equus valuit 50., nunc vero factus ſenex valet 8., & nunc velit reſtituere.

In hoc caſu dico, quod, ſi dominus fuiſſet illum pullum apud ſe uſque nunc ſervaturus, ſatis eſt, equum adhuc extantem ei reddere (compenſando tamen lucrum ceſſans, & damnum emergens intermedii temporis, juxta jam dicta) quia dominus non videtur paſſus aliud damnum: Doctores communiter contra Navar. Si autem fur equum illum alienavit, vel diſperdidit tunc, cum valebat 50., tenetur nunc pro eo reddere 50., etiamſi dominus fuiſſet eum ſervaturus uſque nunc, quo valet 8., aut venditurus tunc, cum valebat 10., quia, quando fur vendidit, aut diſperdidit, adhuc erat domini; ergo 50. ſpectabant ad ipſum: Croix n. 232., & alii communiter contra Bonac., cujus ſententiam Dian. vocat probabilem, Lug. improbabilem. Idemque eſt ex communi ſententia, ſi dominus venditurus fuiſſet eo tempore, quo valebat 50, quamvis fur ſervaverit uſque nunc, quia ſic dominus eſſet damnificatus in 50. Idemque dicunt Lug., Tamb., Croix, & alii communius contra Vaſq., & Turrian., ſi dominus tunc, cum valebat 50, eſſet donaturus; quia fur fuit cauſa culpabilis, ne ille ſic uteretur re ſua, qui uſus tanti valet, quanti ipſa res.

Eadem proportione diſcurrendum de frumento, pecunia, aliiſque rebus, quæ creſcunt, vel decreſcunt in valore extrinſeco: v. g. Si Titius olim furatus eſt triticum, quod dominus ſervaturus eſſet uſque nunc, ſatis eſt, nunc reſtituere eandem numero menſuram, quia in ea tantum damnificatus eſt dominus: Doctores communiter. At, ſi fur illud conſumpſit, vel vendidit tempore intermedio, quo valebat pluris, quam nunc, probabilius debet reſtituere ſecundum illum majorem valorem; quia ille major valor, etſi extrinſecus, tunc etiam ſpectabat ad dominum, ut recte dicunt Lug., Tamb., Croix n. 233. contra Laym., Dicaſt., & Leſs. c. 12. n. 105., quod certum communiter eſt, ſi dominus fuiſſet triticum conſumpturus, aut venditurus, aut dona-

Digitized by Google

donaturus eo tempore, quo valebat pluris, sive fur tunc illud consumpserit, sive usque nunc servaverit; quia semper verum est, quod damnificaverit in eo majorem valorem. Vice versa discurrendum est, si tunc valebat minoris, nunc pluris.

Si autem dubitetur, quanti res fuisset valitura, aut an a domino fuisset servanda usque ad tale, vel tale tempus, &c., Azor., Rebel., Vasq., & alii putant, judicandum esse in favorem domini, quia videtur possessio esse pro ipso. Sed Lug. d. 18. n. 133., Less., Tamb., & alii apud Croix n. 576. probabilius dicunt, esse restituendam partem summæ pro ratione dubii, judicio prudentium: addit Less., non credendum domino dicenti, se rem hoc, vel illo tempore venditurum fuisse, aut servaturum, &c., nisi adsint aliæ conjecturæ.

Quæres secundo, An iniquus possessor, seu fur teneatur restituere valorem rei alienæ apud se pereuntis, si eodem modo apud dominum fuisset peritura?

Respondeo primo, Si apud illum v. g. furem perierit, non solum absque ulla nova ejus culpa, sed communi incendio, terræmotu, alluvione, aliove communi casu, aut justa hostium incursione, itaut eodem prorsus modo peritura certo fuisset apud dominum, satis probabile est, non teneri restituere valorem talis rei; quia sic sine cujuspiam culpa periit; ideoque periit domino suo: Less. c. 12. n. 92., & alii communiter contra Palud., & alios Juristas: quare satis erit restituere valorem usuum, & fructuum, si quos dominus antea habuisset, quamdiu res fuit in manu furis. Dixi primo *Vel justa hostium, &c.*, nam si fuerit injusta contra dominum, tenetur fur de valore rei, quia sic obligatio, quam alius injustus invasor subiisset, translata est in ipsum furem ratione furti, & culpæ detentionis adhuc præsentis: Less. ibidem. Dixi secundo *Peritura certo, &c.*; quia si erat dubium, vel dominus erat antea alienaturus, consumpturus, &c., tenetur fur de valore rei; quia in dubio melior est conditio innocentis, &c. Less. ibidem.

Respondeo secundo, Etsi res periit culpa furis, si tamen periit eo loco, & tempore, quo alioqui absque ullius culpa peritura fuisset apud dominum, tunc, si fur certo, &

Digitized by Google

infallibiliter id præviderit, adhuc probabile est, non teneri de ejus valore; quia res in eo statu considerata domino nullius est pretii: Less. n. 93., Bonac., Tamb., & alii contra Mol., Laym., Lug., & alios: v. g. si incendas segetes alienas, quas certo vides mox eluvione obruendas, si interficias equum alienum, quem nullatenus salvare potes a justo hoste mox interficiendum, &c., nihil teneris restituere domino: & ob eandem rationem, inquit Less., si occidas hominem, qui certissime paulo post vi morbi, vel justa sententia erat moriturus, quamvis sis verus homicida, & irregularis, tamen non teneris de damno familiæ, &c. Dixi primo, *Eo loco, & tempore, &c.*; quia si furatus es v.g. equum e domo Titii, quæ paulo post casu conflagravit, cum qua etiam equus conflagrasset, teneris de ejus valore, si culpa tua, vel etiam casu apud te pereat, quia extra illud periculum mansit Titio, cœpitque rursus ei valere: idem est, si illum ex eo incendio eripias, & deinde perimas, vel iterum eo injicias: idem est, si annonam e naufragio eripias, & consumas, quia sic mansit in loco tuto, ut suppono, adeoque mansit domino suo: Less. n. 96. Dixi secundo, *Absque ullius culpa*; quia, si perimas equum Titii, occidas Titium, &c., quem certo scis alioqui perimendum, occidendum injuste ab alio, teneris restituere, quia, qui prævenit injuria, prævenit & obligatione restituendi: Bonac., & alii communiter. Dixi tertio, *Si certo præviderit, &c.*, quia, si non prævideris dictum incendium, teneris, valorem rei a te peremptæ restituere; quia absque tali prævisione res valebat justo pretio: Less. n. 95. Si autem aliquod ejus periculum subodoratus fueris, Tamb. l. 8. t. 3. c. 2. §. 8. n. 11. putat, teneri ad minus, quantum scilicet judicabitur a viro experto, ex illo periculo pretium rei diminui.

Denique noto cum eodem Tamb., quod, si fur possit rem a se ablatam eripere a communi incendio, tenetur eripere, non tantum ex charitate, ut putat Less., sed etiam ex justitia; quia, quamvis fur non sit custos, vel depositarius rei ablatæ: tamen, quia ex justitia tenetur eam restituere, ex eadem virtute tenetur non permittere impedimentum ad restitutionem, & consequenter tenetur de ejus valore, si potens a communi v. g. incendio, naufragio, &c. non eripiat.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres tertio, Quantum restituere debet pro rei valore, qui culpabiliter occidit v. g. pullum equinum, aut ovem, quæ allatura erat multos fœtus, aut præcidit arborem teneram, quæ productura erat multos fructus, aut conculcavit segetem in herba, &c.?

Respondeo cum Lug. d. 18. n. 81., satis esse restituere, quanti res illa æstimabatur tempore damni illati, puta 10., quanti tunc valebat ille pullus, &c.; modo tamen dominus hoc pretio comparare sibi possit pullum similem, vel erat illum hoc pretio tunc venditurus; quia sic datur æquale, & reparatur damnum illatum. At, si dominus non erat equum tunc venditurus, & eo pretio nequeat similem comparare, restituendum est, quanti valet spes, quod equus valiturus fuisset tempore futuro, deductis expensis, & periculis judicio viri prudentis; quia sic dominus injuste pateretur damnum futurum, & lucrum cessans ex causa illius pulli. Eadem dic de ove, planta, segete, &c.

CAPUT III.

Ex qua culpa injustæ damnificationis teneatur damnificator malæ fidei?

UT quis obligetur ad restitutionem ex injusta damnificatione, certum est, requiri culpam contra justitiam commutativam, quæque non solum affective, sed etiam effective fuerit causa efficax damni injuste illati, ut dictum est q. 2.

Quæres nunc primo, An, ut injustus damnificator teneatur in conscientia, & ante sententiam Judicis restituere, requiratur culpa theologica?

Respondeo affirmative cum Mol., Less. c. 7. n. 21., & aliis communiter, quia culpa theologica idem est, ac peccatum, quo offenditur Deus; ad differentiam culpæ juridicæ, quæ potest esse sine peccato, juxta dicenda c. sequ.; atqui tota obligatio restituendi ex injusta damnificatione oritur præcise ratione peccati, quod committitur contra justitiam: ergo, ubi in conscientia peccatum non committitur, etiamsi sit damnum secutum, nec onus restitutionis ex hac radice consurgit. Et ratio ulterior est, quia sic læ-

Digitized by Google

læsus non potest esse rationabiliter invitus; nam sicut quisque potest inculpabiliter pati damnum, ita & potest inculpabiliter illud inferre. Hinc, si ex subita ira correptus omnino inculpabiliter apud Deum occidas Titium, ad nihil teneris in conscientia ante sententiam Judicis: idemque est, si omnino inadvertenter sis causa cujusvis damni alterius, quia nulla interfuit culpa theologica.

Objicies primo, Qui alium inculpabiliter infamavit, tenetur ad restitutionem famæ, statim ac deinde advertit, ex communi Doctorum sententia: ergo non requiritur culpa theologica.

Respondeo, Nego consequentiam: tenetur enim talis infamator, non quidem quia peccavit infamando, sed quia peccat, si, statimac scit, non reparat infamiam a se positam; incipit enim tunc esse possessor, seu damnificator malæ fidei, si relinquat in aliorum animis pravam opinionem a se injectam. Sic, qui culpabiliter incendit segetem alienam, si, statimac advertit, non extinguit incendium, cum possit, tenetur de damno secuto, juxta dicta q. 2. c. 3. v. Lug. d. 15.

Objicies secundo, Multæ leges statuunt, reparari damnum, quamvis causatum absque culpa theologica: ut si tuum animal, vel mancipium inferat damnum alicui, teneris damnum restituere, vel animal, aut mancipium tradere, 1., & 2. Instit., & similiter si leonem deduxisti per viam, nec custodisti, ne noceat equo meo; si fodisti puteum in via, nec monuisti, ut caveam; si domo, vel e navi tua aliquid sit effusum, vel projectum, quod nocuit transeunti, si non fuit clamatum, teneris reparare damnum, & quidem in duplum; & aliæ similes leges apud Lug. d. 8. sect. 3., & 4.

Respondeo, Has leges probabilius non obligare in conscientia ante sententiam Judicis, quia non sunt acceptæ in hoc rigore, cum nemo videatur obligari ad exequendam in se talem pœnam propter actionem non imputabilem ad culpam: Croix n. 173., & alii. At post sententiam Judicis obligant in conscientia ad reparandum damnum secutum, & ad pœnam, etiamsi non adfuerit culpa theologica, quia sunt leges, non mere præsumptivæ, sed dispositivæ, ut docent communiter contra Rebel. Qua in re no-

Digitized by Google

nota, leges tunc dici præsumptivas, quando fundantur in præsumptione damni; quare si in casu damnum non sit secutum ex tuo animali, aut mancipio, sed omnino aliunde, non teneris in conscientia restituere etiam post sententiam Judicis contra te præsumentis, quia præsumptio cedit in foro conscientiæ veritati, ut bene notat Suar.; ideoque, si cogaris restituere, potes uti occulta compensatione, & alter non potest in conscientia retinere. Contra vero teneris in conscientia post sententiam Judicis restituere, si revera damnum secutum sit ex tuo animali, aut mancipio, &c., etiam absque tua culpa theologica, quia sic dictæ leges sunt dispositivæ, utpote quæ posita tali sententia, juste transferunt dominium rei tuæ in alterum ex voluntate Legislatoris sic disponentis ob bonum commune: v. Croix n. 173.

Quæres secundo, An ad obligandum damnificatorem ad restitutionem sufficiat culpa theologica venialis?

Respondeo, Culpam damnificatoris posse esse venialem ratione parvitatis materiæ, seu parvi damni illati, & posse esse venialem ratione semiplenæ advertentiæ, deliberationis, motus iræ secundo primi, &c., etiamsi damnum illatum sit grave. Si primo tantum modo sit venialis, certe obligat etiam sub veniali ad restitutionem, ut si quis culpabiliter occidat gallinam divitis. Si sit venialis secundo modo, probabilius non obligat sub mortali ad restitutionem, etiamsi damnum fuerit grave; quia jure naturæ ex culpa tantum veniali non potest nasci onus tam grave obligans sub mortali ad restituendum; ideoque si ex semiplena deliberatione, aut motu iræ secundo primo occidisti Titium, non teneris in conscientia, & ante sententiam Judicis sub mortali de damno illato: Sot., Nav., Sylv., Les., & alii apud Croix n. 185. contra Bon., Adrian., Covar., Vasq., Med., Pallav., & alios.

Addunt probabiliter Suar., Sanch., Les. c. 7. n. 28., neque in casu teneri sub veniali quidquam restituere; quia neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, neque juramentum, neque contractus, si procedant ex imperfecta deliberatione ullam inducunt obligationem, utcumque eorum materia sit gravis: ergo neque in casu injusta damnificatio, si sit imperfecte deliberata, potest esse cau-

Digitized by Google

causa obligationis perfectæ, qualis est certa obligatio restituendi sub levi: quamvis Sot., Croix n. 191., & alii probabilius putent, dari in casu obligationem sub levi ad partem damni proportionatam culpæ secundum judicium prudentium. At in dubio, an culpa in casu fuerit venialis, an mortalis, Less. apud Croix n. 186. dicit, censendam esse mortalem, nisi aliud constet: Bon. dicit, restituendum esse dimidium damni. Tamb. l. 1. c. 3. §. 7. v. *Depositum* citans Sanc., & D. Th., ait, probabile esse, ad nihil teneri, quia in dubio nemo præsumitur graviter peccare, quod a fortiori procedit, si dubites, an adfuerit simpliciter culpa theologica.

Quæres tertio, An ad obligandum damnificatorem sub gravi ad restitutionem requiratur culpa externa gravis? Respondeo affirmative, quia obligatio restitutionis oritur ex damno effective illato: ergo, ut ea sit gravis, requiritur peccatum externum grave, seu actio externa sufficiens ad tale damnum grave. Hinc inferunt Sanch. l. 1. *Consil.* c. 4. d. 5. n. 4., Less. c. 9. n. 219., Tamb. *de Restit.* c. 2. §. 5. n. 13. contra Lug., & alios, quod, si actio externa fuerit secundum se tantum venialis, quamvis adfuerit intentio mortalis, non obligat sub gravi ad restitutionem gravis damni secuti: v. g., inquit Tamb., si fureris quatuor obolos ab avaro, eo animo, ut ille ex mœrore amissæ pecuniæ conficiatur, qui de facto conficitur, non teneris, nisi sub levi ad obolos, quia actio externa secundum se non fuit causa sufficiens ad causandam talem mortem, & illa intentio neque per se est causa mortis, neque ut inducens illam actionem externam, utpote insufficientem: unde etiam sequitur contra ipsum Tamb., quod neque in casu incurri debeat irregularitas, aut alia pœna ecclesiastica, cum culpa externa sit de se levis.

Similiter, si adhibita sufficienti diligentia ad vitandum mortale, sed non tanta, ut sufficiat etiam ad vitandum veniale, in venatione etiam per canones prohibita occidas feram putatam, animo tamen occidendi inimicum, si ibi adesset, qui de facto ibi adest, & occiditur, non teneris de damno secuto; quia actio externa, etsi fuerit graviter peccaminosa contra obedientiam Canonis, non tamen contra justitiam; intentio vero non influxit absolute in homi-

Digitized by Google

micidium, cum fuerit mere conditionata: Doctores cit.

Similiter, inquit Tamb., si veneno infeceris poculum vini animo occidendi Titium, sed illud posueris in loco remotissimo, quo prudenter non putabas, Titium accedere; sed Titius aliud agens eo accessit, sumpsit, ideoque mortuus est, tu ad nihil teneris; quia tua actio externa non fuit de se causa sufficiens talis mortis; imo si illud posueris quidem ante Titium, sed Cajus id ignorans illud præripiat, & tu, ne scelus tuum prodas, non impedias, non teneris de morte Caii, quia in effectu non es ejus homicida, cum ejus mors non fuerit tibi voluntaria; non enim id prævidere potueras, ut suppono, nec tenebaris impedire cum tanto tuo periculo: Croix n. 202.

Quæres quarto, Ad quid teneatur, qui damnum intulit Titio, putans, & volens inferre Cajo?

Respondeo, Si volens v. g. incendere domum Caii, incendas domum Titii putans, eam esse Caii, communis sententia cum Sanch. l. 2. c. 23. n. 157., Bonac., Haun., & aliis contra Mol., Tamb., & alios docet, teneri ad restitutionem Titio ex injusta acceptione, quia formaliter es injustus damnificator, & error est tantum circa circumstantiam dominorum; si occideris Titium, putans, eum esse Cajum, quem intendebas occidere, Fagund., Lug, Tamb. dicunt, probabile esse, quod ad nihil tenearis, quia error personæ est hic error circa substantiam: Mol., & Rebell. dicunt, teneri ad partem restitutionis, quia minor fuit injuria, quam si sciviſses esse Titium; sed Bonac., Busemb., Haun., & alii communius, & probabilius dicunt, teneri ad totam restitutionem; quia vere gravis damnificatio externa oritur a voluntate absoluta occidendi hominem injuste; ideoque incurritur etiam irregularitas, &, si erat Clericus, excommunicatio, juxta dicenda de Censuris: Similiter, si videns Titium, & putans esse Cajum, ex odio in Cajum, dicas, *Iste homo est adulter*, teneris restituere famam Titio: Croix n. 203.

Quæres quinto, An damnificans ex ignorantia teneatur ad restitutionem?

Respondeo, Si ignorantia sit culpabilis, utique teneri; quia ea reddit actionem peccaminosam in causa. Qua ratione etiam qui per experientiam scit, se in ebrietate, vel so-

Digitized by Google

ſomno ſolere cauſare damna, & ſe inebriet, vel indormiat non ponendo ſufficientem cautelam, tenetur ea reſarcire, ſi in ebrietate, vel ſomno cauſaverit; quia ſic cenſetur ea culpabiliter velle in cauſa: non vero, ſi ea non fuerint prævisa, aut ſi ſufficiens cautela fuerit adhibita: Croix n. 193. Si vero ignorantia fuerit inculpabilis, non teneris ad reſtitutionem damni ſecuti, quia excuſat a peccato actionem damnificativam: idque verum eſt apud omnes, ſi talis ignorantia fuit antecedens, hoc eſt talis, ut niſi adeſſet, damnificatio certe non fieret; ſi autem ſit comitans, hoc eſt talis, ut ſi non adeſſet, adhuc damnificatio fieret, etiam ſatis probabile eſt, non teneri ad reſtitutionem, ut dictum eſt de eo, qui occidit feram putatam, etſi habeat animum etiam occidendi inimicum, ſi ibi adeſſet, qui tamen adſit, & occidatur: Leſſ., Mol., Tamb., Bon., & alii.

At quid dicendum de eo, qui ſcienter intulit damnum, quod in ſe eſt grave, ſed invincibiliter ignoravit, eſſe tam grave? v. g. Si Titius projecit in mare gemmam Caii valentem 100., quam tamen ipſe putabat non valere, niſi 10. Lug. d. 8. n. 63., Pallav., & alii putant, teneri reſtituere integros 100. Sed probabilius Croix n. 194., & alii apud Dian. p. 11. t. 2. r. 34. putant, non teneri, niſi ad 10., quia non fuit cauſa culpabilis, niſi illorum 10., exceſſum autem ne confuſe quidem novit, aut noſſe potuit, ut ſuppono; etſi etiam teneatur de lucro ceſſante, & damno emergente ex illis 10., cum id confuſe ſaltem noverit, juxta jam dicta. Neque obſtat huic ſententiæ, quod juſtitia reſpiciat medium rei; nam reſpicit medium rei ut cognitæ: qui ergo ignoraverit rem, ſeu jus alterius valere 100., ſed 10., non tenetur, niſi ad 10. cum in hoc tantum formaliter læſerit: Croix n. 194.

CAPUT IV.

Ex qua culpa teneatur quis reſtituere ratione contractus, aut quaſi contractus?

EX contractu tenetur commodatarius, depoſitarius, pignoratarius, conductor, &c. de re commodata, depoſita, pignorata, conducta, &c. Ex quaſi contractu te-

Digitized by Google

tenetur cuſtos, tutor, curator, procurator, artifex, mandatarius, officialis, &c. de rebus ſibi commiſſis. Certum autem eſt, hos omnes ad nihil teneri, ſi res v.g. commodata, depoſita, &c. apud eos perierit caſu, & fortuito abſque ulla eorum culpa, niſi aliter expreſſe pactum ſit de aſſecuratione; quia quæque res domino ſuo perit, ſi nulla interceſſit alterius pactio, aut culpa: Doctores communiter, ex *c. un. de commodato*.

Culpa autem alia eſt theologica, alia juridica. Theologica ex dictis eſt eadem, ac verum peccatum, quo in conſcientia offenditur Deus ſive mortaliter, ſive venialiter. Culpa juridica eſt omiſſio diligentiæ jure debitæ, ex qua omiſſione ſequatur damnum, ſive ea omiſſio fuerit culpabilis, ſive inculpabilis theologice, & in conſcientia apud Deum; & hæc culpa eſſe poteſt triplex, lata, levis, & leviſſima: *Culpa lata* eſt omiſſio diligentiæ adhiberi ſolitæ ab hominibus ejuſdem conditionis, v. g. ſi librum commodatum relinquas ante oſtium, & ſic deperdatur; quod ſi relinquas in domo furis, dicitur, & culpa latior, & dolus præſumptus: &, ſi in manu furis, dicitur quoque culpa latiſſima, & dolus apertus. *Culpa levis* eſt omiſſio diligentiæ adhiberi ſolitæ ab hominibus diligentioribus, ſeu prudentioribus ejuſdem conditionis; ut ſi eum librum relinquas domi, ſed aperto oſtio. *Culpa leviſſima* eſt omiſſio diligentiæ adhiberi ſolitæ ab hominibus ejuſdem conditionis diligentiſſimis, ſeu prudentiſſimis, ut ſi eum librum relinquas domi clauſo oſtio, ſed deinde non tentes manu, an bene ſit clauſum.

His expoſitis, ſi contractus ſit in commodum ſolius dantis, alter, qui rem accipit, tenetur juridice tantum ex culpa lata: v.g. Depoſitarius, qui gratis ſuſcepit rem apud ſe depoſitam, tenetur tantum ad ejus valorem, ſi eam ante fores reliquit, & ſic deperdatur; non vero, ſi reliquit domi, quamvis aperto oſtio, &c. Si contractus ſit in commodum ſolius accipientis, is tenetur juridice ex culpa lata, levi, & leviſſima, ut commodatarius, cui gratis res commodatur: excipe tamen precarium, quod, licet ſit in bonum ſolius accipientis, tamen, cum ſit ad nutum dantis, obligat juridice tantum ex culpa lata, ut notat Croix n. 179., ex *l. Quæſitum, ff. de Precario*. Si demum contractus

ſit

Digitized by Google

sit in commodum utriusque, qui acccipit rem, tenetur juridice ex culpa lata, & levi, ut conductor, socius, &c. Cæterum in quasi contractibus, ut in officio Advocati, Medici, Curati, Artificis, Consultoris, Judicis, &c. probabile est, obligationem restituendi juridice esse tantum ex culpa lata; quia nemo tenetur in officio, vel artificio esse diligentior, quam passim homines ejusdem conditionis esse solent: Less. c.7. n.1., Bonac., & alii: limitat Nav., nisi sint stipendiati, cum sic videantur etiam teneri ex levi; quod verum est, inquit Bon. q.2. p.7. n.20., si quis professus sit se aliis diligentiorem, ideoque alterum ad se pertraxit; sic enim implicite promittit, se præstare plus, quam alii præstant; si secus, quamvis ratione stipendii teneatur ad diligentiam majorem, non tamen absolute de levi.

Quæres nunc primo, An, si res per contractum accepta pereat apud accipientem ex ejus culpa juridica, sed absque culpa theologica, teneatur is ad restitutionem?

Respondeo, Tres esse hac in re sententias. Prima docet, teneri in conscientia, etiam ante sententiam Judicis, imo etiam antequam alter exigat: ita Less. cap. 7. Vasq., Onn., Bonac., & alii, quos refert, & sequitur Fagun. Secunda docet, non teneri in conscientia ante sententiam Judicis, sed non antequam alter exigat: ita Croix n.177. & alii apud ipsum. Tertia docet, non teneri in conscientia, nisi post sententiam Judicis: ita Sot., Henr., Lug., Tamb., & alii, quos refert, & sequitur Illf. dicens, esse tutam in praxi, & Less. ait, non esse improbabilem: & ratio hujus sententiæ est, quia, si non adfuit culpa theologica, leges de culpa juridica, vel sunt pœnales, vel non sunt in usu ante sententiam Judicis receptæ; cum lumen naturæ dictet, non esse ex se ipso damnandum ad restitutionem rei gravis eum, qui graviter non deliquit. Neque dicas, obligationem in casu oriri ex contractu, quo contrahens implicite saltem se adstrinxit his legibus; nam etiamsi radicaliter ex contractu, tamen formaliter oritur ex delicto, nec contrahens videtur tacite se obligare ad restitutionem rei apud se pereuntis sine suo delicto, ut ait Tamb.

Hinc, si depositum pereat apud depositarium, eo quod omnino inadvertenter illud reliquit ante ostium, juxta

hanc

Digitized by Google

hanc ſententiam non tenetur compenſare ejus valorem domino, niſi poſt ſententiam Judicis; quia, etſi adfuit culpa lata juridica, non tamen theologica, cum non peccaverit in conſcientia apud Deum: idem dic proportione ſervata in reliquis contractibus. De quaſi contractibus eſt magis commune etiam ſecundum Leſs., Vaſq., & alios contra Dicaſtill., cum in his adſit ſolum pactum implicitum de bene adminiſtrando officio, artificio, &c., ſive hæc quis exerceat gratis, ſive cum ſtipendio, ſalario, &c.

Quare ante ſententiam Judicis non tenetur de damno ſecuto famulus, qui omnino inadvertenter reliquit fores domini apertas, unde fures domum expilarunt. Nec Tutor, Medicus, Judex, Cuſtos, Procurator, & ſimiles ex officio tenentur compenſare, ſi abſque culpa theologica permiſerunt alterius damnum. In dubio autem, an adfuerit culpa theologica, Merol., & alii apud Croix n. 573. obligant ad reſtitutionem; ſed Lug. d. 18. n. 14. cum aliis excuſat, quia delicta non præſumuntur: idemque eſt, ſi dubium ſit, an culpa theologica fuerit mortalis, an venialis, juxta dicta cap. ant.

Excipe tamen primo, Si quis rem ex contractu detinens ſit in mora culpabili reſtituendi tempore debito; ſi enim in tali mora caſu res pereat, tenetur de ejus valore, &c.; quia ſic eſt cauſa culpabilis in mora. Secundo, Similiter tenetur, ſi uſus ſit ea re contra voluntatem Domini, vel non eo loco, quo erat conventum, ſed alio, ubi erat majus periculum, & ideo periit: v.g. ſi accepiſti vas argenteum, ut utaris domi tuæ, & foras extuliſti, ubi caſu periit; quia ſic peccaſti in cauſa contra juſtitiam: Doctores communiter. Tertio, Si aliter expreſſe conventum ſit, ut ſcilicet tenearis etiam de caſu fortuito, &c., ut initio eſt dictum. An autem contrahens teneatur ſolvere pœnas impoſitas non ſervantibus contractum, officium? &c. Dico, ſi pœna ſit legalis, hoc eſt impoſita a lege, non eſſe ſolvendam, niſi poſt ſententiam Judicis, etiamſi adfuerit culpa theologica: imo poſt ſententiam ſatis eſt, eſſe paratum ſolvere, cum nemo teneatur eſſe ipſe executor. Si pœna ſit mere conventionalis, hoc eſt impoſita ſibi a contrahentibus, nullatenus eſt ſolvenda, niſi adſit culpa theologica: ſi hæc adſit, probabile eſt, neque eſſe ſolvendam, niſi poſt ſententiam

Digitized by Google

Judicis, quia videtur debitor tantum dediſſe alteri jus ad ſe cogendum coram Judice: Sanch., Pal., & alii contra Suar., Mol., Bonac., & alios, juxta dicta de Contr.

Quæres ſecundo, An, qui habet rem alienam ex contractu, teneatur ejus valorem reſtituere, ſi ea perierit, eo quod non poterat eam ſervare abſque jactura rei propriæ?

Reſpondeo cum Lug. d. 8. n. 139., Bon., Tamb., & aliis: ſi v.g. in incendio, tempeſtate, &c. negligas res tibi commodatas, depoſitas, &c., ut ſerves res tuas pretioſiores, vel etiam æque pretioſas, non teneris ad reſtitutionem, quia nullus tenetur ad expenſas extraordinarias pro conſervatione rei alienæ, quocumque tandem contractu apud ſe habeat, niſi expreſſe pactum ſit de aſſecuratione: ergo non tenetur ſervare rem alienam cum detrimento rei ſuæ æque, vel magis pretioſæ, quando non ſperat rei ſuæ pretium recuperare. Si tamen res tua ſit vilior, tunc debes rem alienam pretioſiorem præferre tuæ, ſaltem ſi per jacturam tuæ non ſis incurſurus notabile detrimentum, quia ſemper in prædictis contractibus more humano factis imbibitur aliqua obligatio ſervandi rem cum aliquo incommodo, v. g. ad alendum equum tibi commodatum: unde infertur, te obligari ex juſtitia præferre in caſu equum cum jactura rei tuæ, quæ æquivalet illis alimentis; & ſic proportionaliter in reliquis contractibus. Dixi *Saltem, ſi per jacturam rei tuæ, &c.* Nam, ſi per eam incurſurus ſis notabile detrimentum, non teneris præferre rem pretioſiorem alterius, ob datam rationem; quia nemo intendit in contractu ſe obligare ad notabiles, & extraordinarias expenſas, niſi expreſſe id exprimat, vel prudenter cenſeat, ſe recuperaturum à domino rei, &c. Lug. n. 140. addens, hæc omnia recte procedere pro foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis, quidquid ſit pro foro externo, cui nonniſi poſt ſententiam parendum.

Ex dictis infers, quod, qui in tempeſtate projicit merces alienas, ſi nullas proprias habet, ad nihil tenetur, etiamſi eas habeat apud ſe depoſitas ex contractu (excepto pacto aſſecurationis) quia jure naturæ quiſque poteſt a ſe repellere impedimentum, ne ſe poſſit ſalvare in extremo periculo: ſic, ſi quis fugiens perfodiat parietem, vel conculcet ſegetes, aliter ſe ſalvare non valens, non tenetur reſtituere;

Digitized by Google

tuere; nec ille, qui, ut hostem fugiat, insilit in equum alienum, qui in fuga perimitur; non enim hi tenentur ex re accepta, quia nec extat, nec facti sunt ditiores; neque ex injusta acceptione, quia jus habent ad accipiendum: Less. c.12. n.138.

Si autem, qui projicit alienas, habeat etiam suas, quas non projicit, tunc, si alienas habeat apud se ex delicto, tenetur integras restituere: si habeat ex contractu, recurrit doctrina jam posita in responsione ad quæsitum: si neque habeat ex delicto, neque ex contractu, tenetur pro sua parte ad restitutionem, itaut omnes, qui ibi habent merces, teneantur pro sua parte; quia omnes cooperantur ad navis depressionem ex *l.* 2., *ff. de Jactur.* Sed dubium hic est, an teneantur pro suarum mercium pondere, an pro æstimatione? v.g. si eæ sint gemmæ, alienæ vero triticum, &c., Less. n. 137. ait, quod attento jure naturali tantum habenda est ratio ponderis, quia hoc est, quod affert navi periculum; attenta vero lege positiva habenda est ratio æstimationis, itaut quisque pro mercium suarum pretiositate conferat ad compensandum ei, cujus merces sunt projectæ; quia, quo magis merces sunt pretiosæ, eo pluris interest ejus, cujus sunt, ut navis salva fiat: quæ ratio certe habet aliquid æquitatis. Si tamen hæc lex absit, alterum videtur servandum: ita Less. ib.

QUÆSTIO IV.

De Re restituenda.

IN rebus restituendis specialem difficultatem habent: Primo, Bona incerta, seu quorum dominus est incertus, vel ignoratur: Secundo, Bona adespota, seu quorum nullus est dominus: Tertio, Bona communia, seu nullius particularis propria, & de his omnibus est hic agendum.

CAPUT I.

An Bona incerta sint restituenda?

BONA incerta dicuntur, quæ dominum habent, sed vel incertum, vel ignotum. Incertum dominum

Digitized by Google

habet res, quæ certo ſcitur, deberi uni, vel aliquibus ex pluribus, ſed neſcitur cui, vel quibus illorum determinate debeatur. Ignotum dominum habet res, quæ certo ſcitur, deberi alicui determinate, ſed ignoratur, quis ille ſit, vel ubi ſit: & hæc res poteſt eſſe reſtituenda, vel ratione injuſtæ acceptionis, ut ſi eam furatus es a viatore tibi incognito; vel ratione tantum rei acceptæ, puta ratione contractus juſti, bonæ fidei, aut inventionis; ut annulus inventus in platea, qui præſumitur ſine dubio habere dominum, ſed ignoratur, quis ſit, ideoque in jure dicitur haberi *Pro deperdito*. His expoſitis

Quæres primo, An reſtituenda ſit res habens dominum incertum?

Reſpondeo affirmative, Quia poteſt aliquo modo reſarciri jus domini: hinc, ſi ſcias, eam pertinere ad unum v.g. ex duobus, vel tribus, ſed ignores, ad quem eorum determinate pertineat, dividenda eſt inter illos, ſi conſentiant; ſi non conſentiant, deponenda eſt, ut a Judice uni aſſignetur, vel dividatur.

Si vero res pertineat ad multos particulares ejuſdem Communitatis, qui tamen cognoſci nequeunt, Vaſq., & Eſcob. apud Buſemb. dicunt, poſſe diſtribui pauperibus ejuſdem Communitatis: ſed communis ſententia docet, dividendam eſſe in ſingulos illius Communitatis pro damno accepto, quantum fieri poteſt. Sic venditor, qui in pretio, vel menſura fraudavit multos ementes minutiores cibos, nec poteſt ſcire, quem in particulari læſerit, ſcit tamen, fuiſſe ex hac vicinia, ex hac Civitate, &c. poteſt minori pretio, aut pinguiori menſura vendens iiſdem, vel fere iiſdem ſatisfacere, vel alio ſimili modo, quouſque judicio prudentis damnum compenſetur.

Similiter, quando in bello injuſto Civitas deprædatur, reſtitutio fiet, vel Magiſtratui, vel Epiſcopo, vel Viro probo, qui dividet in ſingulos cives pro damno accepto, quantum fieri poteſt. Eadem dic de uſurario, qui plures læſit, ſed nunc incertos: Lug. d. 6. n. 148. Addo tamen, in his caſibus fieri poſſe compoſitionem cum Papa, juxta dicenda q. 8.

Quæres ſecundo, An reſtituenda ſit res injuſte accepta, cujus Dominus ignoratur?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo affirmative; Quia injuſta acceptio nunquam facere poteſt rem tuam. Hinc ante omnia adhibenda eſt moralis diligentia pro inveniendo Domino, eique tradenda; ſi autem is inveniri nequeat, diſtribuenda eſt pauperibus, ex cap. *Cum tamen*, *de Uſur.*, poteſtque peti, ex dicendis, compoſitio cum Papa. Nomine autem pauperum veniunt hic non ſolum mendici, ſed etiam, qui non habent decentia ad ſuum ſtatum: item loca pia: item Animæ Purgatorii; imo etiam ipſe reſtituens, ſi ſit pauper, itaut poſſet etiam ſibi retinere, ſi debitis ultra vires gravatus eſſet: Lug. d.20.n.8. Si autem alicubi ſit ſpeciale ſtatutum, ut fiat talis reſtitutio ſecundum diſpoſitionem Epiſcopi, vel Confeſſarii (ut Mediolani ait eſſe Bonac.) ſtandum ibi eſt ſtatuto.

At quid agendum, ſi poſtquam res pauperibus eſt applicata, Dominus compareat? Ut hoc dubium recte decidatur, videndum, an applicatio facta ſit ante, an vero poſt adhibitam debitam diligentiam pro eo inveniendo? Si primo modo; tunc, ſi res extat apud pauperes, locum pium, &c., hi tenentur eam reddere Domino, & in horum defectu tenetur ille, qui applicavit; quia ſic non poterat transferri dominium, cum Dominus eſſet rationabiliter invitus de omiſſa diligentia. Similiter, ſi res bona fide ſit conſumpta jam a pauperibus, nec aliquis ex ea factus eſt ditior, tenetur, qui ſic applicavit, reſtituere ejus valorem, quia fecit injuriam ſic applicando: quod verum eſt, etiamſi ipſe fur, non præmiſſa dicta diligentia, bona fide applicavit, quia tenetur ratione injuſtæ acceptionis: Doctores communiter. Ex qua ratione idem ait Croix n.97., etſi furi Confeſſarius bona fide, ſed non præmiſſa debita diligentia, dixerit, ut rem daret pauperibus, ſi data ſit, & conſumpta; quamvis in hoc contradicat Tamb., juxta dicenda q.8. Si vero res applicata ſit pauperibus ſecundo modo, Sot., Nav., Henr., Ledeſ., & alii cum Lug.d.21.n.101. dicunt, non eſſe quidquam reſtituendum Domino, quamvis res adhuc exiſtat; quia pauper acquiſivit dominium, cum applicata ſit, quando Dominus non poterat cenſeri rationabiliter invitus. Contradicunt Mol., Laym., Pal., & alii cum Dian. p. 11. t. 8. r. 12.; quia ea applicatio adhuc videtur facta conditionate, *Si non compareat Dominus*;

Digitized by Google

alioquin ejus negotium fuiſſet male geſtum. Utraque ſententia eſt probabilis, quamvis ſecunda videatur probabilior: Croix n.95.

Quæres tertio, An reſtituenda ſit res inventa, cujus Dominus ignoratur?

Reſpondeo, Inventorem ante omnia teneri ex Juſtitia adhibere moralem diligentiam pro inveniendo Domino, ad quem res deperdita clamat. Hæc diligentia debet eſſe humano modo major, vel minor ſecundum majus, vel minus rei pretium; itaut, ſi res ſit magni momenti, teneatur inventor facere, ut aliquoties promulgetur e pulpito, ut affigatur ſcheda publice id notificans, aut ut imprimatur in novellis publicis: Lug. d. 6. n.138. Si autem ſit res minoris pretii, curet, ut promulgetur v. g. per ſcholas, in vicinia, in Tribu, aut ubi eſt frequentia hominum, & probabiliter poteſt adeſſe rei Dominus. Non debet autem ſtatim credere dicenti, eſſe ſuam, niſi ex aliis ſignis ſit prudenter credibile; quia, ſi plures æque credibiliter dicant, eſſe ſuam, dividenda inter illos, ſi conſentiant; ſi non conſentiant, deponenda apud Judicem, vel in pauperes diſtribuenda, ut addit Bonac. Pro inventione autem ipſa nihil debetur inventori ex juſtitia, niſi expenſæ, & labores ab eo facti pro cuſtodia, pro diligentia, &c.; quia res integra manſit domini. Si tamen ſit conſuetudo, vel lex, vel promiſſio aliquid amplius dandi, quod vulgo dicitur *Beveraggio*, tenetur ex æquitate dominus dare: Bon., Dian., & alii apud Croix n.88.

At quid, ſi adhibita jam morali diligentia, dominus non inveniatur? Communior ſententia cum D.Th., Mol., Leſs., & aliis docet, dandam eſſe pauperibus pro domino, qui tunc ſic velle præſumitur. Sed Sot., Ledeſ., Sa, Mend., Eſcob., Tamb., & alii apud Croix n. 89. probabiliter dicunt, poſſe tunc retineri, & conſumi ab ipſo inventore; quam ſententiam Dian. p.2. t.3. r.5. dicit in praxi tutam: & ratio eſt, quia potius prudenter præſumitur dominus, qui ſciri nequit, velle, ut inventor rem ſibi retineat, & conſumat, cum obligatione reſtituendi ſaltem, in quo factus eſt ditior, ſi deinde ipſe reſciatur; nam, ſi inventor nihil ex ea habere poſſit, niſi moleſtiam in inquirendo domino, in diſtribuendo pauperibus, &c., facile fiet, ut rem relin-

Digitized by Google

relinquat, ubi jacet; quod cederet in damnum domini. Neque obstat cap. *Si quid*, 14. q. 5. c. 6. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Nam ſecundum Trul., & alios intelligitur de eo, qui retinet animo non reddendi domino noto: item de eo, qui retinet non præmiſſa prius diligentia pro eo inveniendo: item de eo, qui præmiſſa etiam diligentia retinet, & conſumit, ſed animo non reddendi, in quo factus eſt ditior, ſi dominus poſtea compareat; quia in his omnibus peccat contra juſtitiam. Cæterum, ſi juſte ſecundum dicta retineat, aut conſumat, non peccat, & elapſo tempore præſcribere poteſt, tanquam poſſeſſor bonæ fidei.

Quæ dicta ſunt de inventore, dic pariter de habente apud ſe rem alienam ex contractu juſto v.g. depoſiti, cujus dominus ignoratur; ſi enim facta morali diligentia dominus inveniri nequeat, probabile etiam eſt, retineri, & conſumi poſſe; cum animo tamen reddendi, in quo factus ſis ditior, juxta jam dicta: Tamb. *de circumſt. reſtit.* c. 1. §. 3. n. 31., qui etiam §. 8. n. 7. idem probabiliter ait, etiamſi ſciatur dominus, ſed ignoretur, ubi ſit, nec ſpes ſit, ut redeat, nec admoneri, nec expectari poſſit; quia tunc res comparatur rei habenti dominum ignotum. Suadet demum Lug. d. 6. n. 151., quod, ſi dominus rei præſumi poſſit eſſe mortuus, procurari ex re inventa, aut juſte habita miſſas pro eo; quia talis tunc ejus voluntas præſumitur.

CAPUT II.

An ſint reſtituenda Bona Adeſpota, ſeu quæ dominum non habent?

HÆc bona alia ſunt, quæ nunquam habuerunt dominum, ut feræ, venæ metallicæ, rudes lapilli, gemmæ, corallia, & ſimilia inventa in inſulis, promontoriis, litore maris. Alia ſunt, quæ dominum habuerunt, ſed nunc non habent, ut theſauri, bona vacantia, aliaque, quæ in jure dicuntur *pro derelicto*.

Quæres primo, An ſint reſtituendæ feræ, quæ venatione, piſcatione, aucupio accipiuntur?

Reſpondeo negative, dummodo adhuc naturam, & libertatem ferinam retineant; quia ſic domino carent, ideo-

Digitized by Google

que fiunt primi occupantis, ex *l.* 1., *ff. de Acquir. poſſeſ.* quod verum eſt ſive in tuo, ſive in alieno fundo, ſive in mari capias, tametſi ibi prohibita ſit venatio, piſcatio, aucupium, &c. Tamb., Leſs. c.5., & alii. Hinc, ſi feram vulneraſti, & ſic fugientem inſequeris cum ſpe eam conſequendi, tua eſt, & non alterius, qui forte ſic vulneratam præripiat, quia ſic cenſetur quaſi a te capta, & occupata: ſi autem vel non vulneraſti, vel vulneratam non inſequeris, vel dubium ſit, an ſit a te evaſura, fit alterius præripientis, tanquam primi occupantis: Leſs., Bon., & alii. Eadem dic de fera tuo laqueo, rete, aliove inſtrumento intercepta in loco publico; ſi enim ſpes erat, quod ante tuum adventum non fuiſſet ſe liberatura, ad te ſpectat; ſi ſecus, ad præripientem: At, ſi in meo prædio, abſque meo conſenſu, ſit laqueo tuo etiam inextricabiliter intercepta, probabile eſt, eſſe alterutrius noſtrum, qui præoccupaverit; quia, ſicut tu ratione laquei, ita ego habeo jus ad illam ratione injuriæ mihi illatæ: idemque eſt, ſi meo inſtrumento abſque meo conſenſu ea fuerit a te vulnerata, aut intercepta: Illſ. n.241.

Nomine ferarum veniunt omnia animalia ſive terreſtria, ſive aquatica, ſive aerea, quæ naturali indole non ſunt manſueta, nec ab aliquo ita manſuefacta, ut conſuetudinem habeant ex libera vagatione redeundi ad illum. Hinc injuſte a te raperentur, vel interficerentur Cervi, Columbæ, Apes, &c., ab alio jam manſuefactæ, & conſuetudinem habentes redeundi ad illum: ſi vero eædem per liberam vagationem amiſerunt dictam conſuetudinem, juſte a te capiuntur; quia ſic ad ſylveſtrem ſuam indolem rediiſſe cenſentur, & carere domino. Hinc examen apum avolans a tuo alveari tamdiu cenſetur tuum, quamdiu ita verſatur in tuo conſpectu, ut proſequi poſſis cum ſpe aſſequendi: ſi ſecus, evadit primi occupantis. Similiter columbæ alieni columbarii evadunt tuæ, ſi priorem conſuetudinem alieni commutent cum tuo, ad quod potes eas etiam attrahere bonis artibus, melius nempe alendo, commodiorem locum aptando, &c., non autem malis artibus, & fraude; uti nec potes eas interficere: Leſs. n. 28., Tamb., & alii. Contra vero animalia natura ſua manſueta, ut Bos, Canis, Gallina, &c., per fugam non

acqui-

Digitized by Google

acquirunt libertatem, ideoque nec fieri possunt primi occupantis, quantumcumque longius aberraverint: Less., & alii communiter ex jure. Porro in Regno ex Pragmatica, & Capitulationibus potes occidere columbas existentes extra spatium 50. passuum a columbario.

Ex dictis infers, quod, si capias pisces in vasta palude, apros in vasta sylva, etsi venationi Regiæ reservata, & contra prohibitionem Principis, aut alterius domini, aut etiam Ecclesiæ, non teneris ad restitutionem ferarum; quia, cum adhuc retineant naturam sylvestrem, suamque libertatem, nullius sunt, ideoque primi occupantis: satis ergo erit solvere pœnam, si deprehendaris: Less. n. 40.; nisi vero ingentem sobolem ferarum extinxisti, vel aquas veneno infeciisti, unde mortua sit magna piscium vis cum Reipublicæ, vel Domini damno notabili, ad quod certe teneris: Tamb. n. 4. Contra vero teneris semper restituere feras, si hæ custodiebantur in loco parvo, ut pisces in vivariis, quia sic non retinent suam libertatem, ideoque spectant ad dominum custodiæ: Bon., Trul., & alii.

Quæres secundo, An sint restituenda metalla, quæ eruuntur ex suis venis metallicis?

Respondeo negative; Quia, quousque sunt in suis venis, sunt adespota, & jure naturæ sub nullius sunt dominio, ideoque fiunt primi occupantis: Sot., Less. c. 5. n. 51., unde infert, quod, si quis eruisset aurum, vel argentum in agro alieno, etiam invito domino, non tenetur ei restituere, nisi æstimationem damni agro per effosionem illati; quia metalla in venis probabiliter non pertinent ad dominum fundi, ut dicemus de thesauris. Si autem pars aliqua auri, vel argenti eruti per Leges esset attributa Principi, ea esset persolvenda secundum Less.; sed adhuc probabile est, non ante sententiam Judicis, juxta dicta de tributis. Lapidicina autem, uti etiam fodina cretacea, carbonaria, pertinent ad dominum fundi, ut ostendit Covar. ex *l. Vir in fundo*, *ff. de Fundo*; quia sunt viles, ideoque cedunt fundo: non autem venæ metallicæ, quæ, utpote maxime æstimationis, non est æquum cedere vilissimo fundo: Less. n. 53. contra Mol., Lug., & alios.

Denique lapilli pretiosi, gemmæ, ambarum, corallia, &c., quæ rudia inveniuntur in insulis, promontoriis, litoto-

Digitized by Google

tore maris, ſunt etiam adeſpota, ideoque, qui prior invenerit, titulo occupationis evadit eorum dominus: Doctores communiter. Debent tamen ab eo apprehendi; nam, ſi Titius prior vidit talem lapillum v. g., voluitque eſſe ſuum, ſed Cajus illum prior apprehendit animo habendi, ut ſuum, lapillus eſt Caii, quia primus occupavit: Lug. d.6. n. 98.

Quæres tertio, An reſtituendus ſit theſaurus inventus? Reſpondeo, Leges ita ſtatuere: ſi theſaurus inveniatur in loco proprio, totus eſt inventoris: at, ſi inveniatur in loco alieno, ſive hic locus ſit privati, ſive Principis, ſive Eccleſiæ; tunc, ſi inventus ſit caſu fortuito, dividatur inter inventorem, & dominum fundi; ſi de induſtria abſque domini conſenſu, totus ſit domini; denique, ſi inveniatur per artes magicas, aut malas, ubicumque inveniatur, Fiſco Regio totus applicetur: v. Leſ. c. 5. n. 57. citantem leges; imo hodie Principes, aut Reſpublicæ magnam partem, vel totum theſaurum ſibi vindicant: v. Lug. d. 6.

Cæterum theſaurus proprie dictus jure naturæ eſt inventoris, ubicumque, & quomodocumque inveniatur; quia, cum nulla extet memoria ejus, qui illum depoſuit, habetur pro derelicto: Doctores communiter cum Leſſ. c. 5. n. 58.; nec refert, inquit Leſſ., quod forte poſſet ſciri, a quorum majoribus ſit poſitus; nam, quod tanto temporis ſpatio deſiit poſſideri, deſiit etiam eſſe in dominio cujuſpiam. An autem ſervandæ ſint in conſcientia, & ante ſententiam Judicis leges poſitivæ citatæ? Affirmant Leſſ., & alii communius, quia ſunt leges diſpoſitivæ: ſed negat Sylveſt. apud Tamb. l. 8. t. 4. *de Circumſt. Reſtit.* c. 1. §. 3. n. 35., cui favent ex parte Bann., aliique: propendet Leſſ. n. 66. citans Sylv., & Sot., quibus additur Trull., & Lopez dicens, inventorem non obligari quid dare Principi, antequam exigatur. An autem emere poſſis fundum, quanti valet, præciſo theſauro ibi abſcondito, ſi privatim id ſcias? Affirmavimus in de Contractibus; quia regula conſtituens pretium rerum eſt communis exiſtimatio. Dixi, *Theſaurus proprie dictus*; nam, ſi ibi depoſitus ſit cauſa metus, ne ſcilicet rapiatur ab hoſtibus, vel ut tutius cuſtodiretur, vel cauſa lucri, aut honoris, ut in ſepulchris defunctorum, eſt illius, qui depoſuit, adeoque

Digitized by Google

que ſucceſſorum; quia ſic non habetur pro derelicto, neque adeo eſt proprie theſaurus; hic enim debet eſſe depoſitus animo, ut ibi lateret impoſterum, & pateret nemini; vel nulla extet memoria ejus, qui depoſuit; vel quamvis ſciatur, quorum majores depoſuerunt, tamen ex tam diuturno tempore colligi poſſit, dominum voluiſſe derelinquere: Leſ., Tamb., & alii.

Quæres quarto, An reſtituenda ſit res, quæ habetur pro derelicto?

Reſpondeo negative; fit enim primi occupantis *l.* 1., *ff. Pro derelicto*. Talis eſt res, quam dominus eo animo abjicit, ut in numero rerum ſuarum eſſe nolit; ideoque non peccant famuli, qui calceos v. g. dominorum ejectos accipiunt, cum jam habeantur pro derelictis, & fere ſemper domini in his conſentiunt ſaltem tacite: Trull., & alii. Habetur pro derelicta res, quam dominus potens facile recuperare negligat, vel non inquirat, modo ſit parvi momenti, inquit Haunol. apud Croix n. 90. Addit etiam Leſ. c. 5. n. 67., rem abreptam a fluctibus, ſi dominus ſciret, ubi eſſet, nec curaret recipere, vel quia parvifaceret, vel quia, etſi poſſet, fugeret tamen expenſas; haberi pro derelicta. Denique, ſi tanta ſit diuturnitas temporis, ex quo perdita eſt, ut dominus, vel ejus hæredes non poſſint moraliter eam recognoſcere, nec aliquis ſit, qui ſciat ad ipſos pertinere, haberi poteſt pro derelicta, quia ſic nullo pretio eſt æſtimabilis illis: Haunol., Croix n. 90.

Contra vero, quæ in tempeſtate projiciuntur cauſa levandæ navis, vel naufragio deperduntur, non habentur pro derelictis, ſed pro deperditis; quia dominus libentiſſime ſervaret, ſi poſſet, & ſumme deſiderat recuperare. Hinc, qui bona naufraga Chriſtianorum occupant, incurrunt excommunicationem Bull. Cœn. n. 14., & qui domino repetenti ea non reddit, tenetur ad quadruplum, & publicatione omnium bonorum mulctatur *l.* 44., *ff. de Acquir. rer. dom.* Unde injuſta eſſet lex, vel conſuetudo, ut fierent illius, ad cujus fundum appellerent: Trull., & alii communiter. At, ſi res erat omnino peritura, niſi tu eripuiſſes, ut ſaccarum, farina, papyrus, &c. Navar. c. 17. n. 99. ait, poſſe retineri, ſi cum aliquo vitæ periculo ex undis eripueris, nec ulla erat domino ſpes recuperandi, quod pro-

Digitized by Google

probabile ait Trull., sed probabilius negat Less. c. 5. n. 67., quia ex *l. Pomponius, ff. de Acquir. rer. dom., Res mea, quantumcumque periclitetur, manet mea, ut si ovis mea e faucibus lupi eripiatur;* nisi vero, ut concedit idem Les., rationabiliter credi posset, dominum rem permittere ei, qui se periculo voluerit exponere, ut si periculum tanti æstimetur, quanti res ipsa; tunc enim, si dominus nihil dicat, potest retineri tanquam ratione periculi concessa. Ligna autem, fruges, & similia, quæ vi fluminum, præsertim si inundent, asportantur, an habeantur pro derelictis, judicandum arbitrio prudentis pro eorum qualitate, ut si magni, vel exigui sint pretii: item pro distantia domini, pro industria apposita ad illa eripienda: Trull. n. 2. In dubio autem, an sint derelicta, præsumendum est, non esse; quia in dubio nemo præsumitur res suas abjicere: Bon., & alii. Demum Petr. Nav. l. 4. c. 1. n. 58. putat, haberi pro derelicto rem, quam dominus ita projecit, vel reliquit, ut nulla sit ei spes, eam industria aliqua, vel casu aliquo recuperandi: ideoque, si ego industria mea salvem, officio meam, quod Less. tunc solum concedit, quando dominus significaverit, se eam eripienti concedere, vel si æstimatio industriæ sit fere par illi rei.

Quæres quinto, An sint restituenda bona vacantia?

Respondeo, Bona vacantia dici res defuncti absque hærede, qui saltem ab intestato succedat. Hæc jure quidem naturæ habentur pro derelicto: jure tamen positivo debentur Fisco laico, si ille erat laicus: Ecclesiastico, si Ecclesiasticus: & mobilia peregrini morientis in hospitali distribuenda sunt per Episcopum in causas pias, & jure particulari ipsi hospitali addicuntur, uti etiam bona advenarum redemptioni captivorum: Croix n. 104., referens Amicum putantem, posse hæc retineri ante sententiam Judicis.

Quoad Beneficia autem vacantia, eorum fructus a die vacationis spectant, per se loquendo, ad successorem, quia nova provisio beneficii per retrotractionem censetur facta a die vacationis; ideoque cap. *Quia sæpe, de Elect. in 6.* suspenduntur ab officio, & beneficio Capitulares, qui occupant, aut dividunt inter se fructus, qui restant, vel obveniunt, sede Episcopali vacante. Fructus tamen primi anni vacationis, etiamsi nondum exacti, relinquuntur hæ-

Digitized by Google

hæredibus defuncti habentis annum gratiæ; qualis est Parochus,& probabiliter etiam,qui habebat beneficium simplex; non autem, qui habebat beneficium Cathedralis, vel Collegiatæ, ex Bull. Inn. XII. *Ecclesiæ* 1695. apud Croix l. 4. n. 673.

Si beneficium pensione gravatum vacet, & pensiones non sint solutæ a Beneficiato, tenentur ejus hæredes: at, si hi non possint, & Pensionarius suo tempore monuit Beneficiatum, Pal., & alii apud Croix n. 1162. putant, solvendas a successore. Contra, si Pensionarius moriatur ante terminum solvendæ pensionis, Beneficiarius tenetur solvere ejus hæredibus pro rata fructuum perceptorum vivente Pensionario: Ricc., Tusc.,&alii apud Croix n. 1164. Sed de his fusius d. 2. q. 2.

CAPUT III.

An restituenda sint bona communia, seu nullius particularis propria?

HÆc sunt pascua, & sylvæ ad Rempublicam pertinentia: item redditus spectantes ad Communitatem secundum se: item flumina, viæ publicæ, &c.

Quæres primo, Ad quid teneantur lignantes, vel pascentes in loco ad Rempublicam spectante?

Respondeo primo, Si lignans, vel pascens sit pars illius Reipublicæ, per se loquendo, ad nihil teneri: quod verum est, etiamsi prohibitum sit civibus ibi lignari, vel pascere; quia sic venialiter tantum peccat, & leges talia prohibentes solum obligant ad pœnam post condemnationem, cum sint mere pœnales: Sanch. l. 1. *Consil.* c. 5. idem dic de glandibus, aliisque fructibus sylvestribus talium locorum: Villal., & alii.

Excipe tamen primo, Nisi lignando, vel pascendo, enorme detrimentum inferat Communitati; ut si stirpes multas notabiles incidat; vel si grandiores arbores ædificiis idoneas sternat; addit tamen Sanch., probabiliter non teneri,si in monte communi magnam faciat arborum stragem, nisi post condemnationem. Excipe secundo, Nisi Respublica sylvam alioqui communem locavit privato; sic enim, qui in ea lignatur, &c., tenetur ei restituere

non

Digitized by Google

non aliter, ac si lignaretur in sylva propria privati; Respublica enim locando transtulit jus suum in illum, non aliter, ac si pro tempore vendidisset: Doctores communiter apud Croix *de Restit.* n. 253. contra Sot., & Tolet.

Respondeo secundo, Si lignans, vel pascens non sit pars illius Communitatis, Dicast., & alii adhuc dicunt, non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, nisi magnam stragem fecerit, quod admittit Illsf., si lignetur in sylva Communitatis vicinæ, quia sic talia damna mutuo compensantur, & censentur Communitates vicissim condonare, quod ereptum fuerit, contentæ mulcta, si quis in furto capiatur, ut ait Less. c. 5. n. 55. Oppositum tamen tenet Croix n. 254., tanquam probabilius; quia quævis Communitas habet jus strictum ad suas sylvas contra alias Communitates, & Capita Communitatum procul dubio contradicerent, si interrogarentur. Hinc, ait, si lignans cædat in sylva suæ Communitatis, quæ sit assignata singulis pro parte, etiam facit injuriam ob eandem rationem. Cæterum attendenda est consuetudo propria locorum.

Quæres secundo, Cui facienda sit restitutio, quando quis redditus v. g. alicujus Communitatis læsit?

Respondeo, Faciendam esse ipsi Communitati, non autem pauperibus civibus; quia Communitas ipsa læsa fuit: Vasq., Reb., Less. c. 14., & alii communiter. Hinc, si quis ex magistratu sibi retinuit aliquos redditus publicos, non satisfacit distribuendo illos pauperibus illius Urbis; quia in eos redditus non majus jus habent inopes, quam locupletes; sed restitui debent ærario publico. Similiter, qui fraudavit Montes Pietatis, Seminaria, Hospitalia, &c., non satisfacit restituendo eorum alumnis, convictoribus, infirmis, sed restituendum est ipsis locis defraudatis: Less. c. 14., Tamb. *de circ. rest.* c. 1. n. 18.

Quæres tertio, Ad quid teneatur qui flumen avertit, ne ad vicinum perveniat? &c.

Respondeo, ex *l.* 1., *& 2., ff. de Aqua fluvial. arcenda*, si fontem, vel aquæductum avertas animo nocendi alteri, teneris de damno secuto: secus vero, si non feceris animo nocendi, sed animo, ne tibi noceat. Ubi nota, obligationem restituendi non oriri præcise ratione intentio-

Digitized by Google

tionis, ſed ex jure alterius; quiſque enim habet jus, ne ſibi hujuſmodi bona communia impediantur a privato ſine ulla ipſius privati utilitate. Idem dicitur, ſi ſine tua utilitate attollas altius tuum ædificium, quo lumen ædificio vicino impediatur; aut, ſi impedias, ne venæ aquarum in puteum alterius decurrant; quia quiſque habet jus, ne ejuſmodi bona communia impediantur ſine propria utilitate: ſecus, ſi impediantur animo, ne tibi noceant.

QUÆSTIO V.

De Perſona reſtituente.

PRÆTER eum, qui immediate damnum infert proximo, tenentur etiam ad reſtitutionem novem cooperatores, quorum ſex cooperantur poſitive, reliqui tres negative, & omnes continentur his verſibus,

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans.

CAPUT I.

Ad quid teneatur Mandans, ſeu Jubens?

MANDATUM dicitur, quod injungitur alicui in gratiam ipſius mandantis; qui, ſi poteſtatem habeat in mandatarium, dicitur jubere: ſi poteſtatem non habeat, dicitur abſolute mandare, quod fit v.g. rogando, promittendo, blanditiis alliciendo, aut quovis verbo, ſigno, ſcripto innuendo, ſe velle, ut in gratiam ſui id fiat: puta dicendo, *Utinam quis hoc mihi obſequium, vel favorem præſtet: Charus mihi erit, qui hoc fecerit, &c.* Leſſ. c. 13. n. 11. Ubi tamen addit, quod mandans obligationem quandam, & neceſſitatem imprimit alteri, ſive expreſſe, ſive tacite, ac implicite; ideoque ſolæ preces, & promiſſiones decidunt a mandato, & accedunt ad conſilium, ut dicam cap. ſequ. His ſuppoſitis

Dico: Mandans, ſeu Jubens damnum proximi tenetur ei reſtituere, dummodo effectus ſit ſecutus, & mandatum, ſeu juſio fuerit cauſa efficax illius damni: Doctores communiter. Ratio eſt, quia *Dans cauſam damni, da-*

Digitized by Google

damnum dediſſe videtur, cap. *Si tua, de injuriis*; ergo mandans tenetur tanquam ex injuſta acceptione reſtituere omnia damna ſecuta, dummodo illorum fuerit cauſa efficax ſuo mandato.

Quæres primo, An mandans teneatur de damno, quod mandatarius intulit excedendo fines mandati?

Reſpondeo negative, Si in poteſtate mandatarii erat eos fines ſervare; quia ſic mandatum non fuit cauſa efficax talis exceſſus: ſic ſi mandas tantum verberari, & ipſe volens occidit; ſi mandas, occidi, & ipſe, potens aliter occidere, occidit comburendo etiam ejus domum, tu teneris de ſola verberatione, vel de ſola occiſione; quia hoc tantum provenit ex tuo mandato, reliqua ex malitia mandatarii: Bonac., Dicaſtil., Croix n. 26.

At, ſi in poteſtate mandatarii non erat eos fines ſervare, tenetur mandans etiam de exceſſu; quia ſic provenit ex ipſo mandato: ſic ſi mandas, occidi Titium, & mandatarius non poſſit eum aliter occidere, quam occidendo etiam Cajum, teneris etiam de damno Caii, quia ex tuo mandato id ſequitur: Suar., & alii: idem dicunt Sayr., Bonac., & alii apud Trull., ſi mandas vulnerari Titium, & ille occidit; quia mors ſecuta eſt ex mandato periculoſo: idem dicunt communiter apud Dian. p. 8. t. 7. r. 33. Si mandas, occidi Titium, & mandatarius per errorem occidit Cajum, putans eſſe Titium, quia ex tuo mandato, & non ex ejus malitia id ſequitur, quidquid dicat Tamb.; ſecus vero dicendum, ſi Titio declinante ictum, ſagitta omnino per accidens occidat Cajum, quia ſic eſt caſus nullatenus præviſus, ut ſupponitur: idem demum communiter dicunt, ſi mandas, occidi ſclopo, tali die, tali loco, &c., & ille occidat veneno, alio die, alio loco, &c.; quia mandatum vere influxit in ſubſtantiam occiſionis, cujus variatio fuit tantum in modo.

Quæres ſecundo, An mandans teneatur etiam de damno, ſi quod forte ex tali mandato ſecutum ſit ipſi mandatario, puta ſi ipſe prius occidatur ab occidendo?

Reſpondeo affirmative, Si mandans ſit ſuperior; quia, cum hic mandando jubeat, ſubditus non videtur voluntarie facere, ſed coacte: Doctores communiter. At, ſi mandans non ſit ſuperior, quamvis communior ſententia etiam

Digitized by Google

etiam affirmet; tamen Bonac. q. 2. p. 7. n. 18., & alii probabiliter negant, quia tunc mandatarius omnino libere mandatum acceptat, & exequitur; nisi vero mandans admiserit culpam, ad quam præcavendam tenebatur ex contractu, in admonendo de futuris periculis, ut bene limitat Bonac.

Quæres tertio, An, si mandans revocaverit mandatum, & nihilominus mandatarius intulit damnum, teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si revocatio pervenit ad aures mandatarii ante damnum illatum; quia sic non ipse mandans fuit causa damni, sed malitia mandatarii: hæc autem revocatio sufficit, etiamsi fiat tacite: ut si mandans redeat in amicitiam cum occidendo, vel contrahat cum eo affinitatem; quare, si hoc innotuit mandatario, mandans excusatur a restitutione damni postea secuti: Doctores communiter. At, si revocatio non innotuit mandatario, ideoque secutum sit damnum, tenetur de hoc mandans, etiamsi pœnitens, & confessus sit, quia adhuc damnum secutum est ex vi mandati; ideoque incurrit etiam irregularitatem, si secuta sit occisio, vel mutilatio; quamvis probabile sit, non incurrere excommunicationem, juxta dicenda in de Censur. Eadem dic, si revocatio innotuit quidem mandatario, sed ab eo per errorem non judicata fuit serio facta, ideoque patravit scelus; vel si postea ejus immemor damnum intulit; quia sic damnum adhuc secutum est ex actione præterita mandantis: Lug. d. 19. s. 2.

Quæres quarto, An mandans teneatur restituere in dubio, an mandatum fuerit causa damni secuti?

Respondeo, Si facta debita diligentia maneat adhuc dubium, an mandatarius intulit damnum ex vi mandati, an ex privata inimicitia, vel ex alia causa, probabile esse, non teneri ad restitutionem; quia in dubio melior est conditio possidentis, & qui sic dubitat, ipse possidet suam libertatem, & pecuniam; quamvis sit irregularis, si secuta sit occisio, vel mutilatio, quæ irregularitas in dubio etiam incurritur ex lege positiva S. Canonum, juxta dicenda in de Censur. At, si dubium sit, an revocatio mandati innotuit ante, vel post damnum illatum, tenetur mandans restitue-

Digitized by Google

re; quia sic est in possessione mandatum: Doctores communiter.

Quæres quinto, An ratum habens damnum nomine suo illatum teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si nec tacite, nec expresse antea mandavit, quia mera ratihabitio post effectum non est causa effectiva damni, etiamsi nomine tuo facti. Quod autem ille ideo fecit, quia putabat, rem tibi gratam facere, solum evincit, quod tua ratihabitio futura fuerit ei causa finalis, quæ tamen non sufficit, ut sit causa moralis efficiens, ut requiritur ad restitutionem: Less. c. 13. n. 13. Regula autem illa Jur. in *6. Ratihabitio æquiparatur mandato*, vera quidem est quoad contractus, & quoad peccatum, pœnamque aliquam in foro exteriori, puta excommunicationem (non autem irregularitatem) si scilicet ratihabeas occisionem Clerici nomine tuo factam, ex cap. *Cum quis*, *de Sent. Exc.*; falsa tamen est quoad restitutionem, quæ unice oritur vel ex injusta acceptione, vel ex re accepta. Cæterum, si Titio v.g. *serio* dicenti, se in gratiam tui velle occidere tuum *inimicum*, tu nec contradicas, nec impedias, cum possis, teneris de damno secuto; quia sic censeris tacite mandare. Idem est secundum Tamb. *de Homic.* in fine, si te rixante cum Cajo amici tui superveniant, & tu his non indigens ad tui defensionem non prohibeas, quin eum in gratiam tui occidant.

CAPUT II.

Ad quid teneatur Consulens?

Consulens apud Morales est, qui excitat, incitat, annuit, hortatur, suadet, instruit, dirigit, suggerit motiva, ostendit modum, quo fiat damnum tertio. Huc etiam pertinent preces, & promissiones: Less. l. 2. c. 13. n. 14. Atque hic certe tenetur de hoc damno, si ex suo consilio sit jam secutum; quod verum est, etiamsi ipso non consulente alius consilium dedisset, quia, qui prævenit injuria, prævenit & restitutione: Less. c. 13. n. 2. & alii communiter. Imo etiam tenetur, si suum consilium non

sit

Digitized by Google

sit se solo efficax, ut moveat, movit tamen ut conjunctum cum aliis; quia, licet se solo non fuisset, tamen in his circumstantiis fuit de facto causa efficax damni, ut dicitur de ultimo vulnere, quod, si minus se solo, cum aliis tamen causat mortem: Lug. d. 19. s. 8. Contra vero, consulens fere nunquam tenetur de damno secuto ei, cui suasit damnum tertii, quia ei liberum semper fuit sequi, vel non sequi consilium in gratiam sui datum, in quo consilium maxime differt a mandato: Less. c. 13. n. 8. Nisi vero sit in officio, & rogatus det culpabiliter consilium petenti damnosum: Less. c. 7. n. 33.

Quæres primo, An, qui Titio ex se parato, aut aliunde jam determinato occidere Cajum, id ipsum suadeat, teneatur de tali occisione?

Respondeo negative; Quia, quamvis peccet contra justitiam tatione consilii injusti, tamen sic non est causa effectiva damni; causa enim antea posita erat: nisi vero animosiorem tua suasione reddas, juxta mox dicenda: Les. c. 13. n. 4. Si autem sic parato superaddas consilium de tempore, loco, aut modo occidendi; tunc distinguendum; & quoad tempus, si parato occidere cras suadeas occidere hodie, teneris de substantia damni, quia ille interea potuisset impediri, aut mutare simpliciter voluntatem: Mol. d. 736. cum communi: contra vero ad nihil teneris, si parato occidere hodie suadeas occidere cras, quia sic utiliter geris rem tertii: quoad locum, & modum, si parato occidere in via, sclopo, &c., suadeas occidere domi, veneno, &c.; tunc, si prævideas illud, non hoc fore impediendum, teneris de substantia occisionis; secus vero contra. At, si tuo consilio reddas illum animosiorem, aut obfirmes in proposito, quod jam habebat occidendi, teneris de substantia occisionis; quia sic ad hanc certe concurris; si vero tantum consilio tuo es causa, ut occidat atrocius, turpius, &c., probabile est, non teneri de substantia occisionis, sed tantum de circumstantiis: Les. c. 13. n. 6.

Quæres secundo, An, qui parato inferre damnum majus, suadeat inferre damnum minus, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Dummodo non possis aliter eum

Digitized by Google

avertere a malo majori, & ſuadeas malum minus inferendum eidem tertio; quia ſic hujus rem utiliter agis; & dictum illud, *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, intelligitur ſolum de iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate: Bonac., & alii communiter. Imo in caſu, in quo potes conſulere malum minus, potes etiam ei opem ferre ad hoc inferendum, dummodo id ſit neceſſarium ad evitandum malum majus, & dummodo actio tua non ſit intrinſece mala: v. g. parato occidere ſi nequeas aliter diſſuadere, niſi ſuadendo verberationem, potes ad id ei etiam miniſtrare inſtrumentum: non autem juvare, tenendo, aut verberando; quia hæc, non illa, eſt actio intrinſece mala contra juſtitiam: Sanch., Mol., & alii apud Bonac.

At quid dicendum, ſi parato inferre damnum *majus* uni, ſuadeas inferre damnum minus alteri? v. g. parato furari 100. Titio pauperi, ſuadeas furari 10. Cajo diviti? Dico, te peccare, & teneri reſtituere Cajo, ſi ſecutus ſit effectus tui conſilii; quia Cajus habet jus, ne ſuadeas ſuum damnum ad vitandum damnum alterius; niſi vero ſuum ſit ita leve, ut teneretur ex charitate illud pati ad vitandum longe majus alterius, ut recte limitant Bon., Vaſq., Leſſ. n. 21. Si vero fur erat omnino determinatus furari vel Titio, vel Cajo, potes in genere ſuadere minus damnum, dummodo non dicas in particulari, ut furetur Cajo; quia ſic non facis ei injuriam, cum non inducas ad furandum ei potius, quam alteri, ſed in genere ſuadeas minus malum: Bonac., Dian. p. 2. t. 5. r. 37. Similiter, ſi parato furari utrique determinate, ſuadeas uni tantum furari, non peccas, nec teneris reſtituere, quia ſuades minus malum parato facere utrumque: Bon., Leſ. n. 21. Similiter, ſi parato furari in communi, & non in particulari ſuadeas furari tantum a divitibus, & non a pauperibus, probabiliter non peccas: Nav., & Salon. Hæc omnia ſemper intellige, ſi alia via non poſſis eum a majori malo avertere.

Quæres tertio, An, qui rogatus dat conſilium, teneatur ad reſtitutionem damni ſecuti ratione ſuæ ignorantiæ craſſæ, vel culpæ latæ?

Reſpondeo affirmative, Si erat ejus profeſſionis, ad quam talis conſultatio ſpectabat; ut Confeſſarius, Juriſcon-

Digitized by Google

consultus, Consiliarius, &c., quia talis ex officio, & professione tenebatur hoc scire, & in respondendo, hunc errorem, vel negligentiam vitare: Less. c. 7. n. 33., modo adsit culpa theologica, juxta dicta q. 3. c. 4. Si autem non erat ejus professionis, & alter sciens ejus insufficientiam petat consilium, huic non tenebitur ille ad restitutionem, quia alter debet sibi imputare, si damnum ex illo consilio capiat; scienti enim, & volenti non fit injuria; tenebitur tantum de damno tertii, quia eo malo consilio illi tertio invito damnum infert: Less. c. 7. n. 34.

Quæres quarto, An Consulens teneatur de damno secuto, si revocaverit consilium, quod innotuit, antequam damnum illud sequatur?

Respondeo negative, Si consilium erat simplex assensus, nec suggerens etiam motiva, vel modum inferendi damnum; quia sic non censetur amplius consulens causa damni, sed malitia alterius: Less., Lug., & alii, qui idem dicunt, etiamsi additum sit motivum, sed falsum; tunc enim, si antea aperueris veritatem, non tibi, sed ejus malitiæ tribuitur damnum: Less. c. 13. n. 15.

At, si consulens dedit motivum verum, vel modum, quo damnum inferret, tunc non sufficit revocare consilium, sed oportet eum effective dissuadere, & efficere possibilia, ut mutet voluntatem. Quod, si ille tuis rationibus non dissuasus a priori consilio infert damnum, Nav., Mol., Salon., & alii putant te liberum a restitutione, quia tunc videtur ille moveri potius ex sua malitia, & pervicacia: quam sententiam Les., Dian., Laym. dicunt non improbabilem. Sed oppositum est verius, & communius, quia motivum illud, aut modus, aut utilitas suggesta adhuc pergunt movere, adeoque adhuc es in causa; in quo, ut vides, maxime differt consilium a mandato. Addunt tamen Sylv., & alii apud Trull., te posse liberari a restitutione, si præmature moneas tertium, ut sibi caveat.

Quæres quinto, An Consulens teneatur restituere, si dubitet, an suum consilium moverit ad damnum jam secutum?

Respondeo, In tali dubio interrogandum esse alterum, qui, si serio dicat, non esse motum ex tuo consilio, eris liber in conscientia a restitutione; dummodo, ut limitat

Digitized by Google

Sanch., ille in hoc sit fide dignus. At, si talis interrogatio non sit possibilis, colligenda est veritas ex circumstantiis: si enim statim post tuum consilium secutum est damnum, præsumptio est contra te; secus vero, si post multum tempus: Salon., & alii. Quod, si omnibus tentatis, adhuc manet dubium, declinari potest in favorem tui, ut dictum est de mandante: Med., Henr., & alii.

Quæres sexto, An, qui suo malo exemplo movet, aut inducit alium v. g. ad furandum, teneatur ad restitutionem talis furti?

Respondeo negative, Etiamsi hac intentione malum exemplum dederit, ut ille ex eo moveretur, dummodo tamen non etiam consilium dederit, aut alia via animaverit, aut debens ex officio impedire non impedierit illius furtum. Ratio responsionis est, quia, qui tantum dat malum exemplum, non peccat, nisi contra Charitatem ratione scandali, & aliunde intentio illa se sola non inducit obligationem justitiæ: Sanch. l. 1. c. 6., Bonac., & alii. Neque obstat Prop. 39. damnata ab Inn. XI. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Nam, ut explicat Carden., ille dicitur hic movere, qui mandat, consulit, consentit, adulatur, &c., & de his loquens merito damnatur hæc propositio; nam sunt veræ causæ morales damni illati tertio, adeo ut hoc eis tanquam auctoribus imputetur. At, qui suo tantum exemplo movet ad inferendum damnum tertio, non dicitur in moralibus vere causa talis damni, neque hoc imputatur ei tanquam auctori; secus, qui suo exemplo movet alium ad ludos noxios, faceret ei injuriam, & teneretur ad restitutionem, quod nemo dixit.

CAPUT III.

Ad quid teneantur Consentiens, & Palpo?

Consentiens dicitur, qui suo suffragio injustæ actioni consentit. Palpo dicitur, qui adulando movet ad talem actionem.

Dico primo: Consentiens damno tertii tenetur ad ejus restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia suo con-

Digitized by Google

consensu, seu suffragio est vere causa efficax actionis injustæ secutæ; ut qui suo voto consentit sententiæ injustæ, injustæ electioni, injusto bello, &c. Secus vero, si non sit causa, sed mera complacentia illius: v. g. dum in Capitulis, Collegiis, Electionibus, Sententiis conferuntur iniqua suffragia; si hæc conferuntur publice, & antequam tu consentias, vel subscribas, completus jam est numerus suffragantium illi actioni injustæ, peccas quidem addendo tuum votum, non tamen teneris de damno secuto, quia non es ejus causa; nisi vero notitia tui posterioris suffragii antea eos animaverit, vel illud vim habeat confirmandi vota præcedentium, vel spes erat tuo contrario suffragio posse damnum impedire: uti etiam teneris, si prius aliis dederis tuum suffragium, etiamsi sciveris, alios etiam absque tuo complete suffragaturos; quia sic suffragium tuum vel non impedivit, vel in damnum influxit: Less. c. 13. n. 22. At, si suffragia ferantur secreta, tunc fere semper teneris restituere; nisi certo aliunde scias, tuum positum esse post completum numerum sufficientium ad illam actionem. De quo proinde si dubites, adhuc teneris restituere, quia possessio stat pro damno illato, & non est major ratio de alienis, quam de tuo suffragio: Bonac., Nav., Rebel., & alii.

Ex dictis infers, quid sit dicendum de Consiliariis Principis volentis v. g. movere bellum injustum: si enim Princeps ad id erat omnino determinatus, tunc consentientes in illud peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem; tenentur vero, si ille ex eorum suffragiis pendebat ad decernendum; quia hic, non ibi, sunt causa damni injuste illati: Cajet., Bon., & alii communiter.

Dico secundo: Palpo, seu adulator, si sic incitavit ad inferendum damnum tertio, tenetur ad ejus restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia se habet ad modum consulentis: Les. c. 13. n. 25. Talis est, qui laude, vel plausu incitat, provocat, vel qui exprobrat, vituperat, deridet ignaviam ejus, qui non ulciscitur, non occidit, vult restituere, &c., & sic eum movet ad ulciscendum, occidendum, non restituendum, &c. Si vero talis adulatio non fuit causa damni, sed vel adhibita sit post damnum jam illatum, vel tantum inducat lætitiam in al-

Digitized by Google

terius animum, tunc non obligat ad restitutionem; quia supponit damnum jam aliunde causatum: Less., Mol., Croix n. 36.

CAPUT IV.

Ad quid teneatur Præbens recursum?

ILLE dicitur præbere recursum, qui receptat, vel occultat malefactorem, aut ejus instrumenta, vel furta, ut sic ejus rapinas foveat.

Atque hic etiam tenetur ad restitutionem, si receptet illum formaliter qua malefactorem, hoc est ut eo recursu tutius male agat, ac damnum inferat; quia sic est causa injustæ acceptionis; suo enim auxilio, seu securitate animum ei directe præbet ad malefaciendum. Hinc Magnates tenentur ad restitutionem damnorum illatorum a suis subditis, famulis, &c. fidentibus suæ protectioni, & potentiæ, dummodo id advertant, & dissimulent: Bon., & alii communiter.

At, si quis malefactorem receptet tantum materialiter, seu non qua talem, sed qua consanguineum, amicum, hospitem, &c.; nec, ut ejus rapinas foveat, sed ne a satellitibus capiatur ob rapinas jam factas; is non tenetur ad harum restitutionem, quia sic non est causa damni jam illati; unde etiam potest eum juvare ad fugiendum, cum sic neque ipse sit causa, cur talis fur non restituat. Qui autem accipit in custodia rem furtivam, ut furi eam servet, tenetur restituere domino, quia aliter cooperaretur ejus damno, nisi vero notabile incommodum sibi timeret ex tali restitutione; tunc enim satis esset, restituere furi: Les. c. 13. n. 7.

Denique Cauponarii, Mercatores, & alii similes recipientes pecuniam a filiisfamilias, vel a famulis surreptam domino rationabiliter invito, tenentur eam huic restituere, ratione injustæ acceptionis, aut rei acceptæ; quod verum est, etiamsi eam receperint in pretium rerum venditarum; sic enim tenentur in defectu illorum: Doctores communiter contra Sayr. Si autem solum permittant, eos in sua officina ludere, ita tamen, ut eos non occultent, nec quasi defendant, ad nihil tenentur, quia sic non viden-

Digitized by Google

dentur proxime cooperari ad damnum, seu deperditionem illius pecuniæ: Mol., Reb., Bon. p. 9. n. 3. Qui autem emit a sutoribus fragmenta pannorum, seu vestium, &c., Villal. apud Dian. p. 4. t. 7. r. 176. dicit, peccare, & debere restituere; sed Sanch. excusat eos, qui ista emunt a sutoribus magistris; quia his plerumque detrahitur plus a justa mercede, quam valeant ista fragmenta: Busemb., & alii.

CAPUT V.

Ad quid teneatur Participans?

DICO: Participans in re tantum accepta tenetur ad partem acceptam; participans vero in injusta acceptione, seu in ipso delicto tenetur ad totum: Doctores communiter. Ratio est, quia participans in re tantum accepta est, qui e re jam ab aliis erepta partem accipit, & hic certe tenetur solum restituere, quod accepit. Participans in delicto est, qui adjuvat delinquentem in ipsa injusta acceptione, ut qui est socius, comes, explorator, mediator, excubias agit, literas conficit, instrumenta suppeditat, scalas apponit, aut substentat, aut quomodocumque sua præsentia auxilium, vel animum præbet v. g. furanti; atque hic, etiamsi nihil prædæ ad eum pervenerit, tenetur in solidum restituere, juxta dicenda c. 7. At, quid dicendum, si talis gravi metu coactus in tali delicto participaverit? Dico cum Less. c. 13. n. 29., etiam teneri ad restitutionem, si ejus actio fuerit intrinsece mala; secus vero, si non fuerit per se intrinsece mala: v.g. peccant, & tenentur ad restitutionem Christiani captivi apud Turcas, si ex gravi metu, ne scilicet ab his occidantur, explodant bombardas in Christianos, quia hæc est actio intrinsece mala per se damnificativa Christianorum: secus vero, si eodem metu cogantur remigare contra Christianos, sarcinas advehere, bombardas aptare, &c., quia hæ actiones sunt per se indifferentes, quibus Turcæ possent bene uti, si vellent: Less., Sanch., Bonac., & alii. Similiter, qui gravi metu a fure coactus effringit arcam, vel res foras projicit, peccat, & tenetur ad restitutionem, quia præstat opus intrinsece malum contra justitiam, nisi vero damnificatus teneretur ex charitate non esse ratio-

na-

Digitized by Google

nabiliter invitus, ut limitant Doctores cum Pal. *de Char.* t. 6. d. 6. p. 11. Secus vero, si eo metu coactus præbet tantum claves, vel instrumenta furi, quibus ille arcam confringat, vel scalas tenet, dum fur murum ascendit, quia sic ex justa causa, gravis scilicet metus, actiones per se indifferentes exercet: Less., Bonac., & alii. Dixi *Gravis metus*; nam, si non sit gravis, sed ne famulus v. g. male tractetur a domino, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur, peccat sic proxime auxiliando, ut eruitur ex Prop. 51. damnata ab Inn. XI. alibi cit.

Qui autem gravi metu coactus juvat in asportanda re, postquam sublata est a fure, non peccat, nec ad restitutionem tenetur: ut sunt v. g. Rustici, qui prædas injustas militum coguntur avehere, vel pecora sublata deducere, &c.; quia talis asportatio in tali eventu non videtur intrinsece mala, nec injuriosa Dominis, qui non censentur irrationabiliter inviti: Less. n. 19., Bon., & alii. Imo ipse fur, si gravi metu urgeatur, potest eam de loco ad locum asportare: ergo a fortiori id poterit innocens, qui rem non surripuit. Denique, qui vendit arma, venena, &c. machinanti mortem; si vendat ei expresse ad hunc finem petenti, certe participat in ejus delicto, & tenetur de damno secuto; secus vero, si vendas ei dicenti, se petere ad alium finem, etiamsi suspiceris, eum malo fine revera petere; quia sic vendis eo modo, quo vendi solet aliis, & talis venditio est indifferens ad usum bonum, & malum, nec de se determinatur ad finem, quem alter occulte intendit. Sic nec censetur cooperari ad superstitionem, qui vendit agnum Judæo, quem putat sacrificii causa emere: Less. n. 31.

CAPUT VI.

Ad quid teneantur Mutus, non Obstans, non Manifestans?

HI tres negative, seu permissive cooperari dicuntur damno tertii, quatenus non impediendo permittunt, ut illud aliunde sequatur; ideoque communi vocabulo dicuntur *Non impedientes*. Videndum primo de iis, qui ex officio tenentur impedire: secundo de reliquis, qui non tenentur ex officio.

Di-

Digitized by Google

Dico primo: Qui ex officio tenentur impedire damnum proximi, &, cum possint, non impediunt, tenentur ad restitutionem totius damni secuti: Doctores communiter. Ratio est, quia ratione officii obligantur ex justitia impedire, ne damnum illud sequatur. Hinc *Mutus* dicitur Custos, qui videns v. g. furem non clamat, Consiliarius, qui videns injustitiam non loquitur, vel se absentat, &c. *Non obstans* dicitur Princeps, Judex, Dux, &c. qui negligunt impedire assassinia, furta, injusta monopolia, &c. *Non Manifestans* dicitur quivis minister justitiæ, aut publicus officialis, qui non manifestat damnificatorem, sive ante factum, quando damnum erat impediendum, sive post factum, quando damnum est resarciendum: eadem dic de omnibus iis, qui tenentur ex contractu, aut quasi contractu; sive etiam ex speciali alia obligatione, ut patres non impedientes filios, servos, famulos, aut animalia, ne alios lædant, &c.

Atque hi omnes ratione officii tenentur impedire damnum alterius, etiam cum periculo proprii damni, dummodo hoc non sit majus, vel etiam æquale damno, quod tenebantur ex officio impedire; quia ex communi sensu ad illud tantum subeundum censentur tacite se obligare, nisi expresse aliter sit conventum, juxta dicta q. 3. c. 3. Addit tamen Less. c. 13. n. 70., Principes, Magistratus, &c. teneri etiam cum periculo vitæ impedire damna gravia, non quidem privatorum, sed Communitatis, ut proditiones Reipublicæ, hæreses, seditiones, &c.; quia talia longe præponderant cuivis damno ipsorum proprio.

Quæres primo, Ad quid teneantur, qui tenentur ex officio manifestare delinquentem, & non manifestant?

Respondeo, Teneri compensare damnum ab eo factum; non tamen solvere mulctam pecuniariam, ad quam ille jure erat damnandus: v. g. Custodes nemorum, qui non deferunt cædentem ligna, vel venantem contra prohibitionem, tenentur compensare damna inde enata domino nemoris, quia ex officio tenentur deferre, & ad hoc sunt conducti; At non tenentur restituere pœnas, quas dominus nemoris accepisset ex tali delatione a delinquente; quia officium illorum non est locupletare dominum ex lucro pœnarum, sed tantum conservare res sibi commissas: Lug. d.

37.

Digitized by Google

37. n. 102. Imo, si talis custos acceperit a delinquente pretium, ut non accusaret, neque tenetur hoc dare domino; quia non apparet, unde oriatur talis obligatio, ut notat idem Lug. Eadem dic de illis officialibus, qui permittunt, defraudari gabellas, & telonia, & de satellitibus, qui non capiunt gestantem noctu arma contra prohibitionem pœnalem, &c. Nav., Silv., Bon., Less. n. 73., & alii cum Dian. p. 2. t. 5. r. 54. contra Salon., Sayr., Villal., & alios.

Si autem Judex, accepta tali, vel simili delatione, id non notificet parti læsæ, ut sibi satisfieri exposcat, Sanch. l. 1. *Consil.* c. 5. ait, hunc teneri compensare ei damnum, quia ex officio tenebatur notificare; verum in hoc consulenda est praxis Curiæ, in qua officium Judicis plerumque non procedit sine partis petitione, ideoque, si pars nihil petat, ad nihil tenetur Judex, ut ait Gratian. apud Trull. Similiter, si Procurator Fiscalis, Judex, &c. sint causa, cur Fiscus non accipiat mulctam per leges impositam delicto, Less., Dian., Sal., Lug. d. 37. n. 112. contra Med., Reb., Mol., & alios probabiliter dicunt, non teneri restituere; tum quia officium eorum primario est, ut delicta non fiant, & secundario tantum ordinantur ad emolumenta Fisci; tum quia hæc mulcta debetur tantum ex justitia vindicativa, non autem commutativa: v. Croix n. 83.

Denique testis juridice interrogatus, si taceat veritatem, secundum Nav., Sot., Sanch. l. 6. *Consil.* d. 3., & alios communius tenetur in civilibus restituere parti læsæ omnia damna ex tali taciturnitate provenientia, quia testis per mandatum Judicis est parti applicatus, ac proinde pars tunc habet jus in eum: item est causa, cur Judex ferat sententiam in damnum partis: ergo tenetur ad restitutionem. Contradicunt tamen Mol., Bon., Dian. p. 2. t. 5. r. 111., nec improbabile dicit Less. c. 30. n. 50.; quia Testis non est officialis, adeoque tacendo non est injustus, sed inobediens, & contumax; addit etiam Less. n. 60., etiamsi juraverit, se dicturum veritatem, non teneri ex justitia eam dicere, nisi id etiam promiserit; sed contrarium in casu dicit Bon., quia hoc juramentum est promissorium, ex quo consurgit obligatio justitiæ.

Quæres secundo, An Parochus non monens in Confessione Pœnitentem de restitutione, ad quam is tenebatur, teneatur ipse restituere? Re-

Digitized by Google

Respondeo, Nav., & alios apud Bonac. docere, ipsum teneri, si pœnitens non restituat; quia ex officio Parochi tenebatur eum monere. Sed probabile est, non teneri restituere; quia, quamvis peccet contra proprium officium, quo tenetur prospicere bono spirituali pœnitentis, at non tenetur ex proprio officio consulere bono ipsius temporali, & multo minus alterius: idque a fortiori procedit de simplici Confessario: Sanch., Suar., Les. c.13.n.78., Bon., & alii cum Dian. p.1. t.2. r.1. Tenetur tamen ex charitate erga tertium monere in confessione sequenti pœnitentem de restitutione facienda, vel extra confessionem, si commode potest, petita prius ab eo licentia loquendi, quam tamen si ille neget, cessat obligatio charitatis.

At, si Parochus, vel quivis alius Confessarius, non solum non monuit, sed positive deobligavit pœnitentem, dicendo, eum non teneri restituere, tunc tenetur ipse restituere tertio, tanquam consulens; & similiter tenetur restituere ipsi pœnitenti, si hunc obligavit ad restitutionem, ad quam vere non tenebatur. Satisfacit tamen huic oneri, si in confessione sequenti reparare possit tale damnum; aut etiam extra confessionem, petita licentia; quam tamen, si ille neget, vel si damnum ille reparare non possit, tenetur ipse Confessarius ex suo restituere, dummodo culpabiliter antea deobligaverit; quia sic tenetur ex injusta acceptione, seu damnificatione; secus vero, si inculpabiliter deobligaverit: Bon., & alii communiter.

Dico secundo: Qui non tenetur ex officio, vel contractu, vel stipendio impedire damnum tertii, etiamsi potens non impediat, non tenetur ad restitutionem damni secuti: Doctores communiter. Ratio est, quia sic non peccat, nisi contra Charitatem, cujus violatio non obligat ad restitutionem. Quod verum est, etiamsi potens facile impedire, tamen pravo animo omiserit impedire, eo scilicet fine, ut damnum sequatur; quia solus pravus animus non fert onus restitutionis, ex sæpe dictis. Addit Les. c.13. n.56., quod nec teneatur restituere, qui pravo animo impedit alium volentem ex charitate impedire damnum tertii; quia sic impedit solum actum charitatis illius, & ad quem damnificatus non habebat jus strictum; excipit tamen, nisi illum impedierit vi,

Digitized by Google

vi, aut fraude, quia damnificatus habebat jus, ne vi, & fraude impediretur talis actus charitatis, ex dictis q.2. c.3.

Ex dictis infers primo: Si famulus, cui non est specialiter commissa cura, vel custodia rerum domini, videat, alium famulum, aut domesticum furari ex illis rebus, & taceat, non tenetur de damno secuto; quia non tenebatur impedire ex officio; ex charitate autem tenetur, si commode potest, corripere furem; &, si is monitus perseveret, eum detegere custodibus; &, si adhuc perseveret, pandere tandem domino: Doctores communiter apud Lug. d.19. n.105. At, si fur sit extraneus, Less. c.13. n.75. Lug., Sot., & alii contra Mol., Reb., Bon., & alios, probabilius dicunt, talem famulum, si taceat, teneri restituere; quia ratione famulatus omnes famuli, quasi de jure gentium, censentur tacite obligari, res domini ab injuriis externorum tueri: idem dicit Lugo in casu, quo alius famulus furetur, & vellet fugere, quia tunc censetur esse velut extraneus.

Infers secundo: Si scias, Titium emisse sive bona, sive mala fide a fure equum Caii, & non manifestes Cajo, nihil teneris ei compensare; quia non teneris, ut suppono, ex officio, sed tantum ex charitate, contra quam unice peccas, si commode potens non manifestes; imo, si delictum sit occultum, non potes illud revelare: Salon., & alii.

Infers tertio: Si fur, ut taceas, donet tibi pecuniam, tunc, si eam acceperis post furtum jam secutum, non teneris eam restituere, quia turpe lucrum post opus impletum teneri potest: Lug. d.19.n.104.; nisi forte ea pecunia fuerit pars prædæ; sic enim restituenda esset domino, ratione rei acceptæ. Si autem acceperis pecuniam, antequam sequatur furtum, teneris eam statim restituere furi, quia contractus fuit nullus, utpote de re illicita saltem contra charitatem; imo, si eam non restituas, & sic furtum sequatur, teneris de ipso furto, quia sic fur factus fuit animosior, & securior ad furandum: Salon., Bon., Less. n.68. contra Sot.; quod a fortiori procedit, si te obtuleris dicens, *Non te manifestabo*: v. Dian.p.2. t.5. r.54.

Infers quarto: Si scias, Titium velle in gratiam tui damnum inferre tertio, & taceas; tunc, si Titius omnino ignorabat, suam voluntatem esse tibi notam, probabile est

Digitized by Google

est ex Rebel. apud Dianam p.4. t.4. r.64., te non teneri de damno secuto, quia non tenebaris ex officio, ut suppono, obstare. Secus vero dicendum, si Titius sciebat, suam voluntatem esse tibi notam, quia sic tua taciturnitas fuit ei quidam veluti consensus, & approbatio: Croix n. 43.

Infers quinto: Si in via adverteris esse prædones, & ab occurrentibus interrogatus neges, te advertisse, ideoque hi quasi securi pergant ire, & sic ab illis spolientur, teneris hæc damna compensare; quia, quamvis ex justitia non tenebaris manifestare prædones; tamen ex justitia tenebaris interrogatus non occultare, seu non asserere, nullos esse prædones, & non inducere alios per mendacium, ut pergerent: Sylvius apud Croix n.47.

CAPUT VII.

Quo ordine prædictæ personæ teneantur restituere damnum sequutum?

SUPPONO, damnificationem aliam esse lucrosam, qua scilicet aliquid ablatum sit, & extet sive in se, sive in æquivalenti; aliam esse non lucrosam, qua scilicet damnum tantummodo irrogatum sit, puta incendium domus, homicidium, vulneratio, &c. His suppositis.

Dico primo: Si damnificatio sit lucrosa, primo, & principaliter tenetur restituere is, apud quem res extat, sive is sit mandans, sive exequens, sive consulens, sive quivis alius: Doctores communiter cum Less. c. 13. n. 39. Ratio est, quia is, apud quem res extat, tenetur non tantum ex injusta acceptatione, sed etiam ex re accepta, qui titulus est major, cum jus domini constanter adhæreat rei. Quare hoc restituente cæteri ad nihil tenentur, quia jam satisfactum est domino ad æqualitatem. Si autem singuli acceperunt suam partem, & unus eorum restituat totum, tenentur reliqui partes suas acceptas restituenti reddere.

Dico secundo: Si damnificatio non sit lucrosa, tunc primo loco tenetur mandans, secundo loco exequutor, tertio, loco alii concurrentes positive, quarto demum loco reliqui concurrentes negative: Less. c.13., & alii apud Croix a n.55. Ratio est, quia, qui mandat, vult damnum nomine suo fieri: ergo totum onus, quod sequi posset, in se suscipit:

ergo

Digitized by Google

ergo ipſe ante omnes tenetur illud reſarcire . Atque hoc verum eſt inquit Lug. contra Vaſq.,& Turrian., etſi mandans non ſit ſuperior, nec habeat vim coactivam; quia ſemper eſt cauſa principalis damni facti nomine ſuo. Hinc eo reſtituente, cæteri in tali damnificatione non lucroſa, ad nihil tenentur; quia ſolum tenebantur in defectu illius. Contra vero, ſi cæteri reſtituant, tenetur mandans eis totum refundere : Doctores communiter apud Croix loc.cit.

In defectu autem principalis,ſeu mandantis, tenetur ſecundo loco reſtituere exequutor, qui immediate damnum intulit; quia ſic ſe habet tanquam inſtrumentum morale mandantis, eſtque ei cæteris proximior : Leſſ. c.13. n.44. Sayr.,Bon., & alii communiter. Si autem exequutor non ſolo juſſu mandantis, ſed ſuo etiam nomine exequutus eſt damnum, tenetur æque primo, ac mandans, ad partem damni, ſecundum modum, quo operatus eſt ex proprio motivo : Croix n. 55. In defectu etiam exequutoris, ſeu inferentis immediate damnum, tenentur tertio loco reliquæ cauſæ poſitivæ, ſcilicet conſulens,conſentiens, palpo, receptans, & participans in delicto. Sed inter has cauſas, Nav., quem ſequitur Bonac., adhuc agnoſcit aliquem ordinem, itaut prius teneatur conſulens, & in hujus defectu receptans, tum palpans, &c. Sed hunc ordinem rectius negant Mol., Vaſq., Lug., & alii cum Leſſ. c.13. n.49.; quia nulla harum cauſarum operatur, ut inſtrumentum alterius, ut ſupponitur : ergo, ſi exequutor non reſtituat, omnes ejus loco immediate tenentur pro rata reſtituere, plus, vel minus, prout magis, vel minus eum moverint; & quilibet ad totum, in defectu reliquorum, juxta dicenda c.ſeq. Denique in defectu omnium cauſarum poſitive concurrentium, tenentur ultimo loco reliquæ cauſæ negativæ; quia hæ reipſa non inferunt damnum, ſed tantum non impediunt, cum ex officio deberent impedire. Inter cauſas negativas dari etiam ordinem putat Nav., itaut prius teneatur Princeps non impediens, tum cuſtos non loquens,&c. Sed hunc ordinem melius negant alii cum Leſſ., Trul., Illſ., &c.

Infers ex dictis,Primo,damnificatum non habere jus primo exigendi reſtitutionem a cauſis negativis, ſed tantum in defectu omnium cauſarum poſitivarum, & ſimiliter ne-

quit

Digitized by Google

quit exigere a concurrentibus positive, nisi in defectu exequutoris, neque ab hoc, nisi in defectu mandantis. Si autem res ablata extet, a quocumque, apud quem extat, potest illam exigere.

Infers secundo, Quod, si damnificatus condonet restitutionem principali, seu mandanti, reliqui ad nihil tenentur: contra vero, si his condonaverit, mandans, seu principalis non ideo manet liber: & ratio est, quia ruente principali ruit accessorium, non contra: Laym., Less., & alii. Denique, si condonet uni ex iis, qui in eodem gradu, seu loco tenentur, non liberat alios, nisi ab ea parte correspondente illi, cui facta est condonatio; quod, si illi non solum condonet, sed etiam concedat actionem, ac si revera solvisset, acquirit ille jus contra alios ad repetendum id, cujus facta est ei remissio; quia sic succedit in locum damnificati. Vide Less., Nav., Bon., & alios.

Quæres, Quid sit dicendum, quando plures sunt causæ damni æque principales?

Respondeo, Si plures sint causæ æque principales, eum primo loco teneri restituere, qui immediate etiam intulit damnum suo solo nomine: v.g. plures ex conspiratione aggrediuntur Titium, sed unus tantum eorum infert ictum suo solo nomine; hic primo loco tenetur restituere, reliqui vero in ejus defectu; quia hic plus omnium influxit suo solo nomine: Vasq., Mol., Less., Lug., & alii; si autem intulit ictum non suo tantum, sed omnium nomine, tunc omnes æque primo tenentur: Less. n. 47. Eadem dic, si commune est consilium de damno inferendo, sed hoc ab uno tantum eorum infertur; si enim proprio tantum nomine, ipse tantum primo loco tenetur, ac proinde eo restituente, reliqui ad nihil tenentur; secus vero, si executus est damnum nomine omnium.

Quæres iterum, Quid sit addendum de consulente?

Respondeo: Primo, Si quis per fraudem, aut culpabilem ignorantiam consulendo induxit Titium ad inferendum ignoranter damnum: v. g. si Confessarius mala fide suasit pœnitenti, ut non restituat, Consiliarius Principis culpabiliter ei suasit condemnare innocentem, &c.; tunc talis consulens tenetur primo loco restituere, quia injusta damnificatio ipsi tantum fuit voluntaria; alter enim ope-

Digitized by Google

ratus est, ut supponitur, ignoranter, & bona fide, ideoque non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, si extet: Croix n. 60. Secundo, Si Titius suasit Cajo, ut suaderet Sempronio inferre damnum Petro, Sempronius primo loco tenetur restituere Petro, ut patet ex dictis; at secundo loco tenetur Cajus, quia influxit immediatius Titio, qui proinde ultimo loco tenebitur: Croix n. 61. Tertio, Si consilium sit utile ipsi tantum Consultori, ipse tenetur primo loco, quia sic se habet tanquam mandans: contra vero, si sit utile tantum executori, ut patet ex dictis: at, si sit utile utrique, uterque tenetur æque primo pro rata: singuli autem in solidum in defectu alterutrius: Less. c. 10. n. 41., Lug. d. 13. n. 9., quidquid sit de foro externo, ex *l.* 2. *ff. Mandati* apud Croix n. 56.

CAPUT VIII.

An prædictæ Personæ teneantur singulæ in solidum?

RESTITUERE in solidum, seu in integrum idem est, ac totum damnum illatum integre resarcire. Ut autem teneatur quis in solidum restituere, debet esse causa totius damni secuti, si minus totalitate causæ, saltem totalitate effectus: v. g. Plures personæ suo quæque nomine mandant Petro occidere Cajum, singuli illi mandantes tenentur in solidum de morte Caii, quia singuli fuerunt causa sufficiens, cui totus tribueretur effectus; ideoque singuli tenentur ad partem, si reliqui mandantes restituant; ad totum vero, si reliqui non possint, vel nolint restituere. Idem est de pluribus simul exequentibus, consulentibus, consentientibus etiam in idem damnum, juxta jam dicta suo cujusque loco. Ex quibus infers, quod, si tres v. g. communi consensu furati sint 300. aureos, & unus restituit totum, alter vero nolit, vel non possit reficere illi suam partem, tertius tenetur eidem reficere non solum suam partem, sed insuper etiam dimidium, nimirum 150. quia sic tota obligatio manet apud duos, quibus proinde æqualiter est dividenda: Sayr., Bon., & alii.

De participantibus in delicto manent hic plures difficultates enodandæ; pro quibus nota, quod damnum, cui plures

res

res auxiliantes cooperantur, vel est idem, & individuum, vel est dividuum, & diversum: deinde vel omnes simul unanimi consensu concurrunt, vel unusquisque seorsim. His notatis

Quæres primo, An, si plures unanimi consensu concurrunt ad idem damnum inferendum, teneantur singuli in solidum restituere?

Respondeo affirmative, Quia sic singuli influunt in totum damnum; singuli enim suo consensu, præsentia, operatione, &c. adjuvant, animant, ac securos reddunt alios, sicque concurrunt etiam ad eorum actiones: ergo singuli tenentur in solidum, itaut quilibet teneatur ad totum in defectu sociorum, etiamsi partem per se tantum destruxerit, aut sibi acceperit, aut nihil ad eum pervenerit: ut, si adjuves ad eandem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, ad eundem gregem animalium abigendum, ad eundem hominem occidendum, &c. sive comitando furem, sive ostendendo iter, sive tenendo scalas, sive agendo excubias, sive præbendo sarcinas, ignem, instrumenta, &c. Nec refert, quod damnum sine te auxiliante adhuc fieret, sive quia socius constituerat se solo facere, sive quia alius tuo loco similem operam conferret; nam de facto verum est, te auxiliante fieri: Less. n. 35. Excipit Nav. c. 17. n. 17., nisi solum mediate cooperatus sis, v.g. præbendo instrumenta, juvando conscendere, tenendo scalas, &c.; si enim sine hoc auxilio fur æque inferret damnum, non teneris, inquit Nav., ad restitutionem, quia es tantum causa modi; sed verius, & communius est, teneri, quia es causa totius actionis, ut hic & nunc fit.

Sed adhuc dubium est, an singuli teneantur in solidum, si singuli non fuissent causa per se sufficiens ad totum damnum, v. g. ad auferendum idem pondus, simul tamen sumpti fuerunt causa sufficiens? Qua in re dicendum cum Lug. d. 19. n. 82., singulos teneri in solidum, si singuli movent alios ad ponendum illud damnum, aut si singulis non concurrentibus damnum non poneretur; quia sic singuli sunt moraliter causa adæquata totius damni; singuli enim potuissent, ac debuissent impedire non dando suum concursum: contra vero, si singuli non movent alios, & sin-

Digitized by Google

gulorum concurſu ſublato adhuc fieret totum damnum; ſinguli tenentur tantum ad partem; quia ſic ſinguli non fuerunt ne moraliter quidem cauſa totius, nec illud poterant, aut ſaltem non tenebantur impedire: v. Croix n. 53.

Quæres ſecundo, An, ſi plures unanimi conſenſu inferunt, non idem, ſed diſtinctum damnum diverſis, puta alius furetur Titio, alius Cajo, &c., ſinguli teneantur in ſolidum?

Reſpondeo, Sylv., Nav., & alios apud Trul. docere, non teneri in ſolidum, ſed tantum ad ſuam partem; quia ſic nemo eſt cauſa totius, nec damni ab altero illati, ſed ſolius ſuæ partis. Sed hoc intellige, niſi forte alius alium impulit, ut citius, aut alacrius faceret, vel niſi ſe invicem promoverint, aut animaverint; ſic enim in ſolidum tenetur unuſquiſque reſtituere, quia ſinguli cenſentur cauſa totius damni: Leſs n. 36. Hinc patet reſponſio ad caſum de militibus Civitatem injuſte deprædantibus; ſi enim ſinguli ad ſuam tantum partem concurrunt, ad eam ſolum tenentur, ut inquit Leſ. n. 37. ex Nav., Sayr., & aliis apud Bon., & Dian. p. 2. t. 5. r. 8. Verum, cum id vix accidat abſque mutua animatione, &c., ideo vix liberari quivis eorum poteſt à reſtitutione in ſolidum; quare melius ab hac excuſantur per accidens, tum quia non poſſunt totum reſtituere, tum quia læſorum voluntas, & expectatio non eſt, ut plus reſtituant, quam partes ſuas; ideoque, ſi has poſſunt, ad id tantum tenentur, vel etiam, ſi quid adhuc reliquum habent ex iniquo: in ſolidum autem tenetur dux, qui mandavit, non prohibuit, &c., Laym., ex Cajet., Mol., & aliis apud Buſemb. dub. 3.

Quæres tertio, An, ſi plures abſque mutuo conſenſu, ſed quiſque per ſe ſeorſim, damnum intulerunt Titio, teneantur ſinguli in ſolidum reſtituere?

Reſpondeo negative, Quia nullus eorum concurrit ad totum damnum, vel ad damnum ab altero illatum. Sic, ſi ſupervenias Titio jam ante ab aliis letaliter vulnerato, & interficias, non teneris ad reſtitutionem totius damni, ſed ſolum quatenus mortem acceleras, vel quatenus es cauſa alicujus particularis damni; quia mors adhuc abſque tua cooperatione erat mox futura: incurris tamen irregularitatem, quia revera mortem acceleras: Reginal., Bon., q. 2. p. 1.

Digitized by Google

p. 1. n. 19., & alii. Si plures seorsim, & absque mutuo consensu, ac notitia vineam Titii deprædati sunt, singuli tenentur tantum pro sua parte: idque verum est primo, etsi singuli advertant ad damnum causatum ab aliis, quia, quod advertant, non ideo evadunt causa physica, aut moralis damni ab aliis illati: Less., & alii. Verum est secundo, etsi alter moveatur exemplo alterius, quia, qui movet tantum suo pravo exemplo, solum peccat contra charitatem: Less., Sal., Tamb., Lug. d. 16. n. 159. contra Laym., Ovied., & alios apud Croix n. 1000. An autem hi peccent mortaliter, si singuli levem uvæ quantitatem comederint, videbimus commodius d. 2., cum de furtis minutis.

Ex dictis infers, quid sit dicendum de comedente agnum furtivum? Si enim non est cooperatus ad furtum, tunc etsi ignoranter comedit, tenetur tantum, in quo factus est ditior; si vero scienter comedit, tenetur ad valorem partis, quam ipse consumpsit, etsi non factus sit ditior. At, si cooperatus est ad furtum, vel si aliis volentibus restituere ante comestionem suasit comedere, tenetur in solidum, quia sic cooperatur ad totum damnum: Bonac., & alii communiter.

QUÆSTIO VI.

De Persona, cui restituendum.

HÆc persona communi vocabulo dici potest creditor. Videndum, Primo, Cui creditori facienda sit restitutio? Secundo, Quis ordo servandus sit inter plures creditores? Tertio, An creditor uti possit occulta compensatione?

CAPUT I.

Cui creditori facienda sit restitutio?

DIco: Ordinarie loquendo, facienda est ei, qui juste eam rem detinebat: Doctores communiter. Ratio est, quia restituere est in pristinum statum reponere, *l. Restituere, ff. de verb. sign.*; ergo, &c. Hinc, qui furatur rem a Sartore, Depositario, Commodatario, Pignoratario, Tutore, Oeconomo, Procuratore, &c., his tenetur restitue-

tuere, & non domino, quia hi juſte detinebant, ſicque reponit in priſtinum ſtatum juſtum. Si ergo reſtituat immediate domino, peccat; facit enim eis injuriam privando juſta detentione; quamvis nihil deinde teneatur eis reſtituere; niſi forte aliquod inde damnum eis ſequatur: v. g., ſi a depoſitario furatus es pecuniam, qua etiam licite lucrabatur, teneris de hoc lucro, ſi ei ceſſet, eo quod domino reſtituas: Sayr., Cajet., Salon., & alii; qui etiam bene monent, quod, quando res ablata non redditur his, ſed domino, debes eos monere, quod dominus rem ſuam habeat. At, ſi is, cui res eſt ablata, non ſit capax ejus dominii, aut adminiſtrationis, v.g. ſi a Religioſo, Uxore Titii, Mancipio, Filiofamilias, vel Clerico ſurripueris aliquid, quod erat Monaſterii, Patrisfamilias, vel Eccleſiæ; tunc non illis, ſed iſtis debes reſtituere. Niſi vero prudenter judices, quod illi ſtatim reſtituent iſtis; vel ſi non poſſis iſtis immediate reſtituere ſine gravi tuo damno; ſic enim nulla iſtis infertur rationabilis injuria. Uti etiam illis, non iſtis, debet reſtitui, ſi quid ablatum ſit v. g. ex paraphernalibus uxoris, caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus filii, conceſſis ad uſum Religioſo, &c.

Denique, quando res pecuniaria reſtituenda eſt domino, ſatisfacies Juſtitiæ, ſi eam reſtituas ejus creditori: v.g. ſi debeas 100 Titio, qui tantundem debeat Cajo, ſatisfacis dando Cajo; quia ſolvendo creditori tui creditoris, transfers in te jus, quod ille habebat in tuum creditorem, & conſequenter nihil ei amplius debes. Atque hoc recte procedit in foro conſcientiæ, in quo ſatis eſt, ſi utrumque debitum ſit ex juſtitia, ſit æquale, & ſit certum; quidquid ſit de foro externo, quod aliter in aliquibus caſibus decernit: v. Leſs. c. 16. n. 61.

Quæres primo, Cui reſtituenda ſit res Caii, quam accepiſti a Titio poſſeſſore bonæ fidei, vel fure?

Reſpondeo primo: Si rem Caii accepiſti a Titio poſſeſſore bonæ fidei; tunc, ſi dubites, quis eorum ſit dominus, reſtituere debes Titio; quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: idemque eſt, etiamſi certo ſcias, eſſe Caii, ſed id probari certo non poſſit; quia, cum Titius bona fide poſſideat, non poteſt re ſpoliari, niſi ei conſtet, eſſe Caii. Si vero id probari certo poſſit, tunc admonendus eſt Titius,

Digitized by Google

tius, ut rem recuperans reſtituat Cajo; quod, ſi admonitus noluerit, debes Cajo immediate reſtituere; quia jam Titius incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei: Sayr., Nav., Trul., & alii. Secundo, Si rem Caii accepiſti donatam, vel depoſitatam a Titio fure, teneris eam reſtituere immediate Cajo domino, ſive bona, ſive mala fide eam acceperis; ita ut, ſi ſciens eſſe furtivam reſtituas furi, qui deinde non reddat domino, tenearis huic compenſare damnum, cujus es cauſa; niſi vero certus moraliter eras, quod fur ipſe reſtitueret domino: Leſs. c. 16. n. 13., & c. 27. n. 15. Croix n. 98.

Si vero eam emeris a fure, tunc, ſi prudenter judices, ab eo reſtituendam domino, & te non poſſe aliter recuperare tuum pretium, niſi eam reſtituendo furi, potes huic reſtituere, ſive bona, ſive mala fide emeris; quia ſic dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus: Croix n. 99., & alii. At, ſi prudenter prævideas, a fure non reſtituendam domino, tunc, ſi non potes aliter recuperare tuum pretium, Sylv., Alenſ., Haunol., Dian. p. 5. t. 14. r. 87., & alii dicunt, etiam poſſe reſtituere furi, ſive bona, ſive mala fide emeris; quia reſtituendo furi, reponis rem in eo ſtatu, in quo ante emptionem erat, nec ad amplius teneris. Contradicunt Cajet., & Medin., Sot., Mol., Laym., Croix n. 100., & alii, quia res apud te exiſtens acquiſivit meliorem ſtatum, qui ſpectabat etiam ad dominum rei: ergo, ſi reſtituas furi, facis domino injuriam, cum e ſtatu meliori in deteriorem dejicias. Sed Leſſ. c. 13. a n. 14., Mald., Turrian., Dicaſtil., & alii rectius diſtinguunt, dicendo, poſſe reddere furi, ſi bona fide emeris, & aliter pretium recuperare non poſſis; quia ſic, cum nullam injuriam feceris domino in emptione rei ſuæ, non poteſt eſſe rationabiliter invitus, ſi eam, ne pretium amittas, reponas in eo ſtatu, in quo erat antea. Secus vero dicendum, ſi mala fide emeris; ſic enim ratione injuſtæ acceptionis teneris eam reſtituere domino, etiam cum periculo tui pretii. Dominus autem nihil tenetur tibi refundere, ſi mala fide emeris; teneretur enim ſolum ad parvum aliquod pretium, ſi emeris bona fide, vel cum animo eam ipſi reddendi: Leſſ. n. 20.

Cæterum, ſive emeris, ſive donatum habeas a fure frumentum, aut aliud miſcibile furtivum, quod cum aliis ejus rebus propriis erat jam mixtum, nullatenus teneris

Digitized by Google

reſtituere, etiamſi illud apud te adhuc extet, & etiamſi ſcienter acceperis; quia ſic non accepiſti rem furtivam, ſed propriam ipſius furis, contra quem prior dominus habet actionem tantum perſonalem: Leſſ. n. 22., juxta dicta q. 1. c. 3.

Quæres ſecundo, Cui facienda ſit reſtitutio, ſi dominus rei ſit mortuus?

Reſpondeo, Faciendam eſſe ejus hæredibus, utpote ſuccedentibus in jus defuncti: quare injuſte tunc daretur res pauperibus, vel ſacrificantibus pro ejus anima, quia defunctus per mortem amiſit jus civile in ſua bona (etſi illud recuperaret, ſi reſurgeret) quod tranſiit jam ad hæredes: Trul. ex D. Th., & aliis. Hæredibus autem non exiſtentibus, probabile eſt, poſſeſſorem bonæ fidei poſſe ſibi eam rem retinere ante ſententiam Judicis: poſſeſſor vero malæ fidei tenetur in conſcientia eam erogare in pia opera pro anima defuncti, juxta dicta q. 3.

At, quid dicendum de hoc caſu? Titius mandavit famulo ſuo, ut ferret Cajo donatam a ſe gemmam, famulus autem per fraudem, & ex gravi culpa diſtulit eam ferre uſque ad mortem Titii, nunc vero mortuo Titio gemmam illam perdit; quæritur, quid, & cui famulus teneatur reſtituere? Mol., Saneh., Leſ. c. 18. n. 46., & alii dicunt, teneri duplicem valorem gemmæ reſtituere duobus; unum ſcilicet hæredibus Titii, quia, cum donatio non fuerit perfecta, mandatum expiravit morte mandantis, & conſequenter gemma manſit hæredum Titii: alterum valorem debet Cajo; quia per dilationem culpabilem fuit ei cauſa damni, ſeu non habendi gemmam jam donatam: ſed Sa, Tamb., & alii dicunt, ſatis eſſe, ſi reſtituat tantum Cajo, quia probabile eſt, mandatum favorabile, & gratioſum non expirare morte mandantis; ſicut Sanch. l. 8. *Matr.* d. 28. n. 66. dicit, morte concedentis non expirare gratias, v.g. conceſſionem privilegii, diſpenſationis, indulgentiæ, &c., & juxta hanc ſententiam gemma, ſi extet, poteſt dari Cajo. Prima tamen ſententia videtur probabilior: Croix n. 220. Sed melius diſtinguendum cum Leſſ., qui adhæret primæ ſententiæ, ſi mandans ipſe donavit; ſecundæ vero, ſi mandavit donationem faciendam.

Quæres tertio, Cui reſtituere debet, qui falſificavit monetas? Re-

Digitized by Google

Respondeo, Falsificantem monetas peccare mortaliter, quia sibi usurpat jus Principis, quod est quid grave: Doctores communiter. Porro falsificans monetam ex parte materiæ, vel scilicet de justo pondere minuendo, vel minoris valoris metallum miscendo, vel aliam materiam cudendo, peccat dupliciter contra justitiam, & tenetur restituere: Primo Principi, quem privat justo lucro, quod ei competit ex monetæ cusione: Secundo his, quibus ea moneta est in solutionem data, pro damno eis illato. Quod, si ii ignorantur, talis restitutio fieri debet Communitati læsæ, vel pauperibus, juxta dicta q. 4. c. 1. de Restitutione incertorum. Eadem dic de circumcidentibus, radentibus, vel aliter extenuantibus publicam Principis monetam, itaut justum pondus amittat; est enim falsificatio ex parte ponderis: Doctores communiter cum Nav., Sylv., & aliis: si autem talis moneta justum pondus non amittat, quamvis non sis proprie falsarius, peccas tamen mortaliter, eo quod tibi jus alienum usurpas, & teneris restituere Principi id, quod abraseris, eo quod fuit per errorem appositum: Villal., Trull., & alii.

At, quid, si falsifices monetam tantum ex parte sigilli, itaut materia sit integra, & perfecta? Peccas secundum omnes, eo quod usurpas tibi jus Regium sigilli. Sed secundum Sylv. nihil teneris restituere; secundum Navar., Villal. rectius teneris saltem Regi, eo quod hic minus veram monetam expendat; ideoque etiam suo lucro privatur: qua ratione, qui libros sine licentia imprimit, qui nives privatim vendit, &c., tenetur restituere ei, qui habebat privilegium imprimendi, vendendi, &c. quantum ei impedivit lucri: Trull., & alii. Denique, qui accipit tales monetas adulterinas, vel accipit bona fide, & bona fide etiam expendit, probabile est, comperta postea falsitate, ad nihil teneri secundum Sylv., & Dian. p. 2. t. 5. r. 3. Sed verius secundum Navar., Villal., Trul., & alios est, teneri restituere ei, cui dedit; non enim excusatur, eo quod ab alio acceperit; nam suus error non debet nocere aliis. Si vero mala fide accepit, vel postea novit, esse adulterinam, peccat utique expendendo, & tenetur reficere damnum accipienti, nisi is forte fuerit idem ille, qui dedit. Si quis vero pecunias diminuti ponderis, ubi minus

Digitized by Google

nus valent, emit justo pretio, & defert ad locum, ubi indifferenter expenduntur, non videtur peccare, quia nulli damnum infert, & sibi labore, & industria lucrum quærit: Sylv., Villal., Trul., & alii. An autem, & cui restituenda sint bona incerta, dictum est q. 4. c. 1.

CAPUT II.

Quis ordo servandus sit inter plures Creditores?

CERTUM est, non opus esse servare ullum ordinem, si bona debitoris certo sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus; quia, cum omnibus integre satisfieri possit, nulla fit injuria creditori anteriori, si postremo loco ei satisfiat. Loquimur ergo, quando bona debitoris non sufficiunt, vel dubium est, an sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus, in quo casu

Dico primo: Præferendus est reliquis omnibus creditor, cujus res apud debitorem extat in specie, necdum ejus dominium translatum est in debitorem: Doctores communiter. Ratio est, quia in hanc rem nullum jus habent alii creditores, utut anteriores, & privilegiati. Hinc, si res furtiva, locata, depositа, &c. adhuc extet apud debitorem, nec sit mixta cum aliis ejus rebus, est ante omnia restituenda vero domino, quamvis reliquis bona debitoris non sufficiant. Idem est de re empta ad creditum pretio nondum soluto, quia sic nondum translatum est dominium in emptorem, dummodo adhuc extet, nec sit permixta cum aliis: Doctores communiter cum Navarr., Bonac., & aliis.

Dico secundo: Ex reliquis bonis debitoris prius solvenda sunt debita certa, quam incerta, dummodo hæc non extent in specie: Less. c. 15., Bonac., & alii communiter. Ratio est, quia debita certa sunt, quorum sciuntur creditores; incerta, quorum creditores ignorantur, juxta dicta q. 4. c. 1., atqui illa jure naturæ debentur, hæc vero jure solo positivo debentur pauperibus, vel locis piis: ergo illa sunt præferenda. Hinc, si bona debitoris non sufficiant ad solvenda debita certa, poterunt ex debitis incertis solvi creditoribus certis, quia his sunt obnoxia. Nisi vero, ut dixi, *Extent in specie*; si enim debitor habeat equum fur-

Digitized by Google

furtivum, cujus ignorat dominum, debet illum erogare pauperibus, quia creditoribus certis non potest solvere ex re aliena: nisi vero eam sibi tanquam pauperi applicaverit, quia sic non amplius censetur aliena: Les. n. 6.

Dico tertio: Inter debita certa, prius solvenda sunt debita contracta pro expensis funeris moderate factis: Doctores communiter. Ratio est, quia tales expensæ sunt ante omnia privilegiatæ, ex *l. penult., ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*. Huc etiam spectant debita ab hærede, vel alio contracta præcise ratione defuncti, scilicet pro medicamentis, ejusque infirmitate, pro conficiendo testamento, inventario, pro custodia supellectilis, & similibus opportunis restitutionibus faciendis. Unde, si quis has expensas fecerit pro debitore, aut pro funere illius, quem debitor sepelire debuisset, ut uxoris, filii, vel mancipii, ei jure naturali restitutio facienda est; ex *l. 1. c. penult., ff. de Religiosis, & sumptibus*. At, si omnia, quæ relicta sunt, sint aliena, & in specie debita aliis, non potest ex his sine licentia creditoris sumi ad expensas funeris, nisi simpliciter esset necessarium ad sepeliendum moderatissime defunctum; nam censetur tunc extrema necessitas: Sayr., Nav., Bonac., & alii.

Dico quarto: Post expensas funeris, inter reliqua debita certa prius solvenda sunt, quæ habent hypothecam, id est obligationem realem fundatam in aliqua re, ut in fundo, domo, &c.: Less. c. 15. n. 4., Bon., & alii communiter. Ratio est, quia hæc duplici obligatione debentur, reali nempe, & personali, & ideo datur creditori hypotheca ob securitatem, ut in omni eventu possit ex ea re curare sibi satisfieri. Si autem plures sint creditores hypothecarii super eadem re, prius solvendum est iis, qui tempore sunt priores, ordinarie loquendo, ex illa Reg. Jur., *Qui prior est tempore, potior est jure;* quæ regula intelligitur communiter de iis, qui in eadem re habent hypothecam, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis, ut addit Less. n. 22.; unde hypotheca dotalis, quamvis tacita, si sit prior, præfertur expressæ posteriori, & similiter generalis prior præfertur speciali posteriori. Hinc, si debitor, vel ejus hæres solvat posteriori, omisso eo, qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatam, sciens, id fieri cum da-

Digitized by Google

damno prioris, peccat, & tenetur priori de damno, & potest prior a posteriore recuperare, quod solutum est: Less. n. 38. ex *l. Scimus, ff. de Jure deliberandi*.

Dixi, *Ordinarie loquendo;* nam dantur octo casus, in quibus ex privilegio posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam: Primo, Mutuator pro refectione, aut conservatione rei alteri antea hypothecatæ: Secundo, Mutuator pro vectura mercium, aut conductione ædium, in quibus asservantur: Tertio, Dos, cui omnia mariti bona tacite sunt hypothecata uxori, ejus filiis, & descendentibus; hi tamen, etsi præferuntur omnibus creditoribus habentibus tacitas hypothecas etiam priores, non tamen hypothecæ expressæ priori: Quarto, Res empta ex pecunia pupilli, huic manet obligata ante omnes, ut scilicet possit pretium recuperare: Quinto, Mutuator pro emptione rei cum pacto expresso, ut maneat ei hypothecata, præfertur anterioribus habentibus hypothecam generalem in bonis mutuatarii: Sexto, Fiscus in bonis ejus, qui cum eo contraxit, præfertur anterioribus hypothecis tacitis, non tamen expressis: item doti, si bona viri erant ante dotem Fisco hypothecata, non vero, si post dotem: Septimo, Qui dat credito pecuniam alicui pro militia, præfertur & doti priori; unde huic ex bonis mariti est solvendum, etiamsi dos sit peritura: Octavo, Fructus terræ conductæ sunt specialiter hypothecati conductori, etiamsi non fuerit expressum: v. Less. l. 2. c. 15. a n. 26. citantem jura.

Dico quinto: Post habentes hypothecas solvendum est creditoribus personalibus, idest, qui solam personam debitoris, & non ejus rem habent obligatam: Doctores communiter. Ratio est, quia hæc simplici obligatione personali debentur, unde merito solvi debent ultimo loco. Inter hos autem primo loco solvendum est iis, qui habent privilegium prælationis absque hypotheca, quale habet sponsa de futuro in bonis sponsi, ratione scilicet dotis traditæ non secuto matrimonio: item, qui deposuit pecunias apud nummularium non recipiens inde usuras, quod extendunt Doctores ad omnia deposita, & ad commodatum, & pignus, si culpa debitoris perierint, & ad pecuniam depositam in societate mercatorum; imo, si hæc extet, & sit mixta cum alia, restitui debet ante hypothecas, cum sit

in

Digitized by Google

in ſpecie aliena: Leſſ. n. 34., & alii. Secundo loco ſolvendum eſt creditoribus Chyrographariis ex titulo honeſto, cuique pro rata, non habita ratione temporis prioris, vel poſterioris. Addit hic D.Th., Chyrographarios pauperiores præferri poſſe ditioribus, quia plus ſunt læſi; ſed negant Leſſ., Nav., & alii, niſi ſint in extrema, vel gravi neceſſitate. Tertio loco creditoribus ex titulo gratuito, ut ſi defunctus alicui piæ cauſæ voverit: reliqua autem erunt pro hæredibus, ita tamen, ut hæredes præcedant legatarios ad ſuam legitimam obtinendam, ſi ſint hæredes neceſſarii; ſi non neceſſarii, ad quartam bonorum, quæ dicitur falcidia: Leſſ. n. 35.

Putant aliqui cum Cajet. apud Trull., inter debita perſonalia præferenda eſſe ea, quæ debentur ex contractu oneroſo, iis, quæ debentur ex delicto; alii cum Fill. econtra; ſed Sylv., Nav., Leſſ. n. 16., Bonac., & alii communius dicunt, in hoc nullum eſſe jus prælationis, ſed omnibus eſſe pro rata reſtituendum (modo res non extet juxta ſæpe dicta) quia nullo jure deducitur inter hæc prælatio. Dixi *Ex contractu oneroſo*; nam, quæ debentur ex contractu gratuito, legato, &c., merito poſtponuntur omnibus debitis ex juſtitia: Doctores communiter.

Putant etiam D. Th., Suar., Salon., & alii apud Croix n.403., inter creditores perſonales ejuſdem ordinis, priorem præferendum poſteriori, ex regula cit. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, quod conforme rationi etiam exiſtimat hic Villalob. Sed probabilius videtur oppoſitum, quia ea regula ſervanda eſt tantum inter creditores habentes eandem rem ſibi hypothecatam: Sylv., Laym., Leſſ. n. 44., Bon., & alii. Quare ex æquo pro rata ſatisfaciendum eſt arbitrio prudentis, qui poterit plus dare juxta majorem rationem debiti, temporis, & injuriæ: erit autem contra juſtitiam uni in integrum ſolvere, aliis manentibus inſolutis: Villalob., Trul., & alii.

Quæres primo, An, ſi ſint plures creditores perſonales non habentes privilegium prælationis, & aliquis ex illis petat ante alios, poſſit debitor illi integre ſolvere?

Reſpondeo affirmative, etiamſi ille petat extrajudicialiter, ut addunt Laym., & alii contra Mol., Vaſq., Pal., & Lug., & etiamſi ille tempore eſſet poſterior; quia di-

li-

Digitized by Google

ligentia posterioris facit eum potiorem, ut faceret hypotheca, vel privilegium: Nav., Sylv., Bonac., & alii communiter ex *l. Pupillus, ff. Quæ in fraudem;* unde debet ei solvi, & is licite poterit integrum debitum petere, & retinere etiam, quando credit, debitorem non fore omnibus solvendo, modo alii non habeant jus prælationis: Bon., Less. n. 39. Contra vero, si creditor non petat, non potest debitor sciens statum suum labentem, ei integre solvere, sed tenetur pro rata modo dicto: Bonac., & alii: si tamen creditor non petens integram solutionem accepit, potest in conscientia retinere, quia non accepit rem alteri hypothecatam, ut suppono: Less., Trull., & alii contra Bonac., Sylv., Rebel., Azor., & alios. Ex quibus Diana cum Comit., Homob., Fernandez, & aliis infert, quod, si habeas rem aliquam defuncti debentis tibi v. g. 100. aureos, possis in hoc casu facere compensationem, etiamsi sint alii creditores personales anteriores, non habentes tamen specialem in ea re hypothecam: v. Dian. p. 2. t. 5. r. 10.

Quæres secundo, An, qui accipit aliquid donatum a Titio, quem scit non esse solvendo omnibus suis creditoribus, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si prudenter judicet, quod Titius possit laborando, vel alia via facile satisfacere suis creditoribus, quia sic Titius non est in impotentia solvendi, ut recte ait Lug. d. 20., ideoque, si postea non satisfaciat, non est ideo, quia alienavit sua, sed quia fuit negligens. Si autem accipiens non poterat id prudenter judicare, tunc est distinguendum; si enim Titius non poterat juxta suum statum abstinere absque magno dedecore a talibus sumptibus, aut etiam a talibus donationibus gratuitis, Lug. etiam dicit, posse ab eo fieri, & ab alio acceptari absque onere restitutionis, quia sic creditores non habent jus, ne debitor ita expendat, & consequenter neque, ne alter accipiat: si vero non adsint dictæ circumstantiæ, peccat quidem Titius contra justitiam, reddendo se impotentem solvere creditoribus: accipiens vero etiam peccat, & tenetur ad restitutionem, seu ad resarcienda damna creditoribus, si incitaverit Titium ad talem contractum injustum, &c.; si autem ad id non incitavit, Molin., & Less.

pro-

Digitized by Google

probabiliter dicunt, non teneri de jure naturæ ad restitutionem, quia tantum usus est peccato alterius ad suum commodum (uti mutuatarius utitur peccato usurarii) & res non erat hypothecata, ut supponimus. Lug. tamen cum communi docet probabilius oppositum; quia semper verum est, quod injuste cooperatur illius impotentiæ. Quidquid autem sit de jure naturæ, tamen de jure positivo, si alienatio est facta in fraudem creditorum, datur his actio intra annum a notitia facti, qua actione rescinditur contractus, debetque res etiam vendita restitui debitori, etiam non restituto pretio, nisi quatenus extet, vel ex eo debitor factus sit ditior: Croix n. 383.

Ex dictis infers primo, Debitorem impotentem solvere peccare contra justitiam, si nolit admittere aliquam donationem, vel hæreditatem sibi oblatam, qua habita solvere posset; quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria, vel sine gravi incommodo ponibilia: Mol., Bonac., Lug. n. 137., & alii communiter: hinc successor illius hæreditatis repudiatæ, si induxerit ad repudiandum, tenetur restituere creditoribus, tanquam injustus cooperator: secus vero, si non induxit, quamvis, ut addit Lug. n. 159., peccaverit contra charitatem non impediendo repudiationem.

Infers secundo, Uxorem, filios, & famulos necessarios posse vivere, & de præsenti acceptare salarium ex bonis domini impotentis solvere suis creditoribus; quia dominus debet illis alimenta, nec aliter subsistere potest; unde creditores essent irrationabiliter inviti quoad dilationem solutionis: idem ait Laym. de mercedibus operariorum ad necessarios usus conductorum, quas vult præferri etiam debitis hypothecatis, quia fiunt non in fraudem, sed ad utilitatem potius creditorum, ut debitor fiat potens solvere, & alioqui nemo talibus debitoribus ære alieno gravatis serviret: Croix n. 387.

Infers tertio, Si contraxeris cum Titio, quando erat potens satisfacere suis creditoribus, & postea ante traditionem fiat impotens, poteris rem illam accipere, sicut alii creditores, servato tamen ordine creditorum, & proportione quoad solutionem. At, si tempore contractus erat impotens, & tempore, quo accipis rem, sit potens; aut si tem-

Digitized by Google

si tempore, quo contraxit, & tradidit, erat impotens, & tempore intermedio potens, peccat quidem Titius sic contrahens; sed tu non peccas accipiens rem, nec teneris restituere; quia, quando aderat potentia, justificabatur contractus: Lug. n. 120., Croix n. 385.

CAPUT III.

An possit Creditor uti occulta compensatione?

COMMUNIS Doctorum sententia est affirmativa; dummodo adsint conditiones sequentes, quarum aliquæ, si desint, compensatio erit injusta, adeoque invalida; si desint aliæ, erit quidem justa, & valida, sed aliquando illicita contra alias virtutes. Conditiones sunt

I. *Ut debitum sit ex justitia*: quia sic creditor jus stricte suum compensat. Hinc, si quis vovit dare aliquid pauperibus, vel Ecclesiæ, non potest Pauper, vel Ecclesia id ab eo surripere, quia debetur illis tantum ex Religione, nec ex tali voto acquisitum est jus strictum tertio: Doctores communiter contra Nav. l. 3. *de Restit. n. 393.* Similiter, si quis tibi debeat tantum ex Gratitudine, quod dicitur antidorale, non potes illud occulte tibi compensare: si quid dedisti Titio titulo amicitiæ, consanguinitatis, vel paupertatis, non potes ab eo, si postmodum fiat locupletior, aliquid in compensationem tibi sumere: si quid in hæreditatem, vel legatum reliquisti Cajo sub spe, ut subveniat tuis consanguineis, non possunt hi aliquid a Cajo clam sumere, etsi Cajus spem illam defraudavit, vel ingratus extitit: Sayr., Trul., & alii communiter.

II. *Ut debitum sit certum;* quia contra justitiam est pro debito tantum probabili certam sibi solutionem propria auctoritate attribuere; sic enim non servatur æqualitas; hinc dicitur compensatio fieri debere de liquido ad liquidum. Neque obstat, quod possit, ac debeat Judex tibi adjudicare rem ab alio possessam, si probabilius ad te pertineat; nam hoc fit ex communi consensu, ut tollantur discordiæ, & dominia rerum reddantur certa: quod fieri non potest propria auctoritate; quia contra possessorem nulla valet probabilitas, etiamsi major, nisi accedat auctoritas Judicis. Hinc ab Inn. XI. damnata est hæc Prop.

37.

Digitized by Google

37. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Et ratio damnationis est, quia, cum salarium, quamvis parvum, possit esse justum ex diversis capitibus, quæ ipsi regulariter scire nequeunt, non possunt certo judicare, operam suam esse majorem. Atque hæc vera communissime sunt contra Sancium, si habeas pro te tantum probabilitatem facti; at, si habeas probabilitatem juris, Tambur. l. 1. *Decal.* c. 3. §. 2. a n. 15. admittit opinionem Sancii, quod possis tibi compensare in aliquibus casibus, ut in testamento minus solemni; in quo cum Mol., & Lessio putat, posse legatarium occulte surripere legatum hæredi necessario; quia probabile est, quod in eo testamento valeat legatum: & similiter, quod possit hæres ab intestato hæreditatem eripere ab hærede per tale testamentum instituto, quia probabile est, illud esse nullum: sed merito hæc rejicit Illf. apud Croix l. 3. p. 1. n. 962. ob rationem jam datam.

III. *Ut debitum sit præsens;* si enim debitum sit futurum, injuste cogitur debitor ad anticipatam solutionem. Cæterum Tamb. citans Tann., & alii cum Dian. p. 2. t. 16. r. 46. docent, quod, si v. g. hinc ad annum tibi aliquis debiturus certo sit 100, & prudenter judices, quod non sit tunc soluturus, potes eos tibi hodie per compensationem retinere, aut surripere; quia cuilibet licet, quando res sua est in periculo, illius assecurationem, vel pignus inquirere: teneris tamen ei de lucro inde cessante, & damno emergente, quia secus ille subiret pœnam ante peccatum.

IV. *Ut fiat compensatio æqualis debito, & de rebus debitoris;* injuste enim surriperes plusquam tibi debetur, vel rem tertii existentem apud tuum debitorem titulo v. g. commodati, depositi, pignoris, &c.; illud enim esset contra jus debitoris, hoc contra jus tertii. Si autem tertius mittat v. g. in donum, vel in solutionem aliquid ad tuum debitorem, tunc, si illud acceptatum est jam a tuo debitore, potes clam surripere, dummodo sit æquale debito; secus vero, si nondum ab eo est acceptatum, quia sic nondum est tui debitoris; sicuti neque potes surripere a debitore tui debitoris id, quod ei debet, sed nondum solvit: Vasq., Lug., Tamb., & alii apud Croix n. 964. Simi-

Digitized by Google

liter e converſo potes ſurripere rem, quam tuus debitor mittebat ad alium in donum, aut in ſolutionem debiti, ſi nondum ſit acceptata ab alio; ſecus vero, ſi ſit jam ab eo acceptata ſive per ſe, ſive per ſuum famulum a ſe miſſum: Doctores cit. Si vero apud alium ſit res tui debitoris titulo commodati, locati, aut pignoris, non potes ei ſurripere, quia facis ei injuriam: Doctores communiter. Si autem ſit titulo puri depoſiti, itaut tum quoad uſum, tum quoad adminiſtrationem ſit tui debitoris, Tamb., & alii putant, te poſſe ab eo ſurripere, quia ſic materialiter eſt, quod inveniatur apud alium. Si demum tuus debitor rem ſuam tibi commodavit, aut apud te depoſuit, quamvis ex *c. Bona fides, de depoſitis*, & *l. ult. c.eod.* non poſſis eam tibi retinere in compenſationem, tamen Nav., Sa, Tann., Leſs. c. 27. n. 16., & alii probabiliter has leges intelligunt tantum pro foro externo, non autem pro foro conſcientiæ. Ex quibus infert Tamb. §. 1. n. 6., & §. 7. n. 1., quod, ſi apud te inveniatur aliquid tui debitoris defuncti, non hypothecatum aliis, poſſis illud tibi retinere in compenſationem crediti, etiamſi talis retentio ſit in præjudicium aliorum creditorum defuncti, qui eſſent magis privilegiati, ſeu anteriores, nec ejus hæreditas ſufficeret pro omnibus; quia ea res apud te inventa videtur eſſe veluti pignus pro credito tuo, ideoque poſſe retineri, donec ſolvatur debitum: ſecus vero dicendum, ſi ea res apud te non eſſet; ſic enim cum præjudicio magis privilegiatorum, vel aliorum, ſurripere nunquam poſſes, quia ſic clare ſurriperes alienum, nullo modo tuum, ſaltem titulo pignoris.

V. *Ut creditum non poſſis alia via obtinere*, ex *l. 13., ff. quod metus cauſa.* Sed hæc conditio non eſt requiſita ex juſtitia commutativa, ſed tantum legali, nec obligat ſub mortali ſecundum Dian. p. 1. t. 2. r. 48., & alios. Et Tamb. n. 4. ait, in praxi vix in noſtra ætate locum habere, cum ſemper ſit difficile ſuum recuperare per auctoritatem Judicis. Illud hic notandum cum Leſs. c. 12. n. 64., quod, ſi tuum creditum non poſſis alia via obtinere, niſi per vim, & rapinam, aliquid debitoris auferendo, peccas contra Juſtitiam; quia ille, etſi tuus debitor, eſt tamen dominus rerum ſuarum, adeoque habet jus tibi reſiſtendi, & conſequenter tu es injuſtus aggreſſor; ſolum ergo uti potes

Digitized by Google

occulta compensatione, non autem vi: nisi vero res tua extet in specie apud debitorem, & non possis eam recuperare ob Reipublicæ perturbationem, itaut nemo jus suum obtinere per Judicem valeat, quia sic habes jus per te recuperandi rem tuam.

VI. *Ut postea moneas debitorem, ejusque hæredes, ne iterum solvant*, quod fiet, fingendo condonationem, vel similem aliam æquivocationem. Sed neque hæc conditio est requisita ex justitia, sed tantum ex charitate, compensando enim uteris jure tuo: si ergo sine tuo gravi incommodo non possis monere, non peccas non monendo: Lug. d. 16. n. 87. Similiter, si in compensationem tui crediti surripias rem debitoris apud tertium depositam, ex charitate tantum teneris cavere damnum, quod tertius pateretur coactus a Judice ad valorem depositi tuo debitori solvendum; quia hoc per accidens, & indirecte provenit ex tua compensatione, nec tibi utenti jure tuo imputabitur: Tamb. §. 1. n. 4., & §. 4. n. 2. Similiter, quamvis compensatio regulariter fieri debeat in re simili, puta in pecunia pro debito pecuniario, &c.; tamen, si fiat in re diversa, puta in veste pro pecunia debita, non peccas, si non sequatur inde damnum grave debitoris; imo, si non habes alium modum tibi compensandi, neque videris teneri de tali damno, quia sic debitori potius imputabitur non volenti solvere debitum: Tamb. §. 3. n. 1. Similiter demum ex charitate teneris cavere, ne ratione tuæ compensationis tertius patiatur tanquam fur, cum id per accidens, & indirecte ex tua actione sequatur: Tamb. §. 1. n. 4.

Ex dictis infers primo, quod, si feratur excommunicatio in omnes, qui surripuerunt bona Titii, non comprehenditur is, qui in compensationem aliquid ab eo surripuit, etiamsi poterat alia via facile suum creditum recuperare: Less. c. 12. n. 61. Imo, quamvis sententia excommunicationis dicat, *Non obstante, quod in compensationem acceperint*, adhuc Nav. docet, non comprehendi, quia excommunicatio fertur pro peccato futuro, & qui retinet in futurum id, quod juste accepit, non peccat, etsi forte de præterito in accipiendo peccaverit contra justitiam legalem.

Infers secundo, quod, si juste tibi compensaveris, & in-

Digitized by Google

terrogeris a Judice, num ſcias, quis acceperit, vel an *ipſe* acceperis, potes negare etiam cum juramento: quod probabile, inquit Leſs.n.62., etiam eſt, quamvis per compenſationem acceperis id, quod poteras alia via facile recuperare; quia reſpondes ſecundum mentem rationabilem Judicis interrogantis, quæ ſemper videtur eſſe, an male acceperis, non quoad modum, ſed quoad juſtitiam acceptionis.

Infers tertio, quod in omnibus caſibus, in quibus recompenſans non tenetur reſtituere, nec etiam tenetur alius revelare de illo, etiamſi excommunicatio ſpecialiter feratur contra ſcientes, & non revelantes; quia, cum non comprehendat principalem, nec etiam comprehendit alios ſcientes; ideoque poſſunt hi uti etiam æquivocatione jurando, ut dictum eſt de ipſo recompenſante. At, ſi forte dubites, an recompenſans juſte acceperit, teneris revelare, niſi ille ſit tantæ auctoritatis, & fidei, ut ei merito credi poſſit: Nav., Sayr., Trul., & alii.

QUÆSTIO VII.

De circumſtantiis Reſtitutionis.

VIDENDUM I. Quando? II. Ubi, & quibus expenſis? III. Quo modo facienda ſit reſtitutio?

CAPUT I.

Quando facienda ſit Reſtitutio?

SUPPONO primo ex dictis q. 3., obligationem reſtituendi oriri, vel ex injuſta acceptione, ſeu ex delicto, vel ex re accepta, etſi abſque delicto; vel demum ex contractu, ut eſt ſolutio debiti, &c. Suppono ſecundo ex dicendis q. 8., obligationem reſtitutionis realis, & effectivæ, ex quocumque dictorum capitum oriatur, non urgere, quandiu ea commode, ſeu moraliter fieri non poteſt. Solum ergo hic quærimus, quando ſit ea facienda ab eo, qui commode poteſt?

Dico primo: Debitor ex injuſta acceptione, ſeu ex delicto, reſtituere debet, ſtatimac poteſt: Doctores communiter. Ratio eſt, quia ſecus eſt in actuali peccato injuſtæ de-

Digitized by Google

detentionis: ſicut, qui injuſte aliquem detinet in carcere, continenter peccat. Hinc talis debitor tenetur etiam ad totum intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis cauſatum domino ex tali mora culpabili. Addit tamen Lug. d. 18. n. 32. ex Azor. apud Tamb. contra Navar., Dian., & alios, quod, ſi dominus potens facile petere, & obtinere a tali debitore rem ſibi reſtituendam, non petat, probabiliter non teneatur is debitor moroſus ad illud intereſſe, dummodo ſit ita diſpoſitus, ut rem petenti ſtatim daret; quia in tali caſu ipſe dominus cenſetur cauſa voluntaria ſui intereſſe: verum, ut notat idem Tamb., talis caſus in tali debitore eſt rariſſimus. Noto demum, illud *Statim*, non debere accipi mathematice, ſed moraliter, hoc eſt ſpectata abſque dolo, & fraude opportunitate reſtituendi. Hinc, ſi decumbens in lecto, ſedens ad menſam, aſſiſtens ad miſſam, &c. recorderis reſtitutionis faciendæ, non teneris ſtatim ſurgere, ut reſtituas, ſed ſufficit tunc, cum primum nactus fueris opportunitatem: Nav. c. 17. n. 54. Addit Bon., non peccare mortaliter, ſi habens opportunitatem, differas tamen per horam; niſi vero interim creditor grave damnum pateretur.

Dico ſecundo: Debitor ex re accepta, ſeu abſque culpa formali, reſtituere debet, etiam ſtatim ac ſcit, & poteſt reſtituere: Doctores communiter. Ratio eſt eadem, quia ex eo puncto incipit injuſta acceptio, ſi non ſtatim reſtituat, adeoque eſt in mora culpabili, ex qua tenetur etiam ad intereſſe conſequens Domino: niſi vero Dominus ſciens, & potens te de intereſſe, quod patitur, admonere, non admonere curaret, juxta modo dicta.

Dico tertio: Debitor ex contractu, vel quaſi contractu, reſtituere, ſeu ſolvere debet, ſtatim ac elapſus eſt terminus ſolutioni præfixus: Doctores communiter. Ratio eſt, quia dies definita interpellat pro domino, etiamſi is non petierit: Doctores communiter, ex *c. Potuit, de locato, & conducto.* Verum non cenſetur hic notabilis mora unius, vel alterius diei; imo nec unius ſeptimanæ, niſi aliter poſtulet gravitas negotii, indigentia creditoris, aut qualitas contractus: Leſs. c. 20. n. 134. Idem eſt de pœna conventionali impoſita contrahenti non ſolventi tempore præfixo. Imo hæc pœna non debetur, niſi petatur, & probabi-

Digitized by Google

liter, nisi petatur judicialiter, ut docent Sanch., Pal., & alii contra Suar., Bon., & alios. Denique, si debitor anticipet solutionem, tenetur creditor acceptare, si terminus sit præfixus in favorem debitoris; secus vero, si sit præfixus in favorem creditoris: Bon. q. 6. p. 1. n. 21.

At, si nullus sit præfixus terminus ad solvendum, non censetur debitor esse in mora, seu graviter peccare, si potens non solvat, antequam petatur; quia in casu petitio æquivalet termino præfixo: si ergo creditor sciens, & potens petere non petat, censetur dilationem concedere. Secus vero dicendum est, si non petat ex timore, verecundia, impotentia, aut oblivione; tunc enim debitor etiam ex contractu dicitur alienum retinere invito domino: Bon. q. 6. p. 1. Si ergo talis creditor ex dictis motivis non possit petere, terminus erit, qui prudenter judicabitur esse ex ipsius intentione rationabili, post quem, si debitor sit in mora culpabili, tenetur etiam ad interesse: Tamb., & alii; etiamsi debitum sit ex emptione, & venditione, ut addit Lug. d. 18. n. 28. contra Molin., cum leges in hoc contrariæ sint tantum pro foro externo.

Addit tamen Bon. q. 6. p. 1. n. 4., non facile condemnandum de mortali eum, qui debens solvere ex contractu est in mora absque damno creditoris, etiamsi elapsus sit terminus, vel sit sæpe petitus; dummodo habeat intentionem solvendi, nec creditor subeat periculum amittendi suum creditum. Ratio ipsius est, quia sic talis mora non videtur adeo injuriosa creditori; unde etiam addit Dian. p. 2. t. 3. r. 3., non esse negandam absolutionem viro nobili, qui est in mora solvendi v. g. 100. aureos ex contractu, qui sæpius confitetur, & non restituit; dummodo ipse habeat animum restituendi, & creditor damnum ex hac dilatione non patiatur. Sed Tamb. l. 7. *Decal.* t. 3. c. 2. §. 6. n. 8. hos, & alios tantum excusat, vel ex implicito consensu creditorum, si bona fide putentur non esse graviter inviti; vel quia non commode possint, juxta dicenda q. 8.

Quæres, Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitente obligato ad restitutionem?

Respondeo, Posse eum absolvere, etiamsi semel, vel bis ipsi, aut alteri Confessario promiserit restituere, & potens non restituit; dummodo nunc firmiter proponat, statim

Digitized by Google

tim restituere; nec sit publicus usurarius, aut raptor, qui nec prima vice absolvi potest, nisi prius tollat scandalum: Nav. c.17. n.59. Si autem ter, aut quater eidem, vel diverso Confessario promisit, & potens non restituit, regulariter non est absolvendus, nisi prius restituat, si possit; quia tunc præsumptio ex plerumque contingentibus est contra ipsum, quod scilicet non sit dispositus: nisi vero adsint tales circumstantiæ, & sit talis persona, cui merito adhiberi possit fides, quod statim restituet: Bon., Nav. n.59.

Simpliciter autem non est absolvendus, qui potens restituere in vita vult differre ad articulum mortis, quia est in actuali peccato. Et idem dic de eo, qui dubitans, an res, quam possidet, sit aliena, differt usque ad mortem dubium dirimere, existimans satis esse, si illud proponat suis hæredibus dirimendum: Sayr., Salon., Sot., Bon. n.15. Idem de eo, qui potens in articulo mortis restituere, vult tamen relinquere in testamento, ut hæredes restituant; nisi vero non posset ipse tunc sine infamia, vel scandalo, vel si deberet tunc res suas vilissime vendere, ut satisfaciat; vel demum, si creditor sit absens: Sa, Con., Sayr., Nav., Bon., & alii. Item nequit simpliciter absolvi pœnitens, qui potens totum, non vult solvere, nisi per partes, eo quod creditor ex hoc non patitur grave damnum; quia respectu illius residuæ partis est injustus detentor, & manet in peccato mortali: nisi vero pars residua sit levis, sic enim absolvi potest, etiamsi cum affectu ad veniale; vel nisi prudenter præsumatur consensus dilationis in creditore: Salon., Sayr., Bon., Tamb., & alii. Addit tamen Dian. p.2. t.6. r. 5. ex utroque Nav., non videri improbabile, posse absolvi illum, qui potens simul totum, non vult, nisi per partes, ob aliquod emolumentum sibi inde proveniens, si creditor nolit concedere dilationem parum sibi noxiam, & Confessarius credat, quod negata absolutione, & tali dilatione, nunquam, vel non ita facile restituet.

CAPUT II.

Ubi, & quibus expensis facienda sit Restitutio?

DIco primo: Restitutio a possessore bonæ fidei fieri potest in loco, ubi res est: Doctores communiter.

Digitized by Google

Ratio est, quia debet ipse servari indemnis: ergo non tenetur eam mittere domino propriis expensis, sed expensis illius, si monitus velit: tenetur ergo rem fideliter custodire, & interim illum monere. Si autem interim debeat alio migrare, nec possit tuto rem apud aliquem deponere, potest expensas in ea secum adducenda factas a domino repetere, uti expensas etiam custodiæ: Less. c. 15. n. 51. At, si dominus sit longissime absens, nec speretur reversurus, nec rem suam recuperaturus, nisi expensis majoribus, quam ipsa valeat, tradi potest ejus consanguineis; in horum autem defectu, Nav., Bon. n. 2., & alii volunt, dari pauperibus; sed probabile etiam est, posse retineri, juxta dicta q. 4. c. 1.

Dico secundo: Restitutio a possessore malæ fidei facienda est in loco, ubi dominus habitat, adeoque expensis debitoris: Doctores communiter cum Less. c. 15. n. 48., Bon. n. 4., & aliis. Ratio est, quia sic dominus debet servari indemnis: ergo, si uterque sit in eadem Civitate, tenetur debitor rem deferre in domum creditoris, saltem per Confessarium, &c.; si sint in diversis locis, debet eo similiter deferre suis expensis: nisi vero dominus erat aliquas expensas facturus in re secum asportanda; hæ enim possunt deduci, cum non teneatur talis debitor ei restituere cum ejus lucro: Bon. n. 6.

Dubium est, an talis debitor teneatur etiam ad magnas expensas, si necessariæ sint pro tali restitutione? Cajet. putat, teneri etiam ad quadruplum, quam valeat ipsa res; cui favere videtur Nav., at Sylv., Salon., Bon. n. 5. dicunt, non teneri plus expendere, quàm ipsa res valeat. Sayr. ait, non teneri ad expensas æquivalentes, vel paulo minores, sed Less. n. 50. concludit, quod, si tantæ fere esse deberent expensæ, quanti res valet, monendus est dominus: &, si id fieri nequit, deponenda est res in loco tuto, si speretur venturus; si neque id speretur, danda est ejus hæredibus; nam, quamvis Villal. putet, loco hæredum dandam esse in missas, & pia opera, eo quod vivente adhuc domino hæredes non succedant, tamen hoc, etsi videatur æquius, non tamen necessarium, maxime, si hæredes sint pauperes; quia in hoc casu dominus censetur mortuus. In defectu autem hæredum, utique restituendum est pauperibus, &c., Trull., & alii. Di-

Digitized by Google

Dico tertio: Restitutio, seu solutio ex contractu justo facienda est, ubi contractus est celebratus, nisi aliter inter partes juste sit conventum: Less. n. 35., & 36., Bonac. n. 9., Nav., & alii communiter. Ratio est, quia, quando locus non destinatur, ea censetur voluntas contrahentium, ut ibi restituatur, ubi fit contractus, vel ubi coram Judice competente res petitur, ut not. Nav. Hinc, si talis debitor ante restitutionem recedat a loco, ubi fit contractus, tunc tempore solutionis debet propriis expensis rem mittere; uti pariter, si fuerit in mora culpabili a tempore statuto ad restitutionem; dummodo majores non sint, quam res valeat, juxta jam dicta. Contra vero, si ante tempus restitutionis discedat creditor, tunc hujus expensis res est mittenda: Nav., Lop., Sayr., & alii communiter: ideoque infert Less. c. 15. n. 60., quod, quando res est mittenda expensis talis creditoris, potest debitor eas ex ipsa re deducere, si alia via commodior non suppetat; ideoque, si opus fuerit, poterit rem vendere, vel ejus partem, ut residuum restituat creditori. Hæc omnia procedunt in quavis restitutione, vel solutione ex contractu justo, puta emptione, venditione, conducto, commodato, mutuo, deposito, &c., nisi forte aliter inter contrahentes juste sit conventum. Itaque, qui emit rem hic Neapoli, non potest obligari ad solvendum pretium Romæ; nisi forte aliter fiat ei compensatio: Less. n. 58. Qui conduxit equum Neapoli, hic illum restituere tenetur, mittendo eum in domum locatoris, nisi aliter juste inter eos conventum sit: si autem locator alio discessit, non tenetur conductor suis expensis eo mittere. Eadem dic de Deposito. Similiter mutuatarius non potest obligari, ut alibi restituat mutuum; nisi vero mutuator erat rem secum deportaturus in eum locum sine expensis, & de hoc ante mutuum monuerit mutuatarium; sic enim mittenda est eo restitutio mutui expensis mutuatarii, ne mutuator ex mutuo sentiat gravamen: Sayr., Bonac., & alii. Census autem solvendus est, ubi est res censui obligata; nam pensio est veluti fructus hypothecæ, qui ex natura contractus non est tradendus, nisi ubi nascitur; quod, si census sit personalis, solvendus est, ubi justa pactione fuerit constitutum; si vero id non sit in pactum deductum, solvendus est, ubi debi-

tor

tor commoratur, quia immediate in ipsius persona est constitutus; nisi vero tam longe ipse discedat, ut grave incommodum oriatur creditori in pensione exigenda; sic enim tenetur debitor mittere ad locum priorem: Less. c. 15. n. 58. Denique, quæ debentur ratione donationis, testamenti, legati, &c., reddenda sunt in loco, ubi erant, cum donabantur, nisi aliter in ipsa donatione sit expressum; & per consequens expensis ejus, cui donata sunt; quia, qui gratis donat, non intendit se, vel suos hæredes ad amplius obligare. Si vero hæres alio rem transferret, teneretur eam suis expensis remittere, ubi prius erat: Less. n. 59.

CAPUT III.

Quo modo facienda sit Restitutio?

Modus restitutionis est: Primo, Si fiat publice, vel secreto: Secundo, Si fiat per ipsum debitorem, vel per tertiam personam: Tertio, Si fiat per realem traditionem, vel per compensationem.

Dico primo: Restitutio ex delicto facienda est *publice*, si delictum sit publicum: occulte, si sit occultum: *Doctores communiter*. Ratio est, quia restitutio facienda est eo modo, quo postulat causa, cur res debeatur: si ergo res debetur ex delicto notorio, palam debet restitui, ut satisfiat etiam publico scandalo: hinc diximus, non absolvendum publicum usurarium, nisi prius restituat; imo, neque, si occulte tantum restituit, quia, quamvis satisfecerit justitiæ, nondum tamen charitati, ob scandalum nondum publice sublatum: & similiter, si nequeat restituere, debet publice constare hæc impotentia, ut absolvatur. Contra vero, si delictum sit secretum, non tenetur debitor restituere cum sui infamia, sed tenetur tantum restituere secreto; quia sic servatur æqualitas. Si autem non possit per seipsum secreto, restituere debet per Confessarium, aut virum fidelem, quamvis debeat huic manifestare suum delictum; quia hoc non censetur detrimentum notabile, ut communiter Doctores docent contra Bejam apud Croix n. 304. Si autem nequeat restituere rem in specie absque delicti manifestatione suo creditori, satis est, si restituat æquivalens, juxta dicta q. 3. c. 2.

Di-

Digitized by Google

Dico ſecundo: Quæcumque reſtitutio fieri poteſt per tertiam perſonam: Doctores communiter. Ratio eſt, quia *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, ex *Reg. Jur. in 6.* Quod verum eſt in omnibus actionibus realibus, qualis eſt reſtitutio, eleemoſyna, &c.; quamvis non in actionibus perſonalibus, qualis eſſet recitatio Horarum, ſatisfactio Sacramentalis, &c. Hæc autem tertia perſona, quæ dicitur lator, poteſt eſſe ad id deſignata, vel ab ipſo creditore, vel ex mero arbitratu ſolius debitoris: hinc

Quæres primo, An debitor teneatur iterum reſtituere, ſi miſit rem reſtituendam per latorem ab ipſo creditore ad id deſignatum, qui tamen ſibi retinuit, conſumpſit, diſperdidit, aufugit, aut ſpolietur a furibus?

Reſpondo negative; Quia in tali caſu idem eſt, ac ſi reſtituerit immediate ipſi creditori, quem talis lator repræſentabat; adeoque ipſi creditori res periit. Idem eſt, ſi creditor commiſit debitori, ut ipſe eligeret aliquem, cui traderet, & debitor elegit latorem expertum fidelem (ſecus vero, ſi infidelem; nam ſic eſt in culpa) qui tamen non detulit. Idem eſt, ſi mulam v. g. cum ſervo tibi commodatam remittas cum eodem ſervo, qui tamen cum ea aufugiat, quia præſumere poteras, illum eſſe fidelem, & ad id deſignatum a domino. Idem demum eſt, ſi conveneras cum creditore, ut mitteres rem ſuam per nuntium tradito certo quodam ſigno: ſed accidit, ut alius hoc audito dederit tibi illud ſignum, & re accepta aufugiat; quia perſona, quæ ſignum dedit, repræſentabat creditorem, dummodo fraudem advertere non potueris: Mol., Reb., Bon. q. 3. p. 9., Croix n. 363. Contra vero, ſi creditor miſit famulum, tantum ut te admoneret de reſtitutione facienda, non exprimens, ut rem famulo tradas, ſed tu eam tradis famulo, qui cum ea aufugit, aut ſpolietur a furibus; teneris iterum reſtituere, quia ſic nec famulus facit unum cum creditore, nec tu, ut ſupponimus, exploratam habes ejus fidelitatem: Bon. n. 12. Similiter, ſi non miſiſti rem per latorem, per quem ex deſignatione creditoris, aut ex conventione utriuſque erat deferenda, ſed per alium propria auctoritate electum, utcumque alias exploratum fidelem, qui tamen aufugiat, teneris iterum reſtituere, quia non ſervando pactum, aut deſignationem creditoris, es in

cul-

Digitized by Google

culpa : Bon. n. 13. contra Vaſq., & Reb.

Quæres ſecundo, An tenearis iterum reſtituere, ſi nulla facta deſignatione a creditore miſiſti rem reſtituendam per latorem tuo tantum arbitratu electum, qui tamen aufugiat, aut aliter rem non deferat?

Reſpondeo affirmative, Si negligens fueris, culpamve admiſeris in exploranda prius fidelitate latoris, quia ex tali culpa teneris de damno ſecuto, quod verum eſt, etiamſi rem illam habueris ex contractu. Si autem exploratam prius habueris latoris fidelitatem : tunc, ſi res reſtituenda erat in ſpecie aliena, & juſte a te detinebatur titulo v. gr. commodati, conducti, depoſiti, aut pignoris, non teneris denuo ejus valorem reſtituere; quia ſic erat res in dominio creditoris, & juſte a te detinebatur, & conſequenter cum ſine tua culpa perierit, non tibi, ſed creditori periit tanquam domino : Doctores communiter cum Leſſ., & Bon. n. 10. Contra vero in reſtitutione mutui, ſolutione pretii ex emptione; hoc enim, ſi pereat apud talem latorem, tibi perit : quia tu adhuc eras ejus dominus, & conſequenter teneris iterum ſolvere creditori : Doctores *cit.*

At quid, ſi reſtituenda erat res ex delicto occulto, quam tu ipſe non tenebaris immediate reſtituere ob periculum infamiæ; ideoque miſiſti reſtituendam per Confeſſarium, aut virum expertum, probum, ac fidelem, qui tamen eam ſibi retinuit, aut aliter diſperdidit? Scot., Gabr., Reginal., & alii, quos citat, & ſequitur Dian. p. 2. t. 17. r. 2. cum Cenedo *de Paupert. Religioſ.* dub. 34. n. 8. dicunt, te non teneri iterum reſtituere, ſive res erat eadem in ſpecie, ſive in æquivalenti reſtituenda; & ratio ipſorum eſt, quia feciſti, quantum in te erat, ut reſtitutio ad dominum perveniret, & aliunde talis præſumebatur rationabilis voluntas Domini, ut ſic ei mitteretur, cum non poſſet rationabiliter te obligare ad aliter reſtituendum cum jactura tuæ famæ, & conſequenter cenſendus eſt talis Confeſſius, aut vir probus ab eo interpretative electus, ac deſignatus. Afferunt paritatem; ſi enim ex voto, vel juramento rem debitam mittas Eccleſiæ, & in via pereat, probabile communius eſt, te non teneri aliam mittere : ergo neque in caſu. Hanc ſententiam Leſſ. dicit non omnino improbabilem : Rodr., Fill., & alii dicunt probabilem :

Tamb.,

Digitized by Google

Tamb., & alii non audent damnare.

Sed oppositum docet communis sententia cum Bon. n. 8. Less. n. 67., & aliis apud Croix n.422.; quia debitor ex delicto tenetur dominum efficaciter reddere indemnem; quamvis ergo feceris in casu, quantum in te erat ad vitandum peccatum detentionis injustæ dando rem Confessario, non tamen ad extinguendum debitum, si res apud hunc periret; & quamvis dominus præsumatur consensisse, ut mitteretur sibi per Confessarium, tamen non cedebat jure suo læso ad eam repetendam, si forte modus ille non succederet. Paritas autem allata non est ad rem, quia, qui libere vovit, non censetur, se voluisse obligare ad talem duplicatam solutionem, ut notat Tancr. apud Dian. p.10. t.16. r.97.

Dico tertio: Quæcumque restitutio fieri potest per compensationem, qua debitor per aliud creditum compensat suum debitum: Doctores communiter.

Ratio est, quia, si tibi debeam 10. aureos ex delicto, & tu totidem mihi debeas ex emptione, ego juste possum retinere mihi 10 tibi debitos, loco 10, quos tu mihi debes: ergo possum per talem compensationem extinguere obligationem restituendi etiam absque tuo consensu. Et, quamvis jura dicant, non posse fieri compensationem in aliquibus debitis: qualia sunt debita Regi, vel Reipublicæ titulo pensionis ob publicam utilitatem, debita titulo depositi, vel commodati: item res aliena debita ex furto: tamen hæc jura non videntur obligare in conscientia: v. Croix n. 455. Requiritur ad justitiam talis restitutionis per compensationem, ut utrumque debitum sit ex justitia commutativa, sit certum, seu, ut dicitur *De liquido ad liquidum*, & sit æquale, juxta dicta q. 6. c. 3. Requiritur insuper, ut utrumque sit in eodem genere; si enim tu mihi debeas restitutionem famæ, probabilius non possum in compensationem mihi retinere pecuniam aliunde tibi debitam, juxta dicenda q. 8. c.2. Si autem talem pecuniam non restituam tibi debenti mihi vestem, vel econverso, probabiliter possum sic compensare in diversa specie: nisi vero damnum grave tibi sequatur, vel non sit alius modus recuperandi vestem, juxta dicta q.6. c.3.

Quæres, An, si debeam tibi 100 ex justitia, & gratis

tibi

Digitized by Google

tibi confero obsequium ejusdem valoris, aut rem æquivalentem titulo donationis, possim postea id in extinctionem debiti per compensationem adscribere?

Respondeo negative, Si quando contuli gratis obsequium, vel donationem, eram memor mei debiti ex justitia; quia sic omnino gratis, ac liberaliter donavi; titulus autem donationis, & titulus justitiæ sunt omnino diversi, & invicem incompensabiles. At, si quando gratis contuli donum, aut obsequium, ignorabam, aut eram immemor mei debiti ex justitia, Rodr. p. 2. c. 49. concl. 2., cui favet Laym., probabiliter asserit, quod postea, quando debiti ex justitia recordor, possum illud in compensationem talis debiti adscribere; quia præsumendum est, quod non fuissem tam liberalis, si debiti fuissem memor. Oppositum tamen probabilius tenent Sanch. l. 1. *Consil.* c. 13. n. 11. Bon., & alii; quia oblivio, vel ignorantia debiti, non facit, ut illa donatio non habeat titulum donationis; nec illa voluntas conditionata tollit, quin actu sit absoluta voluntas donandi. Media via melius incedit Lug. apud Croix num. 452., si enim donando eras ita *animo* dispositus, ut, quamvis fuisses memor debiti, nihilominus donare voluisses, & sic sentiendum cum Sanch.; si vero eras ita dispositus, ut noluisses donare, sed dare pro debito, & sic sentiendum cum Rodr.: talis autem animus colligendus est ex circumstantiis, considerata causa tunc dandi, & in dubio favendum est tibi. Neque dicas, debito certo non satisfieri solutione tantum probabili; nam, ut bene Carden., in casu nostro solutio est certa quoad æqualitem rei datæ cum debito, quamvis sit probabilis quoad voluntatem satisfaciendi per eam debito; prior certitudo sufficit ad delendum debitum certum, etsi dubium sit de voluntate satisfaciendi. Denique, si ex justitia debeas 100 Petro, non satisfacis huic obligationi, si illi in compensationem conferas Beneficium Ecclesiasticum; quia hoc gratis omnino est conferendum, & caret pretio, & esset Simonia; quamvis posset Petrus accepto gratis Beneficio, in animi gratitudinem remittere tibi debitum. At, si conferas Officium seculare, & ex illis, quæ vendi possunt, bene potes, proportione servata, per talem collationem compensare debitum: idemque est, si ei procures ejusmo-

Digitized by Google

modi officium, quia hæc omnia pretio æstimantur : Rod. loco cit.

QUÆSTIO VIII.

De Causis excusantibus a Restitutione.

HÆ causæ, aliæ esse possunt ex parte debitoris, aliæ ex parte creditoris, vel aliorum; & aliquando excusare possunt simpliciter, & in perpetuum, aliquando tantum ad tempus, & pro dilatione restitutionis.

CAPUT I.

Quæ Causæ ex parte Debitoris excusare possint a Restitutione?

HÆ possunt esse sex: Prima, Debitum dubium: Secunda, Impotentia: Tertia, Necessitas extrema: Quarta, Necessitas gravis, vel communis: Quinta, Cessio bonorum: Sexta, Ingressus in Religionem.

§. I.

De Debito dubio.

HOc dubium potest esse duplex, Primo, An debitum fuerit olim contractum? Secundo, An sit ei jam satisfactum? Et in utroque casu dubium potest esse, vel positivum, itaut habeat debitor pro se aliquam rationem solide probabilem, etsi probabile etiam appareat oppositum, & sic dicitur opinio; vel mere negativum, itaut nulla utrinque appareat ratio solide probabilis, sed leves tantum conjecturæ, & sic dicitur proprie, & simpliciter dubium.

Dico primo: Si dubites, an olim contraxeris debitum, non teneris restituere: Doctores communiter. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, & in casu possidet tua libertas a debito, quæ certe prior est illo: Hinc, si tale dubium sit negativum, teneris quidem morali diligentia inquirere veritatem, sed postea, adhuc perseverante dubio, es tutus in conscientia: uti pariter es tu-

Digitized by Google

tutus, ſi dubium ſit poſitivum, itaut habeas pro te rationem ſolide probabilem, etſi probabile, imo etiam probabilius ſit oppoſitum: Sanch., & alii communiter. At, ſi probabile tantum ſit oppoſitum, quod ſcilicet debitum fuerit contractum, & pro te nulla ſit probabilitas, quod ſcilicet non fuerit contractum, teneris reſtituere dimidium pro quantitate dubii; quia, cum pro oppoſito non ſit certitudo, non teneris ad totum; &, cum pro eo ſit probabilitas, & pro te nulla, teneris ſaltem ad partem; ſic enim ſervatur æqualitas: Leſs., & alii.

Dico ſecundo: Si certus de debito olim contracto dubites nunc negative, an ei ſatisfeceris, teneris ſatisfacere: Doctores communiter. Ratio eſt, quia in tali dubio poſſidet vinculum debiti certo jam contracti. Neque obſtat, quod tu etiam poſſideas tuam pecuniam; nam contra tuam poſſeſſionem pecuniæ prævalet poſſeſſio actionis, quam creditor habet contra te; certum eſt enim, quod debueris; dubium, an ſolveris: ergo debitum, ſeu actio debiti contra te prævalet.

Dico tertio: Si certus de debito olim contracto, probabiliter nunc putes, te etiam ei ſatisfeciſſe, teneris ſatisfacere: Doctores communiter apud Croix n. 571. contra Schild. citantem pro ſe Boſs. Ratio eſt, quia debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam, ſeu mere probabilem; non enim ponitur æqualitas: & ratio ulterior eſt, quia ex parte creditoris eſt certa poſſeſſio crediti, & poſſeſſio prævalet omni probabilitati in oppoſitum: hinc talis debitor, etſi probabile ſit, ſolviſſe, condemnatur tamen in foro externo ad ſolvendum; ergo ſic etiam fieri debet in foro interno, niſi appareat falſitas præſumptionis, in qua ſe fundet externum. Neque obſtat paritas aliarum virtutum, puta, ſi certus de voto jam emiſſo probabiliter putes, eſſe etiam adimpletum, non teneris implere: ſi certus de peccato commiſſo probabiliter putes etiam ſubjeciſſe clavibus, non teneris ſubjicere, &c.; nam reliquæ virtutes reſpiciunt tantum medium rationis: ſola autem Juſtitia commutativa reſpicit medium rei, juxta dicta q.2. c.2.

Quæres, An talis debitor in caſu teneatur reſtituere totum, an vero partem debiti?

Reſpondeo, Duas eſſe hac in re ſententias: Prima commu-

Digitized by Google

munius docet, teneri ad restituendum, vel solvendum totum, ob rationem jam datam: ita Sanch., Vasq., Rebell., Bard., Dicastill., Lug. d. 18. n. 12., Croix n. 571., & alii. Secunda probabiliter putat, teneri tantum ad partem pro qualitate dubii; quia æquitas non patitur, ut debitor exponatur periculo solvendi bis, nec creditor periculo habendi nihil: ergo in tali casu tenetur debitor tantum ad partem pro qualitate dubii: ita Dian. p. 4. t. 3. r. 32. citans alios, quam sententiam probabilem dicit Tamb. *de Conf.* n. 9., & admittit Laym., præsertim, si uterque, tam scilicet debitor, quam creditor positive dubitent de solutione jam facta. Prior tamen sententia in rigore juris videtur præferenda: v. Croix n. 571.

Ex dictis resolvitur hic casus: Titio debitore, & Cajo creditore defunctis, hæredes Titii inveniunt in ejus libro debitum jam solutum: hæredes autem Caii inveniunt chirographum Titii, & debitum in Caii libris nondum extinctum, Less. putat, hæredes Titii non teneri ante sententiam Judicis; sed probabilius ex dictis est oppositum, cum debitum sit certum, & solutio incerta: debent ergo saltem petere compositionem judicio viri prudentis; neutri tamen parti licebit occulta compensatio, quia pro neutra est jus certum: Croix n. 572.

§. II.

De Impotentia.

IMPOTENTIA debitoris ad restituendum potest esse physica, cum scilicet non habet simpliciter, unde restituat; & potest esse moralis, cum scilicet, etsi forte habeat, unde restituat, hoc tamen est illi valde incommodum, ideoque dicitur, non commode fieri posse, eo quod affert ei notabile detrimentum in suis bonis, sive fortunæ, sive famæ, sive vitæ, &c. Jam vero

Dico primo: Qui simpliciter non potest restituere, tenetur tantum habere propositum restituendi tum, cum in meliorem fortunam venerit: Doctores communiter. Ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur; ergo, cum is physice non possit, sufficit, si proponat restituere cum primum commode poterit, juxta dicenda §. sequ.

Digitized by Google

Quæres, An impotens restituere in uno genere bonorum, puta in fama, teneatur restituere in alio bonorum genere, puta in pecunia?

Respondeo, Probabilius non teneri; quia, cum restitutio sit actus Justitiæ commutativæ, respicere debet æqualitem arithmeticam cum debito, vel saltem cum aliqua parte debiti; sed talis æqualitas nullatenus obtineri potest in casu nostro, v.g. dando pecuniam, si non possit restitui fama, aut econverso conciliando famam, si non possit restitui pecunia debita: ergo: &c. Ita probabilius tenent plusquam 40. graves Doctores cum Magistr. Sent. apud Croix n. 299. contra Cajet., & multos alios antiquiores apud Turrian. Hinc nihil videtur restituendum præcise pro oculo, pro membro, pro vita, secundum se spectatis, cum hæc sint damna in suo genere irreparabilia; restitui tamen debent damna in bonis fortunæ inde secuta, juxta dicenda d. 2.

Dico secundo: Qui non potest restituere sine majori suo damno, quam sit creditoris, potest differre restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia non tenetur subire, nisi damnum æquale damno illato, ut servetur justitiæ æqualitas. Hinc, si non possis restituere, nisi tuum prædium, vel domum hic & nunc vendas multo minoris, quam valet, potes differre restitutionem: similiter non tenetur artifex, ut statim restituat, vendere instrumenta artis, aut operimenta lecti, &c.; quia creditor tenetur ex charitate pati potius parvum damnum ex dilatione, ne debitor subeat magnum, hoc est duplo majus, ut explicant Reb., & alii apud Bonac. At, si creditor æquale damnum pateretur ex tali dilatione, teneris in pari detrimento restituere, quia sic in pari causa melior est conditio creditoris: Doctores communiter.

Infers primo, Debitorem non teneri restituere in bonis fortunæ cum gravi detrimento suæ famæ; quia nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento in bonis ordinis superioris; bona autem fortunæ sunt inferiora, bona famæ superiora, & his etiam superiora sunt bona vitæ, salutis, libertatis, & membrorum; ideoque nec tenetur debitor restituere famam cum periculo vitæ, salutis, libertatis, aut membrorum. Cæterum debet, si potest, re-

Digitized by Google

restituere per Confessarium, aut Virum fidelem; quamvis huic innotesceret proprium delictum, quia hoc non censetur detrimentum notabile: Doctores communiter contra Bejam apud Croix n. 304.

Infers secundo, Matrem non teneri publica manifestatione sui adulterii impedire, ne illegitimus succedat cum legitimis, etiamsi in Regnum; quia non tenetur se infamare: imo nec tenetur privatim se manifestare ipsi illegitimo, utpote qui nec tenetur ei credere contra se: solum ergo tenetur, si potest absque suspicione sui delicti, donare ex bonis propriis majorem partem legitimis, ut sic aliquo pacto compenset eorum damnum.

Infers tertio, Falsum testem, vel Notarium conficientem scripturam in damnum bonorum fortunæ Titii, non teneri se publice retractare, etsi teneantur per Confessarium, aut Virum fidelem tale damnum Titio resarcire. At, si his falsitatibus injecerint Titium in periculum vitæ, tenentur etiam cum infamia, & periculo vitæ se retractare, quia in pari causa melior est conditio innocentis: dummodo tamen in ea falsitate peccaverint, & credant, se tali retractatione ei profuturos; nam, ut bene notat Bon., si tunc non peccaverint, non tenentur, cognita deinde veritate, se retractare cum tanto suo incommodo, utpote innocentes; & similiter, si credant, se nihil ei profuturos retractatione, non tenentur ad opus inutile, etiamsi tunc peccaverint, sed tantum tenentur ad secretam restitutionem damnorum: Bon., Lug. d. 30. a n. 24., & alii,

Infers quarto, Famam restituendam esse cum periculo famæ, dummodo hoc non sit duplo majus illo: similiter libertatem cum periculo libertatis, &c.; quia in pari damno melior est conditio innocentis: Doctores communiter.

Quæres iterum, An, qui non potest commode hic & nunc restituere, possit differre, etiamsi prævideat, quod, nisi fiat nunc restitutio, nunquam postea fieri poterit tali creditori?

Respondeo probabiliter affirmative cum Salon., Mol., Bon., & aliis contra Less. dicentem, esse hic & nunc restituendum etiam cum magno suo damno, si sit debitor ex injusta acceptione. Ratio autem nostra est, quia, si creditor hic & nunc æquale damnum non patitur, ut suppono, ex tali dilatione, satis est, si postea fiat restitutio

Digitized by Google

ejus hæredibus, & in horum defectu pauperibus pro ejus anima; quia sic esse debet in tali casu rationabilis ejus voluntas. Si autem non possit quis commode restituere, non ratione magni damni sibi emergentis, sed ratione magni lucri sibi cessantis ex re aliena, regulariter non potest differre, nisi rationabiliter præsumat consensum tacitum creditoris juxta dicta q. 7. c. 1.; vel nisi speret, tantum lucraturum, ut sic possit omnibus creditoribus satisfacere; sic enim charitas postularet, ut creditor permitteret dilationem, ut satisfieret aliis: Less. n. 24.

§. III.

De Necessitate Gravi, vel Communi.

GRAVIS necessitas est indigentia alicujus rei ad vitandum periculum decidendi a suo statu juste acquisito: itaut, si rem illam restitueret, ægre, & cum magna difficultate conservaretur in suo statu, vel ex eo dilabens cogeretur ducere statum longe inferiorem, vel immineret ei periculum gravis morbi, carceris diuturni, aut miseriæ valde molestæ spectata qualitate personæ, aut demum subire gravem infamiam.

Communis necessitas est indigentia rerum, quam habent pauperes ostiatim mendicantes, quorum vita non est nimis molesta juxta eorum statum, cum suppetant passim eleemosynæ.

Dico primo: Gravis necessitas, quandiu durat, excusat a restitutione: Doctores communiter contra Med., Ricc., & alios. Ratio est, quia in tali necessitate debitoris, creditor ex charitate tenetur permittere aliquam dilationem restitutionis, cum alioqui ex charitate etiam teneretur dare ei eleemosynam: ergo non potest esse rationabiliter invitus, si a tali debitore retineatur res sibi debita, cum obligatione restituendi, transacta necessitate. Non tamen hinc sequitur, quod, sicuti potest quis in gravi necessitate non restituere, ita posset furari. Nam hoc secundum damnatum est ab Inn. XI. Prop. 36., quæ sic habet: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Et ratio damnationis est, quia, quamvis non restituere idem moraliter sit, ac continuato furari, non tamen

Digitized by Google

men, si superveniat rationabilis causa gravis necessitatis; ratione cujus præceptum restituendi, utpote affirmativum, non ita obligat, ut præceptum non furandi, utpote negativum: sic magis obligat præceptum non vulnerandi, quam curandi vulnus: Bon., Less. c.6.n.27., Croix n.436., & alii.

Quæres primo, An, si necessitas gravis sit perpetuo duratura, liber sit debitor in perpetuum a restitutione?

Respondeo cum distinctione: Si sit debitum incertum, quod scilicet dandum est pauperibus, est in perpetuum liber; quia potest in tali continuata necessitate applicare illud sibi tanquam pauperi; & quidem sine obligatione restituendi pauperibus, etiamsi deinde ad pinguiorem fortunam insperato pervenerit: Laym. c. 12. n.3. Si debitum sit certum, tenetur in ea continuata necessitate esse parcissimus in rebus etiam statui necessariis, ut saltem per vices restituat partes debiti, quas potest: Doctores communiter: quod si neque id potest; tunc, si damnum ab eo subeundum ex tali restitutione esset notabiliter majus damno creditoris in perpetuum frustrato tali restitutione, probabiliter erit liber hac restitutione; quia nemo tenetur restituere cum suo damno notabiliter majori, quam sit commodum creditoris: Lug. d.21. a n.19., Laym., Illf., & alii apud Croix n.431.

Quæres secundo, An, si tum debitor, tum creditor sint in pari, aut fere æquali necessitate gravi, teneatur debitor restituere?

Respondeo, Si obligatio restituendi est ex delicto, teneri omnino restituere; quia iniquum est, ut talis debitor ex suo delicto reportet commodum contra innocentem pari necessitate gravatum. Idem est, si res restituenda extet in specie sub dominio creditoris, ut si bona fide, vel ex contractu commodati, locati, aut depositi, habeas equum Titii; quia in pari necessitate (excepta extrema, de qua infra) melior est conditio domini: Doctores communiter. In reliquis vero debitis, puta ex mutuo, &c., in quibus res restituenda est in dominio debitoris absque delicto, probabile est, debitorem in gravi necessitate constitutum posse non restituere, etsi creditor sit in pari necessitate, quia sic videtur melior ejus conditio, utpote possidentis: Croix

Digitized by Google

n. 430. ex Leſs. c. 16. n. 19., & Illſ. n. 247.

Quæres tertio, An debitor teneatur reſtituere, cum jactura ſtatus injuſte acquiſiti?

Reſpondeo affirmative; Quia ſic non amitteret ſtatum ſuum, ſed alienum dimitteret, revertendo ad ſuum: v. g. ſi quis ex furtis, uſuris, aut ficta paupertate, &c. ſtatum amplum acquiſivit: Doctores communiter. Excipe tamen primo, Si talis debitor communiter exiſtimetur vir probus, & non poſſit ſubito mutare illum ſtatum, niſi ſe infamet, quia nemo tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum jactura boni ordinis ſuperioris: Leſſ. n. 29., Bon., Sayr., Nav., & alii. Excipe ſecundo, Si bona fide comparavit illum ſtatum pecuniis alienis, quas putabat ſuas: ut ſi ſpurius bona fide honorificum ſtatum hæreditario jure acquiſivit; ſi filius uſurarii bona fide in honorificum patris ſtatum ſucceſſit, &c. Salon. & alii, quamvis Bonac. hoc neget, niſi ſit periculum infamiæ. Excipe tertio, Si ſtatum ſuum juſte jam acquiſitum, puta hæreditate, officio, &c. injuſte nunc conſervet bonis alienis, ob debita ſcilicet contracta ratione delictorum, commeſſationum, ludorum, &c.; quia his jam ſuppoſitis, & non perſeverantibus, adhuc creditor eſſet irrationabiliter invitus, ſi vellet, eum decidere e ſtatu ſuo juſto, ut ſibi reſtituat: Leſſ. c. 16. n. 26.

Ex dictis infers primo, In quibus caſibus poteſt debitor non reſtituere ratione gravis neceſſitatis propriæ, poſſe etiam ratione neceſſitatis gravis ſuorum, vel proximi; quia his etiam tenetur creditor ex charitate dare eleemoſynam, & conſequenter permittere dilationem crediti, ne decidant e ſtatu ſuo juſte acquiſito; dummodo ipſe non ſit in pari, vel fere æquali neceſſitate gravi, juxta jam dicta: Secundo, Debitorem in gravi neceſſitate conſtitutum, etſi poſſit differre reſtitutionem, tamen teneri, quantum commode fieri poteſt, minuere victum, & veſtitum ſuum, & familiæ, item numerum famulorum, aliaſque expenſas non adeo neceſſarias, ut ſcilicet poſſit paulatim, & per partes reſtituere: Doctores communiter.

Dico ſecundo: Communis neceſſitas pauperum oſtiatim mendicantium non excuſat eos a reſtitutione, ſi phyſice poſſint. Ratio eſt, quia, cum fere ſemper habeant, unde

Digitized by Google

de ostiatim vivant, non decidunt a statu suo, si restituant quod furantur; ideoque, si illud consumpserint, tenentur ex eleemosynis aliquid, si fieri potest, subtrahere, ut restituant, saltem ex parte.

§. IV.

De Necessitate Extrema.

EXTREMA necessitas est indigentia rei ad vitandum periculum mortis imminentis, cui aliter non possit occurri. Hoc periculum intelligitur a Doctoribus communiter, non solum si mors sit jamjam imminens, sed cum aliqua etiam latitudine, si scilicet sit moralis certitudo, vel prudens timor intra aliquod tempus, puta intra tres menses, secundum Ledesm., vel etiam multo post secundum Cajet., dummodo non appareat alia via ei occurrendi: & ratio est, quia sic irrationabile esset expectare mortem proxime posteà imminentem: atque hæc moralis certitudo dicitur a D. Th. necessitas urgens, ab aliis quasi extrema, & æquivalens extremæ; quia est indigentia rei ad vitandum malum æquivalens morti.

Talis est, si indigeas re, sine qua certo moraliter incideres in morbum mortalem, aut perpetuum, vel in mutilationem membri principalis, in amissionem alicujus sensus, in perpetuum carcerem. Item, si sine ea re esset periculum proximum labendi in peccatum mortale, quo scilicet parens filiam ob inopiam cogeretur prostituere, &c. Item, si sine ea re in talem miseriam e tuo statu decideres, ut cogereris mendicare, aut laborare, aut famulari cum magna tua ignominia, quam ferre nullatenus possis, vel in desperationem rueres; in his enim casibus merito diceris esse in extrema necessitate; nam præstat mori, quam vitam sic miserabilem ducere, juxta illud Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara*: denique necessitas gravis Communitatis, v.g. Reipublicæ propter famem æquivalet extremæ particularium, quia illa non erit sine ista: Cajet., Suar., & alii communiter.

Dico: Extrema necessitas tua, vel tuorum, vel etiam proximi excusat a restitutione, si aliter ei subveniri non potest, quam per detentionem debiti: Doctores communi-

Digitized by Google

ter. Ratio est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quoad usum, itaut licite, & valide quivis possit alienam rem occupare, ut sibi, aut proximo extreme indigenti succurrat: ergo a fortiori potest non restituere, seu debitum retinere. Hinc, etiamsi juraveris, te tali die restituturum, seu debitum soluturum, si tamen eo die incidas in extremam necessitatem, liber manes, inquit Sot.: idque verum est, etiamsi juraveris, quod etiam in extrema necessitate esses restituturus, quia tale juramentum est contra tuiipsius charitatem, adeoque non tenet: Trull. contra Sayr.

Quæres primo, An, si tum debitor, tum creditor sint in extrema necessitate constituti, teneatur debitor restituere?

Respondeo negative, Quia, cum in extrema necessitate omnia sint communia, melior erit conditio debitoris possidentis, quam creditoris in eadem necessitate constituti: Bon., Less. n. 13., & alii communiter contra Vasq. Idque verum est, etiamsi debitor sit ex delicto, quia superveniente extrema necessitate evadit justus rei possessor, saltem quoad ejus usum: idque verum est, etiamsi res extet in specie; quia tunc, saltem quoad ejus usum, cessat jus, & potestas alterius dominii jure gentium introducta. Hinc, si antea surripueris equum Titio, & postea urgeat utrumque extrema necessitas fugiendi ab hostibus, potes equo fugere, relicto Titio in extremo vitæ periculo: imo potes tunc ei præferre etiam tuum parentem, uxorem, ac liberos pariter extreme indigentes, quia censentur una tecum persona: Less. n. 14.; quod Tol., & Bonac. extendunt etiam ad fratres; quamvis non possis tunc ei præferre alium proximum pariter extreme indigentem, quia tunc melior est conditio tui creditoris. Contra vero existens in extrema necessitate non potes aliquid auferre alteri in pari necessitate existenti; quia tunc in pari causa melior est ejus conditio, utpote possidentis; ideoque subtrahere tunc rem, qua ille extreme indiget, idem est, ac occidere: Less. n. 13., & alii communiter.

Quæres secundo, An transacta extrema necessitate teneatur debitor restituere?

Respondeo cum distinctione; Si enim res restituenda ad-

Digitized by Google

adhuc extet in ſpecie; ut ſi eguiſti uſu equi alieni ad fugam, qui poſtea adhuc extet, teneris reſtituere; quia tunc teneris ex re accepta, & extrema neceſſitas non tribuit tibi jus ad amplius, quam opus ſit, ut te eo periculo eripias; unde, ſi quid ſupereſt, eſt reſtituendum: Leſſ. c. 16. n. 3., Bonac., & alii communiter. At, ſi res ſit jam in extrema neceſſitate neceſſario conſumpta; tunc, ſi res antea erat apud te per contractum collativum dominii, puta ex mutuo, teneris, tranſacta neceſſitate, reſtituere ratione talis contractus; quia ſic rem propriam, non alienam, conſumpſiſti: Leſſ. n. 4., Bonac., & alii: ſi vero erat apud te per contractum non collativum dominii, puta ex commodato, locato, pignore, depoſito, Leſſ. n. 5. cum Nav. probabiliter putat, non teneri reſtituere; quia non teneris ratione rei acceptæ, cum non extet; non ratione injuſtæ acceptionis, cum juſte acceperis; neque demum ratione contractus, quia iſti contractus non obligant, niſi tua culpa res perierit: idem a fortiori dicunt Navarr., Bonac., & alii contra Leſſ. n. 8., ſi rem in ea neceſſitate acceperis, & neceſſario conſumpſeris, quia res ſic erat communis.

Denique, ſi rem antea injuſte acceperis, & poſtea ſuperveniente extrema neceſſitate conſumpſeris, Croix n. 288. ex Petr. Nav. l. 4. cap. 4. n. 21. etiam dicit te liberum a reſtitutione; quia in tali neceſſitate licite potuiſſes accipere, ſi non habuiſſes antea, & conſumere: oppoſitum tamen docent Sylv., Bon., Leſſ., & alii, quia obligatio antea contracta ex injuſta acceptione non extinguitur per neceſſitatem ſupervenientem, ſed manet ſopita, donec in meliorem ſtatum veneris. Cæterum probabilius videtur non teneri de intereſſe creditori, pro tempore extremæ neceſſitatis, juxta dicta q. 3. c. 2.

§. V.

De Ceſſione Bonorum.

CESSIO bonorum excuſat in foro externo debitorem a ſolvendis debitis; quia lex eam concedens ſupponit, illum non eſſe ſolvendo. At non excuſat in foro conſcientiæ, niſi vere impotens ſit, aut in gravi, vel extrema neceſſitate conſtitutus, juxta jam dicta: Doctores communiter.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterum, qui cedit bonis, potest in foro etiam conscientiæ retinere, & occultare, quantum necessarium est, ut tenuiter vivat juxta suum statum juste acquisitum, ad sui, suorumque substentationem; sive id accipiat ex bonis, quæ habebat ante cessionem, sive ex acquisitis postea; quia nemo tenetur restituere cum periculo gravis necessitatis, juxta jam dicta. Idque verum probabiliter est, etiamsi sit debitor ex delicto occulto, quia non tenetur se infamare; si vero ex delicto notorio, non potest tantum retinere, sed minus judicio prudentium: Less. c. 16. n. 43. Similiter uxor, & filii possunt ex bonis a viro, vel patre debitis gravato relictis occultare, quantum sufficit ad suum statum honeste conservandum; circa quod a Judice requisiti possunt jurare, se nihil occultasse, nec incurrunt excommunicationem latam contra occultantes: Cœlest., Dian., & alii apud Tamb.

Quæres primo, An, qui post cessionem redit ad pinguiorem fortunam, teneatur solvere, seu restituere?

Respondeo affirmative cum Nav., Mol., Less., Bonac., aliisque communiter contra Hurt., & alios paucos apud Dian. p. 3. t. 4. r. 78., quia, qui cedit bonis, etiamsi cum actibus ignominiosis juxta consuetudinem loci, liberatur quidem a carcere, nec amplius potest molestari in foro externo; tamen hæc cessio non subit vicem restitutionis, aut solutionis, neque adeo extinguitur obligatio, sed sopitur: Less. n. 48. Unde infert Tamb. n. 10., quod, si ille sit artifex, tenetur artem suam, ut antea, exercere, quo aliquid (præter victum juxta statum suum) acquirat, ac debitis saltem ex parte satisfaciat: & similiter, si ei obveniat hæreditas, legatum, donatio, &c., peccat contra justitiam in suos creditores, si eam recuset. Hinc etiam fit, ut, si debitor principalis cesserit, non ideo liberentur fidejussores: Lug. d. 21. n. 39., & similiter, qui est debitoris debitor, tenetur solvere ministris justitiæ, ut detur creditoribus secundum æquitatem: Sylv. apud Croix n. 441.

Quæres secundo, Quinam gaudeat beneficio cap. *Odoardus, de Solutionibus*?

Respondeo, Clericum, sive sit in Sacris, sive Beneficiatus, sive habens solum habitum & tonsuram, modo non sit conjugatus, & inserviat alicui Ecclesiæ, aut studiis in-

incumbat ex facultate Episcopi. Beneficium hujus capitis est, ne Clericus inops possit cogi cedere bonis, nec ob debita civilia in carcerem conjici, nec conveniri possit, nisi quatenus solvere potest, deductis necessariis alimentis, juxta suum statum: v. Less. c. 16. n. 50. Similiter mulieres honeste viventes, milites actu pugnantes, nobiles, & alicubi Doctores, non possunt mitti in carcerem ob debita civilia; ideoque nec est eis necessaria cessio bonorum; modo justum valorem suorum reddituum, & rei familiaris a Judice requisiti exprimant, nec occultent superflua statui tenuiter conservando: Trul., & alii. De Privilegio autem, quod Cæsar, vel Rex Hispaniæ quibusdam confert, ut non possint conveniri de debitis, nisi quantum commode possunt, v. Dicastil. d. 10. n. 68., & Haun. n. 433.

§. VI.

De Ingressu in Religionem.

DIco primo: Debitor, si non habet, unde solvat, potest licite ingredi Religionem: Doctores communiter. Ratio est, quia talis perinde se habet, ac si cedat bonis: ergo, sicuti cuilibet licita est cessio, ita a fortiori ingressus in Religionem ad vitam Deo perpetuo dicandam. Si quid autem habet, debet relinquere creditoribus; ideoque, si quid ferat secum in Religionem, hæc obligatur illud solvere. Si autem possit intra breve tempus, puta unum, vel duos annos, satisfacere creditoribus, Sanch., Mol., Dicast., Lugd. 21. n. 63. dicunt, non posse licite ingredi, antequam satisfaciat; sed D. Th., D. Anton., Sylv., Palud., Caj., Tamb., & alii dicunt, absolute licere, nisi fiat consulto ob finem non solvendi, & non ob finem serviendi Deo; quia debitor non tenetur restituere cum periculo amittendi bonum superioris ordinis, puta committendi interim peccata, quæ inhabilitare poterunt ad Religionem, vel amittendæ occasionis, ut admittatur, &c. Cæterum, si non sit tale periculum, & aliunde sit spes, posse brevi satisfacere, saltem ex parte, debitis, rationabilius debet differre ingressum, ut concludit Illsun.

Hæc procedunt de quovis debitore, spectato jure naturæ; sed spectato jure positivo, Sixt. V. Bull. 1587. prohib. &

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA

Digitized by Google

& inhabilitat (quam tamen inhabilitatem ſubſtulit poſtea Clem. VIII.) ingreſſum eorum, qui ob dilapidatam rem ſuam familiarem reddiderunt ſe impotentes ſolvere magna debita creditoribus, vel obligati reddendis rationibus, non reddiderint. Hæc tamen Bulla non habet locum in Monialibus, nec in Equitibus ordinum militarium, quia in odioſis non veniunt nomine Religioſorum; nec in illis, qui non habent magna debita, aut habent debita incerta, aut abſque culpa gravi reddiderunt ſe impotentes, aut in pœnam delicti damnati ſunt ad aliquid ſolvendum, aut quibus creditores permittunt. Demum quoad rationes reddendas intelligitur de rationibus valde intricatis, litigioſis, fraudulentis, daturis cauſam litium: v. Croix n. 444.

Objicies contra hactenus dicta. Obligatio ſolvendi debitum eſt juris naturalis: ergo prævalet intentioni ingrediendi Religionem, quod eſt tantum conſilii. Confirmatur primo: Qui defloravit Virginem ſub ſpe matrimonii, non poteſt ea invita ante matrimonium ingredi Religionem: Secundo, Nec poteſt ingredi Religionem, qui ex *pietate* tenetur alere parentes inopes; ergo nec, qui ex *juſtitia* tenetur ſolvere creditoribus: Tertio, Nemo poteſt ſurripere rem alienam ad acquirendum bonum Spirituale: Quarto, Nemo poteſt ſe addicere ſervitio pauperum in hoſpitali, ſi per hoc impediatur a ſolvendis debitis; ergo, &c.

Reſpondeo: Diſtinguo antecedens: eſt juris naturalis abſoluti, nego; conditionati, ſi ſcilicet ſolvi poſſit abſque notabili damno in bonis ſuperioris ordinis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad primam Confirmationem diſparitas eſt, quia talis deflorator obligationem habet immediate in ſeipſo, & immediate in perſona defloratæ; ideoque non poteſt ea invita ingredi Religionem; at creditori magis obligantur bona, quam perſona debitoris; ideoque manere poteſt perſonæ libertas ingrediendi ſtatum vitæ perfectum. Ad ſecundam, Pietas in parentes tanta eſt, ut excuſet etiam a ſolutione debitorum ex juſtitia, & ideo prævalet etiam ſtatui Religioſo. Ad tertiam, Surripere alienum eſt contra jus actu poſſidentis, quod eo invito prævalet cuivis bono etiam Spirituali alterius. Ad quartam, Illud ſervitium poteſt compenſari per alia opera,

Digitized by Google

ra, imo per ipsum laborem in solvendis debitis; non ita status Religiosus.

Dico secundo, Debitor impotens solvere creditoribus, valide profitetur in Religione, & post Professionem probabiliter ad nihil amplius tenetur. Ratio est, quia inhabilitas debitoris ad professionem posita a Sixt. V. sublata est jam a Clem. VIII. juxta jam dicta: ergo gravatus ære alieno adhuc valide profitetur. Quod autem jam professus non teneatur amplius ex justitia restituere, est, quia professus in omnibus subditur obedientiæ sui superioris, & quidquid acquirit, acquirit monasterio: ergo, sicut Superior potest prohibere, ne ille laboret, ita nec tenetur ei dare licentiam, ut laborando acquirat aliquid, quo debitis satisfaciat, ut infert Tamb. contra Lug. Similiter, si qua hæreditas, legatum, &c. obveniat tali professo, cum immediate cedat Religioni, non debetur ejus creditoribus, ut infert idem Tamb. cum Pal. contra Sanch.; conveniens tamen est, ut omnes fatentur, Religionem ex his bonis, aliisve acquisitis a Professo, solvere saltem ex parte ejus debita, cum possit, absque periculo contraveniendi Bullis *de Largit. Mun.*, juxta probabilem sententiam Sanch. Religiosi autem militares, cum habeant tam amplam suorum bonorum administrationem, tenentur solvere debita; quia non censentur cedere bonis, cum profitentur: Doctores communiter.

Quæres, An Professus contrahens nova debita teneatur ipse, vel Religio restituere?

Respondeo, Si contrahit ex delicto, puta furando, plus justo vendendo secularibus, &c., teneri ad restitutionem, si extet res, vel aliquid, in quo ipse, vel Religio facta est ditior. Si vero nihil extet; tunc, si delictum commissum est capitulari nomine Religionis, tenetur Religio. At, si delictum sit nomine proprio, tenetur tantum ipse, si habeat peculium, vel si potest detrahere sibi de necessariis, nisi contradicat superior; quia, cum injustitiam commiserit, tenetur eo modo, quo potest, reddere æqualitatem. Quod autem non teneatur ad debita contracta ante professionem est, quia ea purgavit per professionem: Tamb. ex Sanch. l. 7. *Decal.* c. 19. n. 112. Si vero professus init contractum oneroſum, vel gratuitum cum aliquo, unde oritur

Digitized by Google

tur obligatio reſtituendi; tunc, ſi init legitime nomine Religionis, tenetur Religio: ſi non nomine Religionis, tenetur ipſe, ut ſupra, non autem Religio, etiamſi Superior licentiam dederit, quia in hoc Profeſſus non comparatur ſervo, ſed filiofamilias, cujus delicto non tenetur pater: Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 40. Similiter Profeſſus debet ſtare contractui, ſive cum, ſive ſine licentia inito, ut probabilius docent Doctores, quia eſt obligatio naturalis; imo Superior, qui conceſſit, non poteſt illum irritare, ſicuti poteſt irritare votum, quia ibi eſt acquiſitum jus tertio, hic Deo: & Superior poteſt agere nomine Dei, non tertii: Sanch. l. cit.

CAPUT II.

Quæ cauſæ ex parte creditoris, vel aliorum, excuſare poſſint a Reſtitutione?

HÆ poſſunt eſſe ſeptem: Prima, Reſtitutio rei nocituræ: Secunda, Remiſſio, compoſitio, tranſactio, vel aſſignatio debiti; Tertia, Excommunicatio, vel pœna capitalis: Quarta, Compoſitio per Bullam: Quinta, Conſilium Confeſſarii: Sexta, Auctoritas Judicis: Septima, Lex, vel Præſcriptio.

§. I.

De Reſtitutione rei nocituræ.

DICO primo: Si debitor prævideat, rem allaturam damnum ſpirituale creditori, poteſt, imo debet ejus reſtitutionem differre: ita Nav., Sot., Mol., Lug., Leſſ. c. 16., & alii communius contra Azor., Sanch., Bon., & alios apud Croix n. 426. Ratio eſt, quia debitor prævidens, creditorem abuſurum re ad peccandum: v. g. ad fornicandum, tenetur ex charitate impedire ejus peccatum, nec poſitive cooperari ſubminiſtrando materiam. Neque dicas, creditorem habere jus repetendi rem ſuam, & ea abutendi; nam non habet in caſu jus proximum, cum irrationabiliter petat; ideoque non fit ei injuria non reddendo, ſed potius fideliter geritur ejus negotium, quamvis fieret ei injuria tunc auferendo per vim, non tamen aliis modis: Leſſ. c. 16. Neque obſtat paritas Parochi, qui tenetur dare Commu-

Digitized by Google

munionem ſubdito petenti, etſi ſciat, eum petere in peccato; nam tenetur dare peccatori occulto, non quia is habet jus ad Communionem, ſed quia habet jus, ne infametur.

Cæterum, ſi ex dilatione oriatur debitori aliquod grave incommodum, puta ſi illius amicitiam, vel quid ſimile amitteret, non tenetur, quamvis poſſit, differre, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, quando proximus libere vult ſubire ſuum damnum. Similiter, ſi dilatio non impediret peccatum, ſive quia creditor aliunde haberet rem ſimilem, ſive quia per Judicem cogeret, &c., non potes differre; quia ſic dupliciter ille peccabit: Mol. Lug. d. 21. n. 28. Ex quibus infert Leſſ. c. 16. n. 57., ob ſpei incertitudinem, & proprii incommodi frequentiam raro debitorem obligari ſub gravi ad talem dilationem: uti etiam uxor, quamvis teneatur negare debitum marito petenti in voto Caſtitatis, tamen, quia plerumque eſt periculum averſionis animi, incontinentiæ, &c., ideo poteſt, atque adeo regulariter debet dare, ſeu melius debet ipſa tunc petere, juxta dicenda in de Matrimonio.

Si autem debitor prævideat, reſtitutionem allaturam damnum tantum temporale creditori, quia ſcilicet rem illam expenderet in conviviis, aliiſve ſuperfluis, &c.; tunc, ſi creditor ſciens, & volens optaret tale damnum ſubire, tenetur debitor reſtituere, quia ſic non impeditur ex præcepto charitatis; ſi vero creditor ex defectu uſus rationis optaret tale damnum, tenetur debitor differre, & quidem non tantum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia, ut notat Pal, quia, ſi tunc reſtitueret, ipſi tribueretur principaliter tale damnum, ideoque ad novam reſtitutionem teneretur, ſi res alio modo recuperari non poſſet.

Dico ſecundo: Si debitor prævideat, reſtitutionem allaturam damnum aliis, ſeu creditorem abuſurum re in damnum alterius, tenetur omnino differre: Doctores communiter. Ratio eſt, quia quilibet habet jus, ne tu poſitive coopereris ſuæ damnificationi injuſtæ: ergo peccas, ſi id prævidens reſtituas, & quidem non ſolum contra charitatem, ſecundum Mol., & Dicaſt., ſed etiam contra juſtitiam ſecundum Leſſ. n. 59., & alios communiter. Hinc, ſi reſtituas gladium domino furioſo, ſeu volenti occidere Titium, peccas contra juſtitiam debitam Titio, & teneris

de

Digitized by Google

de damno ei secuto; quia id prævidens cooperaris positive reddendo gladium creditori. Excipe primo, Si ex tua dilatione grave damnum tibi impenderet; tunc enim ensem reddere, vel tuum commodare, non censetur cooperari, quia est actio per se indifferens: Less. c. 16. Imo, si reddas pecuniam promissam usurario, quam scis, illum daturum ad injustas usuras, valde remote cooperaris; ideoque excusaris quavis ex causa, ne scilicet habearis infidelis, ne oriantur rixæ, ne priveris novo mutuo, &c. Ita Tamb. Excipe secundo, Si incertum sit damnum proximi, quia in dubio melior est conditio creditoris, adeoque teneris restituere; nisi vero ille sit furiosus, cui, qua tali, hic & nunc non videtur fieri injuria, & forte consulitur alteri innocenti: idem Tamb., & alii.

§. II.

De Remissione, Compositione, Transactione, & Assignatione debiti.

DIco primo: Remissio creditoris excusat debitorem a restitutione, si sit omnino libera, & legitima: Doctores communiter. Ratio est, quia remissio est quædam debiti donatio. Requiritur tamen primo, ut sit omnino libera, hoc est scienter facta, & absque metu, vel fraude; quia debet esse omnino liberalis, & voluntaria, & consequenter, si aliqua ex parte sit involuntaria, est nulla. Requiritur secundo, Ut sit legitima, hoc est juxta leges; sunt enim ex mox dicendis quinque casus in jure eam irritantes.

Infers primo: Si debitor probabiliter tantum existimet, quod, si manifestaret suum debitum, vel rogaret remitti, creditor liberaliter remitteret, non excusatur; quia creditor est in possessione sui crediti. Si autem certo moraliter existimet, quod, si per se, vel per alium manifestaret suum debitum, aut rogaret remitti, creditor liberaliter remitteret, est tutus in conscientia; quia tunc adest voluntas præsumpta creditoris sufficiens, ut retentio non fiat eo invito saltem quoad substantiam: at, si revera creditor sit invitus, & id postea sciatur, debet restitui, ut patet; quamvis non esset tunc obligatio restituendi etiam damna ex tali retentione orta: Mol., & alii apud Croix n. 462.

In-

Digitized by Google

Infers secundo, Si debitor, vel expresse, vel implicite minetur creditori, nisi remittat, remissio est nulla, utpote metu extorta. Si autem blanditiis, aut precibus obtineat remissionem, valet: nisi forte sint preces Superioris, ut dici solent, *armatæ*, vel nisi sint nimis importunæ, itaut creditor malit sua pecunia privari, quam tanta importunitate solicitari; quia sic etiam involuntarie remitteret.

Infers tertio, Si debitor fingat se longe pauperiorem, quam revera sit, remissio est nulla, quia adest fraus tollens voluntarium. Si autem ita sit animo dispositus, ut nollet restituere, si ille non remitteret, vel si fingat animum restituendi, quem tamen non habet, & tamen creditor remittat, valet; quia hæc fraus non reddit actum creditoris involuntarium: Mol., Less., Lug., Sanch. l. 4. *Matr.* d. 9. n. 17.

Denique leges irritantes remissionem sunt: Prima, Si pupillus, aut minorennis remittat sine consensu tutoris, vel curatoris; & similiter, si filiusfamilias remittat creditum patris, aut uxor mariti, *ex jure civili*. Secunda, Si Episcopus visitans accipiat aliquid præter victualia, tenetur intra mensem restituere duplum, nec valet remissio, ex cap. *Exigit*, *de Censib.* Tertia, Si Judex delegatus accipiat a partibus aliquid (præter esculentum, & poculentum mera liberalitate donatum, pauciſque diebus consumptibile) tenetur restituere, nec valet remissio, ex cap. *Si tantum*, *de Rescript. in 6.* Quarta, si Inquisitores prætextu S. Officii pecunias extorserint, tenentur restituere, nec valet remissio, ex *Clem. Nolentes*, *de Hæret. in 6.* Quinta, Si Canonicus non assistens Divinis Officiis acceperit distributiones, tenetur eas restituere, nec valet remissio ex Trid. *sess.* 24. *c.* 22. *de Reform.*

Dico secundo: Compositio cum creditore excusat debitorem a reliqua restitutione, si sit pariter omnino libera, & legitima: Doctores communiter. Ratio est, quia compositio cum creditore est amicabilis remissio partialis debiti certi: ergo, ut valeat, debet fieri omnino libere. Hinc non excusantur Magnates extorquentes a mechanicis, a mercatoribus, &c., ut ex parte remittant debitum, si alias eos cogerent subire multas molestias in solicitando, sæpe venire frustra, diu expectare, &c. Similiter invalida est remissio partis debiti, eo quod timeat creditor,

Digitized by Google

aliter se amissurum totum culpa debitoris. Si autem debitor offerat partem, ut sic inducat creditorem ad remittendum reliquum, Bonac. dicit, esse tutum in conscientia; sed melius Sanch., Lug., & alii apud Croix n.458. negant; præsertim, si creditor ideo remittat reliquum, ut saltem illam partem recuperet; solumque affirmant, si offeratur pars major, & creditor ex affectu, aut commiseratione remittat reliquum.

Si creditor componitur cum debitore, qui cedit bonis, ut parte remissa aliquid accipiat, talis remissio censetur conditionalis; unde debitor meliori fortunæ redditus tenebitur reliquum dare: Less. apud Croix n.457.; quamvis Trul. d.4. n.3. eum omnino liberet, si non adsit fraus, aut metus. Denique, si major pars creditorum remittat debitori partem debiti, ut reliquum accipiant, Nav., Sa, Lug. d.21. n.50. dicunt, reliquos creditores non hypothecarios teneri stare eorum conventioni; quod tamen negant Bonac., & Ricc., nisi horum consensus esset omnino necessarius ad aliquid recuperandum.

Quæres, Quid sit dicendum de transactione, & assignatione debiti?

Respondeo, Transactionem cum creditore fieri, cum debitum non est liquidum, sed controversum, sive quoad substantiam, sive quoad quantitatem, &c.; facta ergo transactione sine vi, aut fraude, liber erit debitor ab ulteriori restitutione, dummodo res non fuerit antea adjudicata creditori per sententiam ex l.29., cap. *de Transact.* Quod, si unus sine onere cedat prætensionem suam, non erit transactio, sed amicabilis compositio. Denique assignatio debiti fit, cum debitor vice sua alium dat reum creditori; si ergo hic libere in talem delegatum consentiat, remanet principalis liber a restitutione: v. Onn. *de Contract.* d.21. s.10.

§. III.

De Excommunicatione, vel Pœna capitali.

DIco primo: Excommunicatio etiam vitanda creditoris non excusat in foro conscientiæ debitorem a restitutione, & a fortiori neque excommunicatio ipsius debitoris. Ratio est, quia, quamvis cap. *Pia, de Except.*

in

Digitized by Google

in 6. creditori excommunicato negetur actio judicialiter petendi, tamen permittitur privatim petere, nec ei prohibetur communicare cum aliis ex necessitate, vel magna utilitate, ex cap. *Quoniam multos*, 11. q. 3.; ergo tenetur debitor ei solvere: ita communiter Doctores apud Croix n. 466. contra aliquos apud Lug. d. 21. n. 150., quorum sententiam Mol.,& Dicast. dicunt probabilem. Similiter excommunicatio debitoris eum non excusat a solvendo, cum per excommunicationem cogi possit etiam solvere, ut docent Doctores communissime. Si autem excommunicationem incurrit, eo quod non solvit, nec possit nunc solvere, debet praestare Confessario cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam, ut absolvatur ab excommunicatione, & a peccatis, ut docent communiter ex *Jur. Canon.*; probabile tamen est, in foro conscientiæ satis esse propositum; quia cautio juratoria videtur requiri tantum pro foro externo in casibus jure expressis: Dian. p. 1. t. 2. r. 44.

Dico secundo: Si debitor morte plectatur ob damnum illatum, ejus hæredes non excusantur a restitutione talis damni: Doctores communiter contra Scot., Salon., & alios. Ratio est, quia Respublica per justitiam tantum vindicativam punit illud delictum; neque ideo præjudicat juri, quod habent damnificati, aut alii hæredes, etsi ad eorum instantiam ille morte plectatur. Docet tamen Less. c. 9. d. 22. cum Sot., & aliis, quod, si non exigatur compensatio horum damnorum, propter quæ ille punitur, probabiliter possit omitti restitutio; quia illi, quibus facta est injuria, censentur tunc acquiescere, & condonare: v. Croix n. 405.

§. IV.

De Compositione per Bullam.

COMPOSITIO per Bullam est conventio debitoris cum Papa, qui ei indulget, seu dispensat, ut major pars debiti mutetur in minorem: v. g. ut pro 20. aureis dentur 20. caroleni ad usum pium: reliquum autem sibi retineat debitor, sive debebat ex contractu, sive ex delicto; & hæc facultas conceditur præsertim per Bul. Cruciatæ cum duabus tantum conditionibus: Prima, Ut facta debita dili-

Digitized by Google

gentia dominus certus, vel ejus hæres non appareat: Secunda, Ut bona ablata non fuerint ex confidentia hujus Bullæ: v. Tamb. tr. *de Bull. Cruc.* c. 17. Papa autem juſte, & licite poteſt eam concedere, quia habet jus altum indirecte in res omnium temporales, quando ſcilicet id neceſſe eſt ad bonum ſpirituale: Lug. d. 6. n. 150. An autem poſſit eam concedere Epiſcopus in ſua Diœceſi, vel Princeps ſecularis in ſuo Regno? Communiter negant Doctores cum Mol., Lug., & aliis contra Henr., & alios apud Croix n. 413.; quia, quidquid ſit de jure, certe praxis oſtendit, non poſſe: & ratio ulterior eſt, quia nec Epiſcopus habet jus altum in res temporales ſubditorum, nec Princeps ſecularis poteſtatem indirectam ob bonum ſpirituale.

Quæres primo, Super quæ debita concedatur Bulla compoſitionis?

Reſpondeo, Super debita incerta, quorum ſcilicet ignoratur dominus; ait enim Bulla, *Dum ſciri non poſſunt ii, quibus legitime debebat, & poſſet fieri reſtitutio*: ſi autem dominus ſit notus, ſed ita longe abſit, ut ex præſumpta ejus voluntate reſtitui poſſit pauperibus, Covar., Rodr., Turrian., & alii contra Sot., & Henr. probabiliter putant, etiam licere talem compoſitionem, quia ex verbis citatis dominus in tali caſu non ſcitur, itaut debeat, & poſſit ei reſtitui. Similiter Lop., & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 46. putant, mercatores, venditores, &c., qui per parva furta defraudarunt ementes ex eadem Communitate, qui nunc in particulari ignorantur, poſſe petere hanc compoſitionem: quamvis in hoc contradicant communius Doctores, eo quod defraudata eſt Communitas certa: v. Croix n. 417. An autem poſſit Papa concedere talem compoſitionem debitori pro debitis certis? Certum eſt, ſine legitima cauſa non poſſe, quia non poteſt abſolute diſponere de bonis aliorum: cum cauſa vero poteſt, ut, ſi quid debeas, ſive ex contractu, ſive ex delicto hæreticis formalibus: v. Leſſ. c. 16. dub. 11. Hinc concedi ſolet compoſitio: Primo, Pro fructibus Eccleſiaſticis male perceptis, quamvis ſciatur, cui Eccleſiæ debeantur: Secundo, Pro medietate legatorum, ſi non ſciantur legatarii: Tertio, Pro acquiſitis ex contractu injuſto ex utraque parte: Quarto, Pro acquiſitis illicite ex utraque parte: Quinto, Pro aliis bonis incertis

etiam

Digitized by Google

etiam licite acquisitis: v. Lug. d. 21. a n. 111., ubi addit, in quibus casibus, & pro quibus summis fieri non possit talis compositio.

Quæres secundo, An debitor habens multa debita partim certa, partim incerta, si compositionem obtineat super incertis, teneatur id, quod ex his sibi retinet, dare creditoribus certis?

Respondeo affirmative; Quia id, quod per compositionem sibi retinet ex incertis, evadit proprium ipsius: Bon., & alii communiter. Hinc, si Titius habens facultatem componendi per Bullam moritur, & hæres ejus loco componat (quod facere posse, ait Lug. d. 21. n. 143.) debet, quod retinet ex incertis, expendere in alia debita certa defuncti; quia non agit causam suam, sed defuncti: &, quod retinet, habet ut persona civiliter eadem cum defuncto: Mol. Croix n. 419. contra Lug., cujus sententia valeret, si hæres compositionem petierit pro se, itaut non agat ut hæres.

Quæres tertio, An, si post compositionem, & persolutam partem designatam in pia opera compareat dominus, teneatur debitor residuum ei dare?

Respondeo, Tres esse sententias: Prima affirmat, quia Papa non intendit, nec potest extinguere jus domini, si compareat: ita Covar., Mol., Rodr., & alii. Secunda negat, quia hæc compositio æquivalet præscriptioni, itaut per illam ex voluntate Supremi Principis transferatur dominium: ita Sot., Henr., Trul., Dian. p.4. t.4. r. 112., & alii. Tertia distinguit, & affirmat, si compositio facta sit, priusquam præmittatur moralis diligentia pro inveniendo domino: negat vero, si facta sit post talem diligentiam: quia hic, non ibi, præsumitur voluntas creditorum: Croix n. 412., & videtur probabilius, juxta dicta q. 4.

§. V.

De Consilio Confessarii.

SI Confessarius, non præmissa debita diligentia pro inveniendo domino, dixerit debitori, non teneri ad restitutionem, hic per se loquendo non excusatur, saltem in defectu Confessarii, juxta dicta q.5.c.7.

Quæres primo, An, si Confessarius imprudenter dixe-

Digitized by Google

rit tibi furi, ut rem debitam Titio des pauperibus, vel pro Missis, &c., & sic res sit data, & consumpta, tenearis iterum dare pretium Titio?

Respondeo, Duas esse sententias: Prima putat, non teneri; quia, cum ex tali præcepto Confessarii tenereris dare pauperibus, non debuit Titius in tanta tua pietate esse invitus, ut non consenserit illi eleemosynæ pro se factæ: ita Tamb. l.8.t.4. c.1.§.5. n.8., quam sententiam probabilem putat Sporer apud Croix, dicens, se non audere obligare ad iterum solvendum. Secunda communior, & probabilior docet, teneri; quia, quamvis in illis circumstantiis ex præcepto Confessarii tenebaris dare pauperibus, tamen non censetur creditor consentire, quia præceptum fuit imprudens, & ejus causa fuit præterita injuria a te commissa: Croix n.481.

§. VI.

De Auctoritate Judicis.

AUCTORITAS Judicis excusat a restitutione in tribus casibus: Primo, Si Judex in pœnam delicti per sententiam imponat Titio mulctam in favorem Caii, qui injuriam passus est, potest Cajus non solvere tantundem, quod aliunde debebat Titio, dummodo sententia veritati, & non falsæ præsumptioni innitatur. Secundo, Si Titius per sententiam cogatur resarcire Cajo damnum sine gravi culpa theologica, sed solum juridica illatum, Cajus potest acceptare, & retinere; quia auctoritate Judicis juxta leges transferri potest dominium unius in alterum ob bonum commune. Tertio, Si Titius, juste secundum allegata, & probata, sed reipsa injuste privatus sit officio, vel beneficio, vel hæreditate, & tu bona fide acceperis, si postea privatim scias, illum injuste privatum fuisse, non teneris restituere, modo non fueris causa talis sententiæ: v. Less. l.2.c.16.d.7.

§. VII.

De Lege, & Præscriptione.

SI Minorennis acceperit pecuniam mutuam, quam totam in luxum, & lasciviam profuderit, nihil tenetur restituere, ex *l.2. cap. de Filiosam.* v. Less. *In Auctar. verbo Spon-*

Digitized by Google

Sponsalia caſ. 2. De præſcriptione autem, & uſucapione quomodo excuſent a reſtitutione, fuſe dictum eſt q. 1. c. 3.

DISPUTATIO II.

De Reſtitutione in ſpecie.

SPECIES reſtitutionis ſunt quatuor, juxta quatuor genera bonorum, quæ lædi poſſunt; nimirum bona fortunæ, quæ ſunt infima; bona famæ, & honoris, quæ ſunt media; bona corporis, quæ ſunt ſuperiora; & bona animi, quæ ſunt ſuprema. Quatuor ergo quæſtiones continet hæc diſputatio: Prima eſt De reſtitutione bonorum fortunæ: Secunda, De reſtitutione famæ, & honoris: Tertia, De reſtitutione bonorum corporis: Quarta, De reſtitutione bonorum animi.

QUÆSTIO I.

De Reſtitutione Bonorum fortunæ.

DE his multa paſſim dicta ſunt diſputatione antecedenti. Supereſt ſpecialiter dicendum: Primo de reſtitutione ex furto: Secundo de reſtitutione ex rebus Eccleſiaſticis.

CAPUT I.

De Reſtitutione ex Furto.

VIDENDUM Primo, Quæ ſit natura, & ſpecies furti? Secundo, Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale? Tertio, Quid de furtis minutis? Quarto, Quid de furtis domeſticorum?

§. I.

Quæ ſit Natura, & Species Furti?

FURTUM eſt *Ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino:* Doctores communiter ex *l.* 1., *ff. de Furtis*. Explico definitionem. Dicitur primo, *Ablatio*, hoc

Digitized by Google

est actio lucrativa, qua res aliena, vel apprehenditur animo non reddendi, vel diutius detinetur, vel adhibetur in usum non concessum: hinc, si commodatarius rem diutius detineat, si creditor utatur pignore, si usuarius rem aliis commodet, tenentur etiam furti, *ff. eodem*. Dicitur secundo, *Rei*, sive mobilis, sive immobilis, sive corporeæ, ut equus, servus, &c., sive incorporeæ, ut jura, census, servitutes, &c. Dicitur tertio, *Alienæ*, hoc est quomodocumque ad alium pertinentis; nam furtum committis etiam contra depositarium, commodatarium, conductorem, &c., si ab eis auferas rem depositam, commodatam, conductam, &c.; furaris enim illis custodiam, vel usum; unde etiam sequitur, quod, si ipsemet dominus eam ab illis auferat, teneatur furti: Lug. d. 16. s. 8., Croix n. 938. Dicitur quarto, *Invito Domino*, eo scilicet, ad quem res quomodocumque pertinet, juxta modo dicta. Dicitur quinto *Rationabiliter*; si enim eo invito auferas ad compensandum tuum creditum liquidum, non es fur, quia sic non est rationabiliter invitus: similiter potest uxor auferre marito pecunias, ne ludat: potest quisque auferre a domino gladium, ne alium injuste occidat, &c., modo id fiat sine vi, quæ a privato inferri nequit domino rei: Bonac. d. 2. q. 8. p. 1.

Infers primo: Si dominus omnino libere, ac legitime consentiat, sive expresse, sive tacite, sive saltem interpretative, ut res sit tua, non es fur auferendo: v. g. si videat te rem suam auferentem, & absque ullo metu, aut verecundia taceat, habetur consensus tacitus, & consequenter non teneris furti: secus vero, si videns taceat ex metu, aut verecundia: Bonac. n. 1. Similiter, si, eo etiam non vidente, prudenter tamen judices, illum esse contentum, ut auferas, vel certo moraliter scias, daturum, si peteres, non peccas, saltem graviter, auferendo; quia sic habetur consensus præsumptus; præsumitur enim ille non esse invitus saltem quoad substantiam, quamvis forte invitus sit quoad modum; & aliunde ad excusandum a furto non requiritur positiva voluntas domini, sed satis est, eum non esse positive invitum: Lug. d. 21. n. 54., Less. c. 12. n. 4. Cæterum, si postea advertas, eum revera non fuisse contentum quoad substantiam, teneris restituere, quia præsumptio cedit ve-

ri-

Digitized by Google

ritati, etsi non tenearis de interesse ob bonam fidem : Croix *de Furto* l.3. p.1. n.946.

Infers secundo: Si dominus consentiat, rem esse tuam, tu vero ignorans talem consensum eam auferas, communis sententia contra Mol. ap. Croix *de rest.* n.11., docet, te esse rerum furti; quia, quamvis ejus consensus existat, tamen, cum tu illum non præsumpseris, es ei formaliter injuriosus, auferendo; ille enim consensus non fuit, ut tu rem habeas, putans, eum non consentire, seu ut accipias, sive consentiat, sive non consentiat, ut tu facis in casu. Si autem scias postea ejus consensum, potes retinere, quia non es amplius injuriosus formaliter, modo certo moraliter scias; quia in dubio etiam positivo melior est conditio domini.

Quæres primo, Quot sint species furti?

Respondeo, Dividi primo, & principaliter in furtum simpliciter dictum, & rapinam. *Rapina* est ablatio rei alienæ facta cum vi: per vim autem intellige non solum violentiam, seu impetum illatum corpori domini, quo pacto, si ille sit Clericus, committitur etiam sacrilegium, sed etiam metum gravem injuste incussum, ut si latro minetur mortem, nisi extrahas pecuniam: Lug. d.16. n.12.; & ob utramque vim furtum mutat speciem in confessione explicandam, quia est cum vilipendio, & injuria personæ: ideoque in rapina, præter rei restitutionem, compensanda est etiam injuria personæ: Doctores communiter: si autem unus fur alterum vi impediat, ut ipse primus rem auferat, vel si noctu violenter effringat ostia, & nemine præsente rem auferat, non erit rapina, sed simplex furtum: Croix n.942. *Furtum simplex* est Occulta ablatio rei alienæ, &c.; per ly *Occulta* intellige sine vi illata domino; ideoque, etiamsi eo præsente, & vidente auferas ejus pecuniam in mensa positam, & fugias, non est rapina, sed simplex furtum, quia fit sine vi: Croix n.939.

Dividitur secundo, In furtum *Diurnum*, quod fit ea luce, qua fur dignosci possit, & sic dicitur latro; & in *Nocturnum*, quod fit in eis tenebris, ut fur agnosci non possit, & sic proprie dicitur fur. Dividitur tertio, in *Manifestum*, cum scilicet præsente adhuc insecutione, aut inclamatione deprehenditur eodem die fur, antequam perve-

niat

Digitized by Google

niat ad locum, quo deſtinaverat rem deferre, & in *Non manifeſtum*, cum ſcilicet fur non ita deprehenditur. Dividitur quarto in *Qualificatum*, quod in jure habet ſpeciale nomen, & punitur ſpecialibus pœnis; ſicque furtum ex bonis publicis dicitur *Peculatus*; & furtum ex gregibus, dicitur *Abigeatus*; furtum hominis liberi dicitur *Plagium*; furtum hominis ad abutendum dicitur *Raptus*; furtum rei Sacræ dicitur *Sacrilegium*; furtum cum vi dicitur *Rapina*: cætera dicuntur furta non qualificata: Croix n. 944.

Sed circa furtum ſacrilegum nota primo, committi tripliciter, ex *cap. Quiſquis* 17., q. 4. c. 11. *Auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro.* Si ergo fureris rem ſacram de loco ſacro (quo nomine venit hic Eccleſia cum Cœmeterio, & Sacriſtia) probabilius duplex ſacrilegium committis: ſi rem non ſacram de loco ſacro, tunc ſacrilegium committis, cum res illa erat ibi depoſita in cuſtodiam, &c., puta aulæum, &c.; ſi vero in Eccleſia auferas crumenam perſonæ ibi orantis, probabile eſt, non fore ſacrilegium; quia, quamvis *in ſacro* non tamen furaris *de Sacro*, Lug., & alii contra *Suar.*, & alios.

Nota ſecundo: Ex *cap. Conqueſti, de Sent. Excomm. Si Eccleſiam violenter confringas, eamque ſpolies*, incurris excommunicationem, ob tale ſacrilegium, reſervatam Papæ, ſi fuerit per Epiſcopum denunciata. Sed, ut bene Bonac., particula illa *Eamque*, utpote copulativa, requirit utramque ſimul actionem, & paticula illa *Violenter* denotat effractionem muri, feneſtræ, valvarum, ſerarum, &c., & particula illa *Eccleſiam* denotat Eccleſiam cum Sacriſtia, non tamen Oratorium privatum, neque Arcam, in qua res Eccleſiæ ibi detinentur. Hinc non incurris hanc excommunicationem, ſi effringas, ſed non fureris; vel ſi fureris, ſed non effringas; vel ſi falſis clavibus aperias, & fureris; vel ſi effringas Oratorium privatum, aut Arcam, & rem Sacram fureris: v. Bonac. *de Cenſur. in particulari*.

Quæres ſecundo, An furtum aliquando ſit licitum?

Reſpondeo negative, Quia furari eſt auferre rem invito rationabiliter domino, adeoque eſt contra jus, & juſtitiam, quod eſt intrinſece malum, & conſequenter nunquam licitum: Doctores communiter cum D. Th. 2. 2. q. 65.

Digitized by Google

q. 65. n. 5. Neque obſtat, quod licitum fuit Hebræis furripere vaſa ab Ægyptiis invitis, *Exodi* 11.; Nam illud non fuit furtum; quamvis enim ablata fuerint vaſa invitis Ægyptiis Dominis, non tamen invito Deo omnium rerum domino, qui proinde concedens facultatem Hebræis abſtulit ab eorum actione rationem furti, & ab Ægyptiis rationem dominii. Licitum tamen eſt in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate tua, vel proximi, furripere tibi, vel illi neceſſaria a Domino etiam invito. Sed hoc nullatenus eſt furtum, quia dominus tunc non eſt dominus, cum res ejus jure naturæ evadat communis tecum, juxta dicta d. 1. q. 8. c. 1. Addunt Con., Leſs. c. 12. n. 69., & alii apud Croix n. 950., quod in tali neceſſitate potes etiam occidere illum, qui impediret, ne furriperes rem tibi extreme neceſſariam: ſicuti occidere potes eum, qui per vim auferret bona magni momenti tibi neceſſaria.

At, ſi dominus ſit in pari tecum neceſſitate extrema, non potes ab eo furripere, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis: Leſs. n. 70., & alii communiter, addentes tamen, poſſe retinere, ſi antea acceperas, quia ſic tu poſſides. Item, ſi extreme indigens poſſes habere neceſſaria petendo ab aliis, fur es, ſi ab hoc furripias, quia ſic non es extreme indigens; ſi autem poſſes habere petendo ab hoc, peccas tantum venialiter furripiendo, quia ſic eſt rationabiliter invitus quoad modum: Croix *de Furto* n. 952. Item, ſi extreme indigens, furripias pluſquam eſt neceſſarium, es fur quoad exceſſum; ſi autem prævidens, tuam extremam neceſſitatem indigere re valde pretioſa, puta 3000. aureis, probabile eſt etiam, poſſe furripere, quamvis ob probabilitatem etiam oppoſiti dominus non teneretur ex charitate dare: Croix n. 953. contra Lug., & alios. Denique, ſi ſis juſte damnatus, ut fame pereas, probabile eſt, te non poſſe furripere neceſſaria ad vitam conſervandam, quia, cum non tenearis tunc eam conſervare, amiſiſti jus ad furripiendum: Croix n. 954. contra Lug., & alios. In gravi vero neceſſitate, quamvis dominus ex charitate teneatur dare, non potes unquam licite furripere; quia, cum gravis neceſſitas non ſit malum morti æquivalens, bona non fiunt communia, ideoque dominus eſt rationabiliter invitus, juxta dicta loc. cit. Hinc damnata eſt

ab

Digitized by Google

ab Inn.XI.citat.Prop.36. *Permiſſum eſt furari, non tantum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Ubi ly *furari* idem ſonat, ac ſurripere; hoc enim permiſſum eſt in extrema neceſſitate, illud vero nunquam: Croix n. 950. Cæterum in gravi neceſſitate permiſſum eſt non reſtituere, juxta dicta q.8. c.1.; in communi autem neceſſitate neutrum permittitur, ex ibidem dictis.

§. II.

De Quantitate rei requiſita ad Furtum mortale.

QUAMVIS furtum ſit peccatum minimum omnium mortalium contra proximum, cum bona fortunæ ſint omnium bonorum infima; tamen eſt ex genere ſuo mortale, utpote contra juſtitiam, niſi ratione parvitatis materiæ reddatur per accidens veniale. Sed difficultas apud Doctores eſt in decidendo, quænam quantitas materiæ requiratur, ut furtum ſit mortale? Loquimur autem hic de re unico furto ſublata, & quidem a perſona externa; nam de furtulis minutis, & de furtis *domeſticorum* dicemus infra.

Itaque pro ſtatuenda quantitate requiſita ad furtum mortale, noto primo, Eam debere eſſe gravem, ſeu notabilem, ex qua ſcilicet ablata dominus rationabiliter eſſe poſſit graviter invitus, ac diſſolvere amicitiam, & pacem. Noto ſecundo, Hanc quantitatem eſſe poſſe duplicem: Prima enim dicitur notabilis abſolute, & reſpectu omnium, itaut cuicumque ea ſurripiatur, ſit mortale; & hanc aliqui cum Tol., Mol., & Leſs. ſtatuunt, eſſe duorum regalium, ſeu juliorum; alii cum Nav., medii regalis; alii cum Sot., duorum aureorum; quæ ſententiæ, niſi intelligantur reſpective, vel nimis laxæ ſunt, vel nimis ſcrupuloſæ: Secunda ergo dicitur quantitas notabilis reſpective; alia ſcilicet pro aliis juxta conditiones perſonarum diverſas, itaut, quæ ſufficit pro paupere, non ſufficiat pro divite, &c., qua in re quinque perſonarum conditiones ſtatui poſſunt, nempe Pauperum, qui mendicando vivunt, Operariorum, qui vivunt labore, Mediocrium, ſeu communiter Divitum, qui ſuis redditibus, valde Divitum, qui ſplendide alunt familiam, & Ditiſſimorum Principum, qui ſplendore magno alunt quamplurimos. Di-

Digitized by Google

Dico: Quantitas notabilis, ac ſufficiens ad furtum mortale reſpectu pauperis probabiliter eſt unus carolenus; reſpectu operarii, duo caroleni; reſpectu perſonæ communis, quinque caroleni; reſpectu valde divitis, decem; reſpectu ditiſſimi Principis, probabiliter viginti, & ſecundum Laym. triginta, quæ proinde erit quantitas abſolute gravis reſpectu omnium: Bon., Tamb., Croix *de Furto* n.987., & alii. Ratio eſt, quia dictæ quantitates conſideratæ cum reſpectu ad diverſas conditiones dictarum perſonarum, cenſeri prudenter poſſunt inferre dominis reſpective grave detrimentum, atque adeo eos reddere reſpective rationabiliter graviter invitos, itaut merito diſſolvere poſſent amicitiam, & pacem: ergo ſunt reſpective notabiles, & ſufficientes ad furtum mortale. Neque dicas, jus, & æſtimabilitatem rei pendere a re, ut eſt in ſe, & non a circumſtantiis perſonarum; nam pendet etiam partialiter ab his, juxta neceſſitatem, ac utilitatem, ad quam tali, vel tali perſonæ res deſervit: v. Croix n.988. Hinc, quia unus carolenus reſpectu pauperis, duo reſpectu operarii, quinque reſpectu communiter divitis, notabiliter nocent in iis, quæ pertinent ad victum diurnum reſpective, merito cenſentur reſpectu illorum materia notabilis. Similiter, quamvis unus aureus reſpectu valde divitis, duo, vel tres reſpectu ditiſſimi Principis non videantur notabiliter nocere in iis, quæ pertinent ad proprium victum, tamen cenſentur notabiliter nocere in iis, quæ inſerviunt ad alendam familiam, & ad alia onera, &c., quibus etiam indigent divites, & ditiſſimi: Bonac., & alii.

Quæres primo, An dictæ quantitates ſufficientes reſpective ad furtum mortale conſiſtant in tanto determinate, ſeu in indiviſibili?

Reſpondeo, Duas eſſe ſententias. Prima cum Haunol., Carden., & aliis affirmat, itaut, ſi minimum deſit a quantitate ſtatuta, non ſit peccatum mortale furti. Secunda communior, & probabilior cum Bon., Leſs, Croix n.1001., & aliis negat, docens, accipiendas eas quantitates circiter, & moraliter, & conſequenter cum quadam proportione quaſi geometrica judicio viri prudentis: itaut cenſeatur moraliter carolenus, etiamſi deſit unus obolus; duo caroleni, etiamſi deſint tres oboli; quinque caroleni, etiamſi de-

Digitized by Google

desint quatuor oboli ; unus ducatus, etiamsi desint sex oboli, &c. Et ratio ex Less. c. 12. n. 32. est, quia, quæ parum distant, nihil distare videntur : v. Croix loc. cit.

Quæres secundo, An sit mortale in ratione furti, si rem minimam, puta acum, surripias Sartori, qui ea amissa non habeat, unde se sustentet ?

Respondeo, Esse quidem mortale, non tamen in specie furti, cum non sit ablatio quantitatis notabilis, sed in ratione damnificationis inde secutæ : Bonac., Tamb., Trul., & alii. Hinc non incurris excommunicationem, si forte lata sit contra furantes, quia non est furtum grave; bene tamen, si lata sit contra damnificantes, juxta dicenda in de Censur. Similiter, si auferas alicui rem minimam, quam tamen ille maximi faciat, ideoque blasphemet, &c., erit mortale, non specie furti, sed scandali. Similiter, si cum animo furandi rem notabilem fureris minimam, peccas graviter, non ratione furti, sed intentionis; idemque est, si habeas animum furandi nihil cogitans de notabili, vel parva quantitate, quia saltem implicite vis notabilem : Cajet. apud Trul. Denique, si minimam fureris, sed cum notabili violentia, erit mortale, non ratione furti, sed violentiæ personalis, seu rapinæ.

Quæres tertio, An dictæ quantitates sufficiant etiam ad furtum mortale, si res ablata pertinebat ad plures ?

Respondeo negative, Quia, quo plures sunt domini, eo damnum divisum in plures est minus, & eo minus, cæteris paribus, sunt inviti: Rebell., Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 17. Ideoque, si furtum fiat iis, qui unam communitatem efficiunt, sufficere inquiunt unum aureum ; imo probabile est, inquit Croix n. 1012., quod, si communitas sit magna, & dives, possit quandoque extendi ulterius, dummodo non ultra duos ducatos ; quamvis Moya apud eundem dicat, furtum circa bona publica non esse mortale, nisi attingat 40. solidos, seu julios ; eo quod minor quantitas non videatur opponi bono communi, & rectæ gubernationi Reipublicæ : Croix ibid., ubi ait cum Exparsa, probabiliter vix peccari mortaliter, si singuli, a quibus furaris modica, non constituant unam communitatem, & tu non intenderis conflare unam summam; quia sic nullum grave damnum sentitur, nec singuli, aut illi omnes, qui

Digitized by Google

qui ad invicem non communicant, videntur posse esse graviter inviti; sed in hoc probabilius contradicunt Less., Tamb., Busemb., & alii, ob periculum scilicet, quod imminet, ut sic multi fures inveniantur; quod esse grave Reipublicæ malum per se patet. Bonac. tamen citans Less. excusat a mortali pauperem, qui tempore messis accumulat sibi quantitatem notabilem tritici auferendo modicum quid a singulis, eo quod domini non censeantur inviti, supposita illius paupertate: v. Tamb. §. 2. n. 2.

Quæres quarto, Quomodo determinanda sit quantitas notabilis in furto sacrilego?

Respondeo, Si materia furti sacrilegi sit res, quæ pretio æstimari possit, ut calix, &c., gravitatem determinandam esse proportionaliter ad rem profanam, attento ejus valore secundum æstimationem communem. Si vero res sit adæquate sacra, ut Reliquiæ Sanctorum, &c., aliqui putant, non dari parvitatem materiæ, sed semper esse mortale, quodcumque parvum quis furetur; nam Clem. VIII., & Paul. V., & Urb. VIII. excommunicant ipso facto extrahentes sine licentia in districto Romano minimas etiam Reliquias: sed Sanch., Bon., Pal., & alii cum Dian. p. 5. t. 5. r. 35. pro aliis locis docent, dari parvitatem materiæ; ut si quis e corpore alicujus Sancti furaretur capillum, aliquid pulveris, aut aliud quid, quod nec deformet ipsam Reliquiam, nec ipsius æstimationem minuat; secus, si sit perrarum, aut maxime dignum, ut capillus Beatæ Virginis, minima pars S. Crucis, &c.: v. Croix n. 1003.

§. III.

De Furtis minutis.

CERTUM est, peccare mortaliter illum, qui primum furtulum committit cum animo ulterius furandi, ac perveniendi per alia furtula ad summam notabilem; quamvis obligatio restituendi sit semper sub levi, quousque ad eam summam non sit perventum; & ratio est, quia sola intentio fuit graviter peccaminosa, damnum autem illatum ante eam summam est leve; unde etiam fit, ut sit idem numero mortale continuatum, si eadem intentione

Digitized by Google

ne perſeverante (ſecus vero, ſi fuerit moraliter interrupta) committatur furtulum ſecundum, &c. Si autem furtula fiant abſque tali animo, ſed veluti caſu, & ex occaſione, quæ per accidens ſe offert, peccatur ſingulis vicibus tantum venialiter, quouſque ad ſummam notabilem non ſit perventum: Doctores communiter cum Leſs. c. 12. n. 40.

Certum eſt ſecundo, Ad hanc ſummam notabilem conflatam ex pluribus furtulis requiri majorem quantitatem ea, quæ requiritur ad grave furtum una vice factum; quia in hoc dominus rationabiliter eſt magis invitus, majuſque detrimentum ſentit, quam in illis, in quibus res aufertur per partes: Tamb. *de Furt.* c. 3. n. 4., ideoque aliqui apud illum requirunt dimidio majorem: quod non videtur improbabile, ſi intervallum temporis inter furtula ſit plurium dierum, & maxime ſi furtula facta non ſint ex intentione, ſed caſu, & ex occaſione: ſi autem inter furtula parum temporis intercedat, minor quantitas ſufficit; & conſequenter, ſi tempus ſit adeo parvum, ut moraliter cenſeatur ſucceſſive auferri, ſufficit aliquando quantitas, quæ ſimul ſublata ſufficeret; quia ſic cenſetur fieri eodem moraliter tempore: Croix n. 1011., id ſtatuens, ſi unus, vel alter dies inter furtula intercedat. Econtra vero, ſi intervallum temporis inter furtula ſit magnum (puta unius anni ſecundum Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 10., vel unius menſis, aut etiam dimidii ſecundum Dian. p. 1. t. 6. r. 34. ex Filliuc.) nunquam cenſentur illa, moraliter loquendo, conjungi ad conflandam unam ſummam, & conſequenter nunquam pervenitur ad peccatum mortale furti; ideoque neque ad obligationem reſtituendi ſub gravi.

Certum eſt tertio, Quantitatem adhuc majorem requiri, ſi dicta furtula non eidem, ſed pluribus dominis fiant; ut nuper præmonuimus §. ſuperiori quæſito 3.

Quæres primo, An peccet mortaliter, qui poſt multa furtula furatur ultimum, quo completur dicta notabilis ſumma?

Reſpondeo, Si tunc non advertit ad priora furtula, non peccare mortaliter, quia ſic neque intentio, neque actio externa eſt mortalis: Doctores communiter: idemque pro-

Digitized by Google

probabiliter est, si advertens quidem in ultimo furtulo ad dictam summam consumpseris tamen, quæ prius surripueras, nec habeas, unde ea solvas: Granad. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 25., vel habeas animum restituendi, cum primum commode poteris; quia sic nec accipis, nec habes animum retinendi summam notabilem: Less. n. 42. Si autem, & advertas ad priora furtula, & habeas animum retinendi summam conflatam ultimo furtulo, certum est, peccare mortaliter ratione detentionis injustæ in materia gravi: negant tamen Nav., Veg., Less., & alii peccare mortaliter in ratione furti, quia ultimum furtulum de se est leve, nec dicit ordinem ad illam pravam intentionem; sed communius affirmant Sot., Mol., Sanch., Lug., Tamb., & alii; quia ultimum furtulum, ut unitum cum voluntaria detentione præcedentium, culpabiliter affert damnum notabile: unde etiam infertur contra Sal., Mol., & alios, quod, si post semel completam quantitatem notabilem advertenter adhuc fureris modicum, erit novum mortale in ratione furti, & quidem toties quoties, si illa furtula fiant intentione moraliter interrupta; si autem moraliter continuata, erit unum mortale jam cœptum: Sanch. ex Less. n. 36.

Quæres secundo, An, qui per multa modica pervenit jam ad notabilem summam, teneatur sub gravi restituere?

Respondeo affirmative; quia jam incipit detinere alienum in quantitate notabili: hinc ab Inn. XI. damnata est hæc Propos. 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit summa totalis*. Hinc teneris sub gravi restituere non solum, si furtula facta sint in eodem genere negotii, vel animo diteſcendi; verum etiam, si in diversis negotiis, nec animo diteſcendi, vel si ea consumpseris, nec inde factus sis ditior: Doctores communius apud Croix n. 1000. contra Ovied., Reb., Tann., Bonac., Dian., & alios; & ratio est, quia semper militat ratio damni notabilis. Addit tamen Lug. d. 16. n. 41. cum aliis, quod, si restituas tantum id, quod ultimo complevit quantitatem notabilem, probabiliter non obligaris amplius sub gravi, sed tantum sub levi, ad restituendum reliquum, utpote quid leve.

Digitized by Google

Quæres tertio, An graviter peccent multi furantes singuli modicum eidem domino?

Respondeo, Si id faciant communi consilio, vel comitatu, itaut unus alium excitaverit, aut animaverit, &c.; singulos peccare graviter, ac teneri in solidum ad totam summam notabilem ex illis modicis conflatam, etsi modicum quisque pro se acceperit; quia sic singuli in reliquos influunt, juxta dicta d. 1. q. 5. Si autem singuli seorsim suum modicum furati sunt, nullus peccavit mortaliter, quia non cooperatus est furtis aliorum: Doctores communiter. Quod probabiliter verum est: Primo, etiamsi unus motus sit exemplo alterius, quia movere tantum suo exemplo est tantum contra charitatem ratione scandali, juxta dicta d. 1. q. 5. c. 2. Verum etiam probabiliter est secundo, etiamsi quisque advertat, quod per aliorum furtula simul cum suo causetur damnum grave domino; quia talis sola advertentia non effecit, ut quis eorum esset causa physica, aut moralis damni ab aliis causati; aliter, qui alicui diviti auferret modicum, credere deberet, se peccare mortaliter, cum moraliter certus sit, alios eidem feciſſe multas similes injurias: Sanch., Sal., Less., Tann., Ovied., Lug., & alii contra Suar., Vasq., Reb., Filliuc., & alios multos apud Croix n. 1010.

Hinc, si plures seorsim absque mutuo consensu, animatione, &c. ingredientes vineam Titii, singuli racemum surripiant, nemo peccat mortaliter, etiamsi sic tota vinea devastetur, & etiamsi quisque sciat, alios similiter furatos esse; aliter enim, si post direptam vineam ab aliis unicam uvam furaretur, peccaret graviter, & quidem longe gravius reliquis, quod nemo dixit. Neque obstat, quod peccet graviter, qui homini vulneribus aliorum læso addat vulnus leve, ex quo tamen cum reliquis moritur; vel qui homini fere ebrio dat parvum poculum, quo plene inebrietur. Nam ultimum vulnus, aut poculum, etsi per se leve, tamen est causa novi effectus gravis, scilicet mortis, vel ebrietatis, qui effectus consistit in indivisibili, nec erat positus a prioribus; at furtulum ultimum in casu nostro auget tantum damnum illatum, nec est causa novi effectus: v. Croix ibid. Cæterum, qui seorsim per modica

Digitized by Google

notabile damnum intulerunt, quamvis venialiter tantum peccaverint, & sub levi tantum teneantur ad restitutionem; tamen possunt obligari sub gravi, ut, si non restituat unusquisque modicum, quod accepit, incurrat excommunicationem, quia potest quisque sub mortali cogi ad id, ad quod alias non tenebatur, cum ad hoc sufficiat justa causa præcipiendi, etiamsi talis causa ex se, & absque præcepto Ecclesiastico non sufficeret ad obligandum sub gravi: Less. n. 52., Bon., Villal., & alii communiter contra Tambur.

§. IV.

De Furtis domesticorum.

DOMESTICI sunt uxor, filii, propinqui in eadem familia inhabitantes, & famuli. Porro certum est, plus requiri ad furtum mortale famuli, quam extranei; plus ad furtum propinqui inhabitantis, quam famuli; plus ad furtum filii, quam propinqui; plus demum ad furtum uxoris, quam filii; quia minus solet esse invitus dominus, si aliquid ab eo auferat famulus, quam si extraneus; minus etiam si propinquus, quam si famulus; minus si filius, quam si propinquus; & minus si uxor, quam si filius: ubi autem dominus est minus invitus, ibi major requiritur quantitas ad furtum mortale. His suppositis

Quæres primo, Quandonam famuli furripientes hero committant furtum mortale?

Respondeo, Regulariter excusari a mortali, si hero furripiant, ut ipsimet consumant, esculenta, & poculenta ordinaria, quæ non solent ab eo accurate concludi; idque verum est, etiamsi successive, ac minutatim furripiendo pervenerint ad quamcumque quantitatem. Ratio est, quia heri non solent esse omnino inviti de substantia talis acceptionis, sed tantum de modo accipiendi; cujus signum est; quod, si rogarentur, concederent: Nav., Busemb., & alii. At, si hæc furripiant, ut vendant, vel ut expendant in compotationes, ludos, meretricia, &c., sunt veri fures; quia sic herus nullo modo ea concessisset: Cajet., Nav., Fill., & alii.

In aliis heri rebus, si aliquid accipiant ultra salarium jam pactum, peccant, ut constat ex Prop. 57. damnata ab Inn. XI., quam exposuimus d. 1. q. 6. c. 3. Sed, ut hoc furtum

Digitized by Google

sit mortale, major ex dictis requiritur quantitas, quam si furentur extranei. Quanta autem requiratur, remittendum est judicio prudentis Confessarii, qui considerare debet heri divitias, liberalitatem, & amorem in famulum: item hujus utilitatem, servitutem, & officia exhibita, &c. sic enim major, & major requiritur quantitas, ut præsumatur herus rationabiliter graviter invitus: v. Tamb. *de Furt.* c.3. §.3. Addit tamen idem Tamb., heros tacite videri consentire in furtulis famulorum alioqui non valde gravibus; quia sciunt, hæc ab ipsis committi, & tamen eos conducunt, quamvis id viro prudenti decidendum in praxi committat. Addit Croix n.1038. ex D.Th., & aliis, posse famulos ex rebus heri aliquid erogare, si sit modicum, nec admodum frequenter; vel, si ille non sit rationabiliter invitus, uti si res alioqui male periret. Denique, si famuli furantes non possint sine magna difficultate restituere, jubeantur compensare officiis, & obsequiis extraordinariis, quantum possunt: Laym., Bus., & alii.

Quæres secundo, Quandonam filii surripientes patri committant furtum mortale?

Respondeo filios, quamvis juste possint disponere ex castrensibus, vel quasi castrensibus invito etiam Patre, tamen esse reos furti, si eo invito disponant de adventitiis, vel profectitiis, quorum pater est saltem administrator, vel de aliis patris rebus: Doctores communiter. Pro determinanda autem quantitate requisita ad furtum mortale filii (quæ certe major esse debet furto mortali famuli) considerandum est, an pater sit dives, an pauper, an habeat paucos, an multos filios, an sit bene, an male affectus in furantem, & an is sit ei utilis, an inutilis, an surripiat simul, an successive, an ad proprios usus, an ad dandum extraneis, &c. Ex his enim judicari debet, quod pater præsumatur rationabiliter graviter invitus quoad substantiam: Lug.d.16.n.64.

Hinc Cenedo apud Croix n.1032. absolute ait, non fore mortale, si filius furetur a patre octo, vel novem carolenos bis in anno. Less. ait, duos, vel tres aureos non sufficere respectu patris valde divitis; ideoque Sanch. extendit etiam ad quinque, vel sex: sufficere vero respectu patris mechanici. Salas ait, quod, si filius sit unicus,

&

Digitized by Google

& pater habet 1500. ducatos annuos, requiruntur 20., vel 30. in annum; quod etiam admittit Lug., si filius sit adolescens, pater non senex, & expendantur in usus non turpes. Denique Bann. ait, respectu patris valde divitis requiri 50. aureos, sed hoc admittit Lug. tantum in filio ditissimi Principis: ex quibus sententiis patet, non posse generalem regulam constitui, sed prudentiæ Confessarii remittendum, consideratis dictis circumstantiis.

Cæterum multum præsumi potest de voluntate patris erga filium, præsertim, si sit liberalis, & bene affectus in illum. Quare is non tenetur furti, si ei furripiat, quidquid prudenter præsumit, non negaturum, si peteret; quia sic, etsi peccet venialiter ratione modi, nunquam tamen mortaliter quoad substantiam, nisi vero furripiat ad ludos vetitos, ad commessationes, vel luxus, ad quos nullo modo pater concessisset: Less. c. 12. n. 30. Similiter, si pater filio in studiis posito mittat v. gr. annuatim 100. aureos, Nav., Laym., Sot., & alii dicunt, contentum esse, ut quinque insumat in honestas recreationes more aliorum similis conditionis. An autem filio in domo paterna laboranti debeatur salarium, & an hoc possit talis filius sibi occulte compensare, si negetur, vel si petere erubescat, videtur satis probabile, quod possit, juxta dicta de Contract. d. 1. c. 5. Demum filius, qui plus justo furatus est patri, ut obligetur ad restitutionem, determinandum est ex præsumpta patris voluntate, attentis ejus facultatibus, liberalitate, & amore in filium, ex quibus, si credatur condonaturus pater, non est obligandus filius: secus vero contra; tunc enim restituendum est patri ex castrensibus, vel quasi castrensibus, vel compensandum aliis obsequiis, laboribus, officiis, & eo defuncto, compensandum est fratribus: nisi vero hi scientes non petant; sic enim censentur condonare: v. Croix n. 1033.

Quæres tertio, Quandonam uxor furripiens marito committat furtum mortale?

Respondeo, Quando in notabili quantitate furripiat ex bonis communibus, quorum maritus est dominus, vel saltem administrator (qualia tamen non sunt bona paraphernalia, quæ scilicet uxor attulit extra dotem, vel acquirit suis laboribus non debitis familiæ, vel ei aliunde obve-

Digitized by Google

niunt ſine mariti opera, vel ab hoc ei dantur, tum quoad jus, tum quoad uſum) DD. communiter. Cæterum poteſt uxor, etiam inſcio, vel invito marito, expendere ex bonis communibus ea, quæ ſunt neceſſaria pro victu, veſtitu, cultu ſuo, & familiæ: item pro eleemoſynis, remunerationibus, & donationibus, juxta ſtatum aliarum ſuæ conditionis mulierum: atque hæc omnia facere poteſt, etiamſi habeat paraphernalia, quibus parcit: & ratio eſt, quia non tenetur hæc expendere in dictos uſus, & maritus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, cum teneatur eam ſinere, ut ex bonis communibus vivat juxta ſtatum ſuum: Mol., Leſſ., Bonac., & alii apud Croix n. 1021. Quantum autem in hæc expendere poſſit uxor, remittendum eſt judicio prudentis Confeſſarii, qui conſiderare debet viri divitias, liberalitatem, familiam, & amorem ejus in uxorem. Quod vero dicunt Bann., Ledeſm., Veg., Carden., & alii cum Dian. p. 2. t. 15. r. 14., poſſe uxorem divitis expendere ſingulis annis viceſimam partem reddituum annuorum in eleemoſynas, largitiones, &c., univerſaliter improbat Lug. d. 16. n. 64., ideoque ad aliquanto minorem ſummam reſtringit Tamb., ad duos ſcilicet aureos quotannis ex aureis 100. annuis: ad quatuor ex 200., &c., quia pro tali ſumma vir non eſt rationabiliter invitus. Si plus ergo uxor expenderit, viro invito, tenetur furti: uti etiam, ſi dictam ſummam non expendat, ſed ſibi congreget; quia tantum expendere poteſt ad decentiam ſtatus. Imo nec poteſt eam totam dare ſuis conſanguineis indigentibus, quia decentia ſtatus fert, ut det etiam aliis, & conſequenter, ſi totam aliis dedit, tunc ſuis det ex paraphernalibus: quod, ſi nec iſta habeat, dare quidem poteſt adhuc ex communibus, ſed cum obligatione, ut poſt matrimonium reſtituat ex ſua dote hæredibus mariti: Lug. d. 16. n. 72., Tamb., & alii cum Croix n. 1025.

Quæres quarto, Quid ſit dicendum de furtis Religioſorum?

Reſpondeo, Si Religioſus furetur ab extraneis, ſe habere, ut cæteros fures dictos §. 2. Si furetur ex bonis ſui Conventus, Rebell., Ledeſ., Fagun., & Caram. apud Tamb. *de Furto* c. 4. putant, comparandum filio patris mediocriter divitis. Sed Suar., Sanch., & alii communiter apud eundem

Digitized by Google

dem docent, eandem quantitatem sufficere ad furtum mortale, ac si furaretur ab extraneo; quia Superior esse debet rationabiliter invitus, non solum quoad substantiam rei ablatæ, sed etiam quoad disciplinam, & perfectionem Religionis, secundum quem finem regulari debet licentia sive expressa, sive tacita, sive interpretativa, ac præsumpta: si tamen Religiosus surripiat parva comestibilia, ut ipsemet consumat, non peccat graviter, etsi ab initio esset animus illa prosequendi, & etiamsi ex his modicis ad quamcumque summam pervenerit; quia nunquam coalescunt: secus vero, si ea surripiat ad dandum, vel vendendum; quia ibi, non hic, habetur voluntas Superioris præsumpta: v. Pelliz. t. 4. c. 2. n. 257.

CAPUT II.

De Restitutione ex rebus Ecclesiasticis, vel Sacris.

AGENDUM specialiter est de restitutione: Primo, Fructuum Beneficii: Secundo, Distributionum Chori: Tertio, Stipendiorum Missæ: Quarto, Rerum Ecclesiasticarum, vel Sacrarum indebite, vel simoniace alienatarum.

§. I.

De Restitutione fructuum Beneficii Ecclesiastici.

SUPPONO primo, Onera beneficiati esse tria, nimirum Recitare quotidie Horas Canonicas, Residere in loco beneficii, & Gestare habitum cum tonsura Clericali. Suppono secundo, Fructus beneficii, alios esse necessarios congruæ sustentationi beneficiati, alios esse huic sustentationi superfluos. His suppositis

Dico primo: Beneficiatus culpabiliter omittens recitare Horas Canonicas post primos sex menses, tenetur in conscientia restituere fructus beneficii tali omissioni correspondentes: Doctores communissime. Ratio est, quia in primis sex mensibus a pacifica possessione beneficii peccat quidem mortaliter, si vel uno die omittat recitare Horas, ut definitum est in Concil. Later. *sess. 9.*, tamen ex Bul. Pii V. ann. 1571. non tenetur restituere fructus illi tempori respondentes: tenetur vero restituere reliquos fructus,

Digitized by Google

si postea recitare omittat. Itaque, si tunc omittat uno die recitare omnes Horas, tenetur restituere omnes fructus illi diei correspondentes, pro illo tamen onere Horarum, ut probabiliter explicant Doctores, non autem pro aliis oneribus, quæ illo die implentur: quare Episcopus v.g. habens præter Horas alia etiam onera Episcopatus, si uno die omittat Horas, probabile est, debere solum restituere partem quintam fructuum correspondentium diei, quo non recitavit; & Curatus habens pauciora onera, solum debet quartam partem, alii tertiam, alii majorem, alii denique totam, si nullum aliud habeant onus. Vide, quæ fusius hac in re dicta sunt tom.1. tr.2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 3.

At quid, si feceris eleemosynas, nihil cogitans de tali obligatione restituendi? Dico primo, Si eas feceris ante omissionem Horarum, nullatenus extingui hanc obligationem, ut constat ex Prop. 33. damnata ab Alex. VII. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit*. Dico secundo, Si eleemosynas feceris post omissionem Horarum, sed nihil cogitans de obligatione restituendi, probabile esse, quod ei satisfeceris, ratione voluntatis interpretativæ, juxta dicta d. 1. q. 7. c. 3. Addit Gob., hanc obligationem posse compensari, si dentur Missæ pro defunctis, quia etiam sunt pauperes. Addit Quintanad., compensari etiam posse per Officium, aut alias preces similiter solitas recitari, imo etiam tuis suffragiis, audiendo plures Missas, jejunando &c. sed hæc opinio solum servire potest, quando Beneficiarius non facile possit restituere. Addit demum idem auctor, suppleri etiam posse, si sequenti die bis recites Horas; sed non bene, quia ratione omissionis non feciſti jam fructus tuos, nec lex tibi concedit, ut facias tuos recitando bis die sequenti. Denique quoad hanc restitutionem fieri potest compositio cum Episcopo. At, si omittat Horas inculpabiliter, non tenetur fructus Beneficii restituere; quia Ecclesia solum supposita culpa vult, veluti in pœnam, eum non facere fructus suos: DD. communiter. Hinc non tenetur restituere, si Horas omisit ex oblivione invincibili, aut ex impedimentis, quæ recensuimus tom.1. §. supra cit., quem fac consulas ad hujus doctrinæ complementum.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres primo, An Beneficiatus, qui non possidet pacifice beneficium, vel possidet beneficium tenue, peccet omittendo Horas, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative; Nam requiritur primo pacifica possessio, hoc est impositio sedis, seu pedis cum titulo, per quem habeatur quies in beneficio: si ergo post collationem beneficii, sed ante possessionem lis tibi moveatur super illo, non peccas omittendo Horas, nec teneris postea restituere, nisi per te stet, quin possessionem habeas, vel litem dirimas: Doctores communiter contra Navar., & alios: at, si lis moveatur post possessionem, tunc distinguendum; vel enim pergis administrare illud, & certo moraliter speras fructus pro Horis tibi applicandos, & teneris, quia spes certa æquivalet possessioni pacificæ; vel sequestrantur omnes fructus, & dubitas de successu litis, & probabiliter non teneris; quia nemo tenetur ad opus certum ob stipendium incertum: Tamb., & alii.

Requiritur secundo, Ut beneficium non sit tenue. Dicitur autem tenue, si ejus fructus non proxime accedant ad tertiam partem moderatæ subsistentationis Clerici vulgaris: v. g. si, deductis aliis oneribus, non fructificet pene 12. aureos, ubi patrimonium esse solet 36. aureorum, quamvis aliqui apud Pal. extendant ad 40. aureos. Et ratio est; quia, quamvis hæc tenuitas non omnino excuset ab Horis, cum omne beneficium sit propter officium, tamen probabiliter solum obligat ad eas aliquoties in anno recitandas, puta in Dominicis, & Festis: quare, si in aliis diebus omittas Horas, probabiliter non peccas, nec teneris ad restitutionem: si vero omittas diebus Dominicis, & Festis, probabilius peccas, & teneris restituere: Les. c. 34. n. 169., nisi forte habeas alia onera ex eo beneficio, in quæ impendere deberes illam etiam tertiam partem, si per alium exequi velles.

At quid, si priveris fructibus beneficii congrui jam possessi? Tunc distinguendum: si enim privaris injuste, & sine certa spe recuperandi, probabiliter non teneris recitare: teneris vero, si privaris juste, vel cum spe recuperandi, aut percipiendi postea fructus sufficientes; quia spes sequentium annorum est pretio æstimabilis, & cum titulo & possessione sufficit, ut hic & nunc obligeris: Croix l. 4.

Digitized by Google

a n. 1193. Similiter teneris, si ratione juventutis, aut alterius causæ voluntariæ debeas cedere omnes fructus alicui deservienti pro te; quia, quod non percipis fructus, non est defectus beneficii, sed tui ipsius: Croix n. 1194. Si autem fundatio beneficii dicat, posse præsentari ad beneficium etiam Clericum septem annorum, itaut ante annum duodecimum non teneatur, potest ab Episcopo institui, nec tenetur recitare ante 12.annum: Croix n.1198.

Quæ hactenus dicta sunt de Beneficiato quoad Horas Canonicas, & restitutionem, dic pariter de habente pensionem Clericalem, qui ex Bull.cit. Pii V. tenetur ad Officium B. M. V., si nolit recitare Horas Canonicas, & ad eas aliunde non teneatur: si autem efficiatur miles Ordinis militaris, sufficit, si Orationes Dominicas, & Angelicas a Religione præscriptas recitet: v. Pal. t.7. d.2.p.1.§.2. n.6.

Dico secundo: Beneficiatus obligatus ad residentiam, si culpabiliter non resideat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum tali residentiæ correspondentium: Doctores communissime. Ratio est, quia ita præcipitur a Trid. *Sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* omnibus, & singulis habentibus Beneficium Curatum, sive Episcopale, sive Parochiale; cum enim hi sint Pastores animarum, obligationem contrahunt cum Christo de curandis ejus ovibus modo magis consentaneo, qui est, ut ipsimet personaliter assistant, & non committant aliis: quod valet, etiamsi paucæ sint oves, & etiamsi habeant œconomos prudentes: ergo peccant mortaliter, si absque justa causa, & licentia, non resideant ultra tempus concessum, nec faciant suos fructus beneficii, respondentes oneri residentiæ pro rata temporis peccaminosæ absentiæ, & incurrunt etiam pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & alias ex Bull. Urb. VIII. *Sancta Synodus.* Hæc restitutio fieri debet etiam in conscientia, & ante sententiam Judicis, quia Trid. dicit, eos non facere fructus suos, & fieri debet *Vel fabricæ Ecclesiæ, vel Pauperibus loci*, ex Trid. cit., adeoque non agris, vel domibus beneficii, nec pauperibus exteris: Suar., & alii communiter contra Sylv., Ab., & Azor., qui videntur requirere sententiam Judicis. Idem probabilius dicendum, si rescideas tantum materialiter, seu corporaliter, non autem formaliter, seu sine exercitio officii, quia Canones Ecclesiam

ha-

Digitized by Google

habentem Episcopum inutilem viduam vocant: Doctores communius contra Garz., & Ledesm.

Dixi in conclusione, *Si culpabiliter non resideat*; nam Episcopi licite abesse possunt a suis Ecclesiis: I. Si adsit justa causa. Causæ autem legitimæ absentiæ ex Trid. loc. citat. *de Reform.* sunt *Christiana Charitas*, *Urgens Necessitas*, *Debita Obedientia*, *Evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas*; decernit tamen idem Concil., has legitimæ absentiæ causas a Rom. Pont., aut a Metrop., vel, eo absente a suffraganeo Episcopo antiquiori esse approbandas.

II. Si per breve tempus absint, quia, ut ait idem Conc. ibid., *Qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse*. Verum declarat S. Synodus, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, non debere excedere duos, aut ad summum tres menses, & habendam esse rationem, ut id sine gregis detrimento, & æqua ex causa fiat; quod, an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit. Ex quo infertur, quod, licet ad hanc absentiam a Concilio permissam non sint necessariæ causæ superius numeratæ, requiritur tamen justa aliqua causa, quæ secundum Garz., & alios sufficit etiam levis, dummodo honesta, puta ad relaxandum animum, ad amicos invisendos, &c. Sed rectius Pal., Vasq., aliique dicunt, hanc non sufficere, nisi forte ad mensem, cum obligatio residendi sit strictissima, nec possit ita facile dissolvi. Præterea Concilium admonet Episcopos., *Ne per illius temporis spatium Dominicis Adventus*, *Quadragesimæ*, *Nativitatis*, *Resurrectionis Domini*, *Pentecostes item*, *& Corporis Christi diebus ab Ecclesiis suis Cathedralibus ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent.*

III. Episcopi in Curia promoti possunt in Urbe per mensem manere ex indulto Urb. VIII., quod tempus Bened. XIII. concessit Card. Pontificis Vicario, ut causa cognita ad alios 40. dies prorogare posset.

IV. Episcopi statis temporibus ad limina Apostolorum personaliter accedentes, si Ecclesiis citra mare, & citra montes positis præsint, per 4. menses: si vero ultramarinis, & ultramontanis Ecclesiis præsideant, per 7. menses abesse possunt ex indulto ejusd. Urb. VIII.

V.

Digitized by Google

V. Idem Urb. VIII. Episcopis, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel in aliis Reipublicæ officiis, quæ ipsorum Episcopatibus sunt adjuncta, extra Diœcesim occupari debent, licentiam abessendi concessit pro tempore, quo hujusmodi Concilia, &c. duraverint, dummodo iis finitis recto tramite ad suas Ecclesias se conferant.

Verum, ne Episcopi per longum tempus continuum a suis Ecclesiis absint, multa edita sunt decreta ab eod. Urb. VIII., & a Successoribus approbata, videlicet non licere trimestrem absentiam a Trid. concessam conjungere, sive cum eo tempore, quo Episcopi in Curia recens promoti possunt in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum liminum visitationem ipsis conceditur, sive demum cum eo, quo propter aeris insalubritatem permittitur illis extra Diœcesim degere: neque fas esse, absentiæ tempora ita disponere, ut tres ultimi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus anni sequentis. Declaratum præterea est, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno anno ea usus non fuerit, non ideo possit anno sequenti diutius a sua Ecclesia abesse.

Similiter Parochi licite abesse possunt a sua Parochia per duos menses, causa tamen prius per Episcopum cognita, & approbata. Docuerunt aliqui, posse Parochos inconsulto Episcopo per unam, vel duas hebdomadas abesse; sed Conc. Rom. sub Bened. XIII. statuit, ultra duos dies requiri licentiam Episcopi: ultra bimestre indigent Parochi licentia scripta Episcopi, itaut non sufficiat oretenus, saltem pro foro externo, nec præsumpta pro foro conscientiæ, nisi causa esset evidens, vel periculum in mora: Laym., & alii: insuper S. Congr. apud Merol. d. 7. c. 6. d. 7. declarat, Episcopum non posse uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium; unde etiam infertur, nec posse eum constituere suum Vicarium: Doctores communiter contra Navar.

* Multa alia super Episcoporum residentia saluberrime decrevit Summus Pont. Ben. XIV., quæ supradictis addere

Digitized by Google

re non abs re erit ex Conſtit. data die 7. Septembris 1746., quæ incipit. *Ad univerſæ*. Et

I. Refert Decreta Conc. Trid. hac ſuper re, & Summorum Pontificum Pii IV., Greg. XIII., Clem. VIII., & Urb. VIII. Conſtitutiones, necnon reſolutiones omnes auctoritate Apoſtolica editas, eaque omnia innovat, & confirmat, necnon omnia, & ſingula in iis contenta ab iis, ad quos ſpectat, in his, quæ huic ſuæ conſtitutioni non adverſantur, ſervari jubet in virtute Sanctæ Obedientiæ.

II. Adverſus dictarum Conſtitutionum tranſgreſſores pœnas in iiſdem Conſtitutionibus latas confirmat, ſcilicet amiſſionis quartæ partis fructuum unius anni ipſo facto ab iis incurrendæ, qui ſine legitima cauſa, & ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia ſex menſibus continuis a ſua Diœceſi abfuerint, & alterius quartæ partis, ſi per alios ſex menſes in abſentia perſeveraverint, ut in Trid. *ſeſs. 6. cap. 1. de Reform.* ſtatutum fuit; incurſus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis reſtituendi fructus in abſentia perceptos, eoſque erogandi in Eccleſiarum fabricas, vel in ſubventionem pauperum ipſius loci, ut præſcribitur in Trid. *ſeſs. 23. c. 1. De Refor.* Similiter innovat pœnam amiſſionis facultatum teſtandi, & diſponendi, ſi quæ tranſgreſſoribus ejuſmodi competat, impoſitam a Pio IV., & pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, & Eccleſias obtinendas indictam a Clem. VIII., quibus addit privationem omnium Indultorum, & Privilegiorum, quæ tranſgreſſoribus, tamquam Pontificio ſolio aſſiſtentibus, conceſſa fuerint, decernitque, Tranſgreſſorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter tres menſes a Concilio toleratos ſine legitima cauſa, & expreſſa Rom. Pont. licentia a ſua Diœceſi abſunt, ſed etiam eos, qui licentiam doloſe extorquent, vel, ea rite obtenta, tempus in eadem præfinitum prætergreſſi fuerint.

III. Mandat, ut Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum ab Urb. VIII. inſtitutæ exercitium, & ſeſſiones reſumantur, præſcribitque occaſiones, in quibus adunari debeat dicta Congregatio.

IV. Ne indulta commorandi extra Diœceſim ſine Pontificis ſubſcriptione prodeant, præcipit, ut confician-tur folia, in quibus deſcribantur nomina Epiſcoporum, qui-

Digitized by Google

quibus ea conceduntur una cum cauſis, & tempore, pro quo conceduntur, quæ folia a Rom. Pont. ſubſcripta in tabulario Congregationis aſſervari jubet.

V. Cauſas enumerat ab Epiſcopis afferri ſolitas ad hujuſmodi indulta obtinenda; tum ſequentes regulas ſtatuit, quas ab iis, ad quos ſpectat, ſervari jubet: Prima, Si quis petierit facultatem abſcedendi a Diœceſi ob neceſsitatem perſonaliter aſsiſtendi liti, quæ alibi agitatur, exprimere debebit locum, in quo lis agitatur, & utrum lis pertineat ad ſuam Eccleſiam, vel Clerum, an vero ad ſuam familiam? Et, ſi quidem pertineat ad familiam, Secretarius Congregationis abſque eo, quod adeat Pontificem, vel Cardinalem Præfectum, reſcribere debebit, ut Orator utatur ad hunc effectum menſibus conciliaribus, quibus, ſi uſus fuerit, alia ipſi licentia non concedetur. Si vero lis pertineat ad Eccleſiam, vel Clerum, exponere debebit Orator ſtatum, & gravitatem litis, & cauſas, propter quas neceſſaria creditur ejus præſentia in loco judicii, & inſuper, an menſibus conciliaribus uſus fuerit, &, ſi nondum uſus ſit, reſcribendum erit, ut iis ad hunc effectum utatur: ſi vero (ſine dolo tamen, & fraude) uſus fuerit, & ejus inſtantia videatur legitima, concedatur illi licentia abeſſendi a Diœceſi non uſque ad exitum cauſæ, ſed quandiu neceſſe erit ad Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent, inſtruendos: Secunda, Qui licentiam abeſſendi petierit ratione infirmitatis contractæ extra Diœceſim, dum vacatione a Trid. conceſſa uteretur, ob quam regreſſus ad ſuam Diœceſim ipſi prohibetur, exprimere debebit qualitatem infirmitatis, & ſuper ea exhibere teſtimonium Medici juratum, &, ubi ipſi licentia concedatur, ad certum tempus concedi debebit adjecta clauſula, *Si tamdiu infirmitas duraverit*: Tertia, Qui hujuſmodi licentiam petierit, eo quod opus habeat aeris mutatione ad convaleſcendum a morbis in ſua Diœceſi contractis, exprimere debebit in precibus, quo morbo, & quam graviter laboret, & proferre teſtimonium Medici, qui juramento teſtetur, neceſſariam eſſe Oratori mutationem aeris: inſuper exponere, an uſus ſit trimeſtri licentia conceſſa a Trid.; ſi enim id nondum fecerit, & dictum tempus non putetur ſufficiens, poterunt ipſi concedi quatuor menſes,

in

Digitized by Google

in quibus includantur menſes conciliares : ſi vero ſine dolo, & fraude dicta licentia uſus fuerit, tantum temporis ipſi concedendum, quantum ad convaleſcendum vere neceſſarium judicabitur: Quarta demum, Qui dictam licentiam poſtulabit, eo quod aliquo anni tempore aer ſit inſalubris in ſua Diœcesi, exponere debebit, quibus anni mensibus pernicioſus sit aer, & an eadem Cœli intemperies totam Diœcesim comprehendat, & an mensibus conciliaribus uſus fuerit: &, si nondum iis uſus sit, facile obtinebit indultum abeſſendi per quatuor menſes (ſi tamen tamdiu periculum duret) in quibus numerandi erunt menſes conceſſi a Conc. Si autem iis uſus jam fuerit, fruſtra novum indultum poſtulabit, cum debuiſſet vacationis menſes in illud tempus transferre, quo ſciebat, aerem fore inſalubrem. Inſuper præcipit, ut in omnibus hujuſmodi indultis ſemper adjiciatur hæc clauſula, *Dummodo intra Diœceſim aliquis locus non adſit, in quo aer ſaluber ſit, & in quo Epiſcopus commorari poſſit.*

VI. Demum, quoniam Urb. VIII. nihil ſtatuit de Epiſcopis, qui a Diœceſi abſunt pro compilatione Proceſſuum in cauſis Beatificationum, & Canonizationum, decernit, ut, ſi Epiſcopos in propriis Eccleſiis reſidentes ad hujuſmodi proceſſus conficiendos delegari omnino oporteat, literæ, quas vocant Remiſſoriales, & Compulſoriales a S. Rit. Congr. dirigantur ad Epiſcopos viciniores Diœceſi, in qua proceſſus ſunt conficiendi, qui, ſi delegationem acceptaverint, debent petere licentiam abſcedendi expreſſa cauſa, & inſuper, ut in licentiis concedendis comprehendantur menſes conciliares, & præter eos 30. dies, ſi opus fuerit, adjiciantur. Quod, ſi alia facienda ſuperſint, quatuor alii menſes anno ſequenti in idem opus inſumantur. *

Reliqui Beneficiati non habentes curam animarum, quidquid ſit de jure, de facto ex generali conſuetudine non videntur obligati ad reſidentiam in loco beneficii, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, de quibus §. ſeq.

Denique omnes Beneficiarii graviter obligantur deferre habitum, & tonſuram: Doctores communiter contra Cajet. apud Sanch. l. 7. *Conſil.* d. 49. ex Trid. *ſeſſ.* 14. c. 6.; quare graviter peccant (niſi vero beneficium ſit tenue) ſi non deferant per notabile tempus ſpectatis circumſtantiis; longius enim tempus requiritur, quando quis eſt in itinere,

aut

Digitized by Google

aut in villa, aut quando neceſſitas urget, quam aliis temporibus: ſed ob tale peccatum non privantur fructibus beneficii, niſi poſt ſententiam Judicis, ex Trid.cit. At nunc tenentur, & quidem in conſcientia, ante ſententiam Judicis, ex Bull. Bened. XIII.1725., ex qua etiam privandi ſunt beneficio, ſi ter citati non reaſſumant habitum.

Dico tertio: Beneficiatus expendens in uſus profanos fructus beneficii ſuperfluos ſuæ congruæ ſuſtentationi peccat mortaliter; probabile tamen eſt, quod nec ipſe dans, nec alter accipiens, teneantur quidquam reſtituere pauperibus, aut Eccleſiæ. Ita 50. Canoniſtæ, & 17. Theologi apud Fill. contra Navarr., Major., & alios.

Ratio primæ partis eſt, quia Trid. *ſeſſ.25. c.1. Refor.* jubet, ut ex ſuperfluis *Alantur pauperes, & divinus cultus promoveatur*: ergo, ſi contra fiat, erit mortale, ut dicunt omnes.

Ratio ſecundæ partis eſt; quia, licet is peccaverit contra tale præceptum obligans ex virtute miſericordiæ in pauperes, vel Religionis in cultum Dei, tamen non contra juſtitiam; cum ſatis probabile ſit, ipſum eſſe dominum omnium fructuum etiam ſuperfluorum; nam horum donationes profanæ factæ a Beneficiario, ſi factæ ſint inter vivos, & certis diebus ante mortem, non reputantur invalidæ Jure Canonico, & praxi communi Eccleſiæ, quæ nec eas reſcindit, quamvis ampliſſimas, nec obligat donatarios ad reſtitutionem: ergo ſupponit, factas fuiſſe a Beneficiario, tanquam domino etiam ſuperfluorum.

Objicies: Primo, cap. *Relatum, de Teſtam.* decernitur irritum teſtamentum Beneficiati factum de redditibus beneficii, exceptis tantum minutioribus, quæ gratitudinis cauſa famulis relinquuntur; ergo Beneficiatus non eſt eorum dominus: Secundo, cap. *Res Eccleſiæ* 12. q. 1. Beneficiati dicuntur *Diſpenſatores*; ideoque, cap. *Ordinamus* q. 1. dicuntur etiam *Raptores*, ſi non diſpenſent pauperibus; & D. Bern. Epiſt. 1. ad Canonicum Lugdunenſem ait, *Quidquid præter neceſſarium, & victum, & veſtitum de Altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt:* Tertio, ex Trid. cit. Beneficia dicuntur *Res Dei*: & res Eccleſiaſticæ a S. Urbano Pont. dicuntur *Patrimonium Pauperum*; & ſane ante eorum inſtitutionem factam a Sylv. Papa, quarta portio reddituum Eccleſiæ dabatur pauperibus, quæ nunc confuſa eſt cum portione Beneficiorum,

Digitized by Google

rum, & deinde eorum Fundatores non censentur voluisse dare Beneficiariis eorum dominium, sed solam administrationem: jus vero strictum Ecclesiæ, & pauperibus, saltem quoad superflua.

Respondeo: Ad primum, Textus cit. irritat testamentum Beneficiati, ne nimis avide congreget in vita, ut possit ultima voluntate pro libito disponere; cum autem non irritet etiam ejus donationes inter vivos, sequitur, quod ille sit vere dominus; sic dominus est impubes, etsi ejus testamentum jure civili sit irritum: Ad secundum, Textus illi intelligendi sunt largo modo, quatenus Beneficiati tenentur omnino erogare pauperibus, non quidem ex justitia, sed ex misericordia: sic etiam laici non dantes ex superfluis eleemosynam dicuntur a D. Hieron., & aliis PP. etiam lato modo *Raptores*; & eodem lato sensu loquitur exaggerate D. Bernardus: Ad tertium, Beneficia ex Trid. dicuntur *Res Dei*, quatenus eorum fundatores absolute dant sua bona Deo; cum autem Dei voluntas innotescat per sensum Ecclesiæ, hæc præcipit quidem, ut superflua expendantur in usus pios; at noluit obligare ex justitia, sed tantum ex Religione, & misericordia, quo sensu late etiam dicuntur *Patrimonium Pauperum*; & sane illa quarta portio ante Sylvestr., non ex justitia, sed ex misericordia erat debita pauperibus, & sic transiit cum eodem onere ad Beneficiarios; fundatores deinde solum dant bona sua Deo, qui per sensum Ecclesiæ constituit Beneficiarios dominos, non quidem Beneficiorum, sed fructuum; nullum ergo jus strictum circa hos competit Ecclesiæ, aut pauperibus.

Quæres primo, Quinam fructus beneficii dicantur superflui congruæ subsistentationi beneficiati?

Respondeo, Esse eos, qui supersunt expensis necessariis ad conservandam dignitatem Ecclesiasticam Beneficiati juxta rationabilem morem loci. Ad eam autem pertinet habitatio, victus, vestitus, medicamenta, & debitorum licitorum solutio: item famulatus, equi apparatus, hospitalitates, convivia, honestæque recreationes, & donaria, &c., ad quæ omnia expendere potest ex fructibus beneficii, etsi aliunde habeat patrimonium, dummodo tamen omnia sint moderata, & proportionata personæ Ecclesiasticæ viventi ex patrimonio Christi, & non more laico-

Digitized by Google

tum, cum minuatur potius nimio luxu dignitas Ecclesiastica.

Hinc congrua substentatio non est æqualis respectu omnium, sed inæqualis pro qualitate tum personarum, tum dignitatum, tum locorum. Sic, si persona sit nobilis, vel eximie litterata, vel multorum meritorum in Ecclesiam, vel existens in Ecclesia celebri, &c., potest pro congrua insumere fructus beneficii ampliores, etiamsi habeat dignitatem Ecclesiasticam parem alteri non habenti dictas qualitates; quia hæ in existimatione morali augent ipsam dignitatem Ecclesiasticam. Similiter majoritas ipsa reddituum beneficii reddit dignitatem existimabiliorem; ideoque Episcopus v. g. habens majores reditus, quam alius Episcopus, potest pro congrua ampliores fructus insumere; cum divites cogendi non sint vivere pauperum cibo, ex cap. *Non cogatur d.* 41.

Hinc etiam Laym., & alii contra Nav., Sanch., & alios inferunt, Beneficiarium nobilem posse uti fructibus beneficii ad propriam nobilitatem substentandam, etiamsi habeat patrimonialia, quia ipsa nobilitas auget dignitatem Ecclesiasticam; adeoque stipendium adhuc servat mensuram ex ea dignitate. Contra vero non potest licite servare sibi fructus ad acquirendam aliam dignitatem altiorem; quia hæc non pertinet ad dignitatem, & statum præsentem: probabile tamen est, posse servare, non quidem ad eam acquirendam, sed ad eam substentandam, si aliunde proxime sit futura, & in ea non posset aliunde se commode sustentare; quia aliud est uti fructibus, ut promovearis, aliud servare illos, ut promotus non indigeas: sic potes servare fructus ad necessitates de proximo (non vero remote) futuras ægritudinis, litis, sterilitatis, &c., Nav., & alii communiter.

Denique ad congruam beneficiati pertinet etiam substentatio consanguineorum, si hi non habeant ex bonis patrimonialibus requisita ad se sustentandum juxta statum suum, & ad quem etiam elevati sunt ex nova dignitate Beneficiati; quia hujus congrua substentatio postulat, ut illi etiam decenter vivant: quod verum est, etiamsi ipse Beneficiatus (non vero, si illi) habeat patrimoniaalia, unde eos sustentare posset. Excipe vero, si illi sint spurii; quia,

cum

Digitized by Google

cum sic non sint juxta, sed contra statum Clericalem, non debent ali ex fructibus beneficii, nisi non posset aliter Beneficiatus eos alere: similiter nequit Beneficiatus ex fructibus beneficii solvere debita peccaminose contracta, si possit aliunde: Doctores communiter.

Quæres secundo, Quomodo fructus Congruæ superflui sint erogandi?

Respondeo, Ex præcepto Trid. loco mox citando erogandos esse in usus pios, scilicet in pauperes, & in Dei cultum, *Ne dissipentur bona Beneficii*. Hinc, quoad eleemosynas Gran. apud Dian. p. 4. t. 4. r. 214. probabiliter putat, Episcopum satisfacere, si ex superfluis det quartam partem pauperibus, & alios Beneficiarios, si quintam, vel sextam; dummodo reliquum superfluum in alios usus pios circa Dei cultum impendant. Si secus faciant, vel scilicet sibi retinendo, vel expendendo in usus profanos; quamvis nec ipsi, nec alii accipientes teneantur ex justitia ad restitutionem, juxta jam dicta, imo nec accipientes teneantur ex misericordia erogare pauperibus, cum hoc præceptum immediate, & præcise afficiat solos Beneficiatos, ut addit Less. cap. 19. n. 47., tamen peccant mortaliter contra Tridentini præceptum tum dantes, tum etiam accipientes, utpote cooperantes eorum peccato: modo tamen sit quantitas valde notabilis, cum beneficium ex sua significatione importet aliquid aliud ultra stipendium; ideoque Coninch., Pal., & alii putant, esse notabilem quintam partem superfluorum in usus profanos expensam: Hurt., & Mendoz. apud Dian. cit. solum quartam partem omnium fructuum. Sotus putat, tertiam esse sub mortali expendendam in opera pia, vel medietatem residui congruæ subsistentionis: v. g. si Episcopus habeat 2000. ex fructibus beneficii, & indigeat 1000. pro congrua subsistentatione, juxta sententiam Mendoz., & Dian. non peccat mortaliter, si 500. expendat in pauperes, & usus pios; quia hi essent quarta pars omnium fructuum, & simul medietas fructuum residuorum congruæ subsistentationi. Denique inter pauperes Trident. cit. numerat etiam consanguineos Episcopi, si nequeunt, juxta modo dicta, aliunde vivere juxta suum statum.

Illud hic nota ex Croix l. 4. n. 1358., sententiam Con.

Digitized by Google

ab Haunold. vocari laxam; probabilioremque videri sententiam Lug. d. 4. n. 44. *de Just.* putantis, vicesimam partem omnium proventuum annuorum esse materiam gravem, si in usus profanos expendatur.

Quod attinet ad Episcopos, Trident. *sess.* 24. *c.* 13. *de Reform.* hæc habet: *Ad hæc imposterum omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum* 1000., *secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.*

Idem Trid. *sess.* 25. *c.* 1. *de Reform.* hæc habet: *Episcopis omnino interdicitur, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares ve suos augere studeant; cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sunt, iis, ut pauperibus, distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.*

Sunt & alii Canones antiqui, quibus præcipitur, ut portio fructuum, & oblationum, quæ Episcopo, Clericis, & Fabricæ non esset necessaria, distribueretur pauperibus, quod a temporibus Apostolorum multis seculis servatum est, & a variis Pontificibus, & Conciliis confirmatum, cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, &c. derogatum noluit, ut habet Less. *de Just.* l. 2. c. 4. n. 47. His positis

Certum est, congruam substentationem Episcopi non esse determinatam ducatorum 1000., cum ex Trid. cit., solum constet, quod talis summa non gravetur pensionibus, non vero, quod sit statuta pro congrua substentatione. Congrua ergo Episcopi substentatio taxanda est ex iis, quæ necessaria sunt ad conservandam ejus dignitatem Ecclesiasticam, juxta rationabilem morem loci, & juxta præceptum Tridentini loc. cit. jubentis, *Ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint.* Quæ taxa alia pro aliis Episcopis, ut jam diximus, statuenda est judicio Viri prudentis.

Cæterum, si Beneficiarius parce vivendo minuat expensas necessarias suæ congruæ substentationi, potest pro libito eas cuicumque etiam ad quemcumque usum dare; quia hæ non cadunt sub præceptum: Doctores communiter.

Quæres tertio, An, quæ dicta sunt de Beneficiato, procedant etiam de Regulari promoto ad beneficium?

Re-

Digitized by Google

Respondeo, Probabiliter procedere etiam de Regulari promoto ad Episcopatum; imo probabiliter etiam ad Parochiam, aliudve Beneficium perpetuum; & ratio est, quia sic, quamvis non dispensetur ei in voto paupertatis, cum adhuc maneat Religiosus quoad substantialia; tamen non repugnat cum voto paupertatis habere dominium, ut patet in Scholasticis Societatis Jesu. Hinc, si antea acquirebat Monasterio, postea acquirit sibi. Neque obstat cap. *Statutum* 18. q. 1. dicens, ab Episcopo Religioso restituenda esse bona beneficii Ecclesiæ, cujus est Episcopus; nam ly *Restituere* hic, ut sæpe in jure, idem sonat, ac relinquere: quod bene stat cum dominio ejus, quod relinquitur. Solum ergo ex præcepto Tridentini tenetur, ut reliqui beneficiarii, erogare superflua in usus pios: v. Sanch. l. 6. c. 6.

Quæres quarto, An pensionarius teneatur pariter expendere superflua ex sua pensione in usus pios?

Respondeo, Plures esse sententias: Nav., & alii apud Dian. p. 5. t. 8. r. 29. affirmant de omnibus pensionariis, quia, cap. *Pastoralis*, *de decimis*, dicitur res transire cum onere suo; ergo pensio transit in pensionarium cum onere, quod ante habebat in beneficiario. Vasq., & alii negant de omnibus pensionariis, quia hoc ipso, quod fiunt pensiones, eximuntur per ipsum Pontificem ab hoc onere; quod probabile dicit Sanch. de pensionibus fundatis in statu, & non in officio Clericali. Sed probabilius dicendum cum Sot., Hurt., Mol., Dian. loc. cit., & aliis, solas pensiones laicales eximi ab hoc onere: nullas vero clericales, sive in statu tantum, sive in officio etiam Clericali fundentur.

* Duo hic addenda supersunt ex iis, quæ hac super re statuit Bened. XIV. feliciter regnans. Alterum est, quod cit. Pontifex die 29. Aug. 1741. per Constitut. incip. *Universalis Ecclesiæ:* Omnibus Clericis, quacumque dignitate insignitis his verbis prohibet, *Ne imposterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, vendere, ac distrahere fructus, & proventus suorum beneficiorum, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones ea pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabi-*

Digitized by Google

liter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus (licet sit hic juramento firmatus) aliisque pœnis statutis contra alienantes bona Ecclesiæ.

Alterum est, quod id. Pontifex eadem die Const. incip. *In sublimi* declarat: *Omnes conventiones, & pacta pro cassatione, seu abolitione, seu extinctione pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones initæ contemporanee ad resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, tanquam simoniacam labem redolentia, omnino irrita esse, & omnes hujusmodi extinctiones pensionum factas intra sex menses computandos a die captæ possessionis beneficii per resignatarium irritas esse, etiamsi nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit rigore Supplicationis manu nostra, vel Rom. Pontificis pro tempore signatæ, quam, tanquam subreptitiam, eis suffragari nullatenus vult. Insuper tam resignantem, quam resignatarium ipso facto decidere ab omni jure Beneficii (quod proinde, tanquam de jure, & de facto vacans, potest a quocumque impetrari) & ad alia obtinenda inhabiles esse. Præterea resignantem teneri sub gravi ad restituendas pecunias pro pensionis cassatione perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus Personis distribuendæ: &, si renuat, ipso jure Ecclesiasticis pœnis cogi posse.*

Demum declarat, *sub hac Constitutione comprehendi quascumque translationes commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, vel in ipsum resignatarium, vel in aliam personam, & omnes extinctiones, seu cessiones pensionum quocumque nomine, & titulo per anticipatas solutiones factas intra sex menses, & etiam ultra id temporis spatium, dummodo detestabile illud pactum præcessisse constiterit.* Huc usque cit. Pontifex. *

§. II.

De Restitutione Distributionum Chori.

DIco: Qui in Cathedrali, vel Collegiata habet Dignitatem, Canonicatum, Præbendam, Portionem, &c., si non assistat Choro, non tenetur quidem ante sen-

ten-

Digitized by Google

tentiam Judicis restituere earum fructus ; bene tamen distributiones quotidianas, seu, ut vocant, præsentias: Doctores communiter.

Ratio primæ partis est, Quia Trident. *sess.24. c. 12. De Reform.* concedit his, posse abesse a Choro *Per tres menses quotannis*, etiam sine causa, inquit Fill., nec substituendo alium ; ita tamen, addit Covar., ut non omnes Capitulares simul absint, ne destituatur Chorus, nec dies absentiæ computentur ex horis assignatis assistentiæ, sed integri accipiantur, sive simul, sive interrupte. Si autem ultra tres menses absint, idem Trident. decernit, ut primo anno priventur media parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus anni, & crescente contumacia, etiam dignitate, &c.; ergo ex Trid. peccant quidem mortaliter, si ultra tres menses notabiliter absint, etiamsi alios substituant, tamen non tenentur ad restitutionem fructuum beneficii, nisi post sententiam. Dixi *Notabiliter*; nam, si per aliquot paucos dies, peccant venialiter ob materiæ parvitatem. Imo nec peccant, nec ad restitutionem sunt damnandi, si notabiliter absint: Primo ad docendam publice Theologiam, vel Jus Canonicum, vel, ut addit Garz., Divinam Scripturam, vel ad concionandum, etiam sine licentia Episcopi, quæ solum requiritur ad docendas alias facultates: Secundo, Ad studendum Theologiæ, vel Juri Canonico, cum licentia tamen Episcopi, qui tenetur hanc dare ei, qui minor est 30. annis, sed non nisi ad 5. annos, ex Decr. S. Congr. apud Barbos. Tertio, Ad obsequium Papæ, vel Episcopi, vel Ecclesiæ utilitatem, ex *cap. ad Audientiam, de Cler. non resid.*, modo non sit ad commodum privatum Episcopi, puta ad ejus venationem. Quarto, Ob aliam justam causam, ex licentia tamen Episcopi, ex Trid. cit. Denique, si hic præbendatus absit a Choro, eo quod sit excommunicatus, vel suspensus ab Officio, non tenetur restituere fructus beneficii ante sententiam Judicis: peccat tamen, si notabiliter perseveret sponte in ea censura, juxta dicenda in de Censur.

Ratio secundæ partis est, Quia ex Trident. cit. confirmante *cap. Consuetudinem, de Cleric. non resid. in 6.*, distributiones, quæ dantur iis, qui statis horis choro assistunt, negantur non assistentibus, *Quavis collusione, aut remissio-*

Digitized by Google

ne excluſa. Hinc, ſi eas forte accipiant, peccant, & ad reſtitutionem tenentur ante ſententiam Judicis; etiamſi Epiſcopus, vel Capitulum, vel illi, quibus deberent accreſcere, remitterent, cum talis remiſſio ſit invalida: Doctores communiter ex Trid. cit.

Si autem quis aſſiſtat choro, ſed non canat, Rodr., Pal., Tamb., & alii negant ei diſtributiones, quia non aſſiſtit, ut debet, juvando chorum; Suar. tamen, Fill., Bon., & alii concedunt, modo attendat, & recitet ſubmiſſa voce, quia ſic etiam religioſe aſſiſtit: ſed Laym., & alii melius concedunt partem, quia aſſiſtentia etiam eſt ad decorem chori. Si autem ei conceſſum ſit per alium canere, Suar., Garz., & alii concedunt totum, etiamſi aſſiſtendo confabuletur, aut dormiat; ſed Barb., & alii communius negant, quia non aſſiſtit humano modo cedente in cultum Dei: idem ait Barb., ſi, dum canitur in choro, legat Miſſam, niſi eſſet Officium ſub tali hora, aut juberetur a Superiore: v. Croix l. 4. n. 880.

Cæterum non denegantur diſtributiones iis, *quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret*, ex *cap. Conſuetudinem tit.*, quod ſecundum Covar., Fill., Sanch., Gob., & alios apud Croix n. 1210. eſt verum, etiamſi infirmitas fuerit culpabiliter cauſata, dummodo ſoleas alioqui aſſiſtere, nec eam cauſaveris in fraudem: eadem dic de carceribus detento, aliave corporis neceſſitate: non autem de excommunicato, aut ſuſpenſo, niſi vero injuſta fuerit cenſura, vel injuſte denegetur abſolutio, juxta dicenda *de Cenſur.* d. 2. q. 2. c. 2.

§. III.

De Reſtitutione Stipendiorum Miſſæ.

HOc ſtipendium eſt duplex: alterum eſt ex Cappellania, ſive ea ſit Collativa, hoc eſt Beneficium habens onera Miſſarum, ſive ea ſit manualis, hoc eſt ad nutum amovibilis; & ſic ſolet eſſe ſtipendium, ut plurimum pingue: alterum eſt eleemoſyna manualis, pro una ſcilicet, aut pluribus Miſſis pro una vice; & ſic taxari debet lege Epiſcopi, aut conſuetudine locorum, puta carolenus pro Miſſa legenda; quamvis poſſit pinguius exigi pro

can-

Digitized by Google

cantanda, aut pro legenda tempore, loco incommodo, &c.; non autem pro majori indigentia Sacerdotis: nisi vero sponte detur, cum sic excessus sit gratis donatus: sicuti potest ipse celebrans sponte acceptare stipendium minus taxato, cum sic reliquum gratis remittat: Doctores communiter.

Quæres primo, Quid sit dicendum de stipendio Cappellaniæ sive collativæ, sive manualis?

I. Respondeo, Totum deberi Cappellano celebranti juxta mentem Fundatoris, exceptis dumtaxat expensis præcise necessariis pro vino, cera, hostiis, detrimento paramentorum, &c. Ecclesiæ, in qua celebrantur Missæ, modo hæc sit pauper, nec habeat sufficientes redditus: Doctores communiter ex Decr. S. Congr. *Cum sæpe* jussu Urban. VIII. 1623. Si autem ipse Cappellanus substituat alium sua vice celebrantem, potest ei dare stipendium manuale justum, puta carolenum, retinendo sibi reliquum; idque certum est de Cappellano Beneficiario, nisi in fundatione aliter cautum sit, ex Decr. cit.; & probabiliter etiam de quovis Cappellano manuali, imo etiam de quovis habente legatum annuum ad vitam cum certo onere Missarum, quia eadem est ratio; his enim pingues dantur redditus, ut possint alacrius Altari jugiter inservire: Lug. l. 2. *de Euch.* n. 30., & alii.

II. Cappellanus obligatus celebrare quotidie, si detineatur infirmitate, carcere, aliove impedimento non libero, tunc, si id sit breve (puta dierum 10. secundum Barbos., 15. secundum Bonac., unius mensis secundum Laym., duorum mensium secundum Lug.) probabiliter potest gaudere fructibus Cappellaniæ, nec tenetur alium substituere, nec deinde Missas omissas remittere; nisi forte a fundatore expresse sit cautum, ut nunquam desit Missa per aliquem celebranda: & ratio est, quia hoc præciso non est præsumendum, Fundatorem velle suum Cappellanum in brevi hoc impedimento obligare. At, si impedimentum diutius duret, substituendus est alius: Doctores communiter apud Croix l. 6. p. 2. n. 176., ex *cap. Significatum, de Præb.*

III. Cappellanus obligatus quotidie celebrare ad mentem Fundatoris, potest quinquies, vel sexies in anno celebra-

Digitized by Google

bitare pro ſe, ſuis, aliave cauſa occurrente, retento Cappellaniæ ſtipendio; quia non eſt præſumendum Fundatorem hoc rationabile auxilium ſpirituale denegare ei voluiſſe: Tamb. l.3. *Method. Miſs.* c.3., & alii communiter. Poteſt etiam aliquando vacare *ſalva honeſtate ſua, & debita devotione, non autem cauſa voluptatis*, ex *cap.Significatum, de Præben.* Imo ex conſuetudine legitimè introducta, & ex præſumpta voluntate fundatoris vacare poteſt ſemel in hebdomada; niſi vero a fundatore expreſſè ſit cautum, ut nunquam deſit Miſſa per aliquem celebranda: Tamb. c.3.n.5., & 6. An autem his diebus vacationis poſſit celebrare pro aliis? Negant communiter Doctores, qui ſolum id permittunt quinquies, vel ſexies in anno, ut ſupra, & S.Congr. interrogata ab Epiſcopo Cellenſi (ut habetur in Synodo Neapolitana) reſpondit 18. Sept. 1683. non poſſe, ſi celebret, pro aliis Sacrificium offerre, quam pro Fundatore illius Cappellaniæ. Sed Peyr. cum Dian. p.5. t.13. r.51. adhuc probabiliter putat, poſſe ſemel in hebdomada ob ſui utilitatem, parentum, vel amicorum Sacrificium gratis offerre, idque ex æquitate Fundatoris.

An vero ſuppoſita hac ſententia poſſit pro ſtipendio manuali Sacrificium illud offerre? Omnes, quotquot legi, DD. negant, quia, licet non offerret pro duplici, duplex tamen revera ſtipendium eodem die haberet. Cæterum, ut introducta eſt jam conſuetudo legitima vacandi ſemel in hebdomada, ita poſſet etiam conſuetudo introduci, ut eo die vacationis celebretur pro alieno ſtipendio ex præſumpta conceſſione Fundatoris: hæc tamen conſuetudo nuſquam legitur legitimè præſcripta; unde potius dicendus eſt abuſus, qui hac in re alicubi auditur.

IV. Cappellanus obligatus celebrare in hac Eccleſia, in hoc Altari, hac tantum feria, &c., ſi celebret alibi, alia feria, &c., tunc, ſi id faciat ex legitima cauſa, vel diſpenſatione Epiſcopi, non peccat, nec tenetur compenſare: ſi abſque diſpenſatione, aut cauſa, peccat mortaliter, ſi ſæpius (venialiter enim, ſi raro) quia in re gravi defraudat Fundatorem: Doctores communiter; excuſant tamen a compenſatione Barboſ.,& alii apud Pal.,quia non privat Fundatorem fructu Sacrificii quoad ſubſtantiam; idque verum putat Tamb.c.2.contra Bon.,etiamſi omittat

Al-

Digitized by Google

Altare privilegiatum. Si autem cappellania obliget ad Missas de requie, votivas, &c., omissio hujus circumstantiæ raro, vel nunquam inducere potest culpam gravem: &, si fiat, ut conformetur ritui universali Ecclesiæ, fit laudabiliter: Doctores communiter.

V. Si Cappellania, vel Legatum sit, aut evadat adeo tenue, ut non sufficiat pro oneribus Missarum a Fundatore præscriptarum, non potest ab Episcopo, aliove Prælato Regulari reduci ad numerum taxæ ordinariæ, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ex Decr. cit. S. Congr. jussu Urb. VIII. 1623., nisi in ipsa fundatione expresse cautum sit, ut liceat Episcopo reducere, ut ibidem dicitur; revocando omnia alia privilegia olim concessa pro tali Missarum reductione. Vide tamen Tamb. c. 1. §. 4. n. 15. afferentem duo Privilegia Minimorum, & Minorum, confirmata post tale decretum ab eodem Urb. VIII. 1626., & 1639. ubi etiam addit, posse ab Episcopo fieri reductionem Missarum legati incongrui, antequam acceptetur, & cum Pasq. etiam ex stipendiis manualibus incongruis, ad quæ se privatus Sacerdos obligavit, quia de his non loquitur Decr. cit. v. Croix n. 119., & 122.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de stipendio, seu eleemosyna manuali?

I. Respondeo, Esse contra justitiam pro eadem Missa duplex stipendium accipere, eo quod putes, Missam esse infiniti valoris, vel applices pro uno partem specialissimam fructus Sacrificii tibi celebranti correspondentem: & ratio est, quia incertum est, an valor Sacrificii sit infinitus in actu primo proximo, & an possit dictus fructus applicari aliis a celebrante; debito autem ex justitia certo non potest satisfieri solutione mere probabili, & incerta ex dictis d. 1. q. 8. Hinc ab Alex. VII. damnatur prop. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urb. VIII.*, & prop. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque enim est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Idem est, si accipias duplex stipendium,

eo

eo quod uni applices Sacrificium, alteri ejus indulgentias; quia, qui dat ſtipendium, vult, ſibi applicari totum, ſicut fieri judicant omnes communiter: Lezan., & *alii*. Idem etiam eſt, ſi unus petat impetrationem, & alter ſatisfactionem, quia uterque implicite petit utrumque fructum, ut ſibi proſit, aut ſuis defunctis: Suar., Bon., Paſq., Gob., & alii communiter contra aliquos apud Marchant. Similiter docent communiter contra Palud., non poſſe quidquam accipi pro fructu *Ex opere operantis*, pro peculiari collecta, pro majori devotione, &c.; quamvis hæc, & ſimilia poſſint aliis gratis promitti: Croix n. 141. At probabile eſt, quod poſſit pro eadem Miſſa accipi duplex ſtipendium, ſi unus petat tantum applicationem, ſeu fructum, alter tantum officiaturam, ſeu præſentiam; ſcilicet ob honorem loci, vel ob concurſum populi; dummodo conſtet, hunc eſſe ſola præſentia contentum, quia ſic applicatio manſit Sacerdoti libera: ſecus vero, ſi id non conſtet: Suar., Sanch., & poſt Decr. cit. Urb. VIII. etiam Lug., Paſq., & alii. Addit Tamb. c. 1. §. 3., poſſe eadem Miſſa ſatisfieri pluribus ſtipendiis hic & nunc neceſſariis celebranti conſtituto in extrema neceſſitate: imo etiam extra hunc caſum, ſi ſtipendia fuerint incongrua, puta quinque aſſium, & ipſe ob paupertatem coactus ſit ea acceptare, vel dantes non eſſent alios Sacerdotes inventuri; ſed in hoc melius contradicunt Lug., Dian., & alii communiter poſt Decr. cit. abſolute dicens ad dub. 3. *Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruum teneri Miſſas ab offerente præſcriptas celebrare*.

II. Sacerdos obligatus celebrare pro ſtipendio manuali peccat retinendo ſibi partem, etiamſi juſtum ſtipendium det alii ſua vice celebranti, ut conſtat ex cit. Decr. S. Congr. ſub Urb. VIII. id ſpecialiter prohibente de eleemoſynis manualibus; unde ab Alex. VII. damnata eſt hæc Prop. 9. *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta*.

* Recolenda hic eſt Bened. XIV. Conſtitutio data 30. Junii 1741., quæ incipit *Quanta cura*; & cujus hæc ſumma: Primo meminit abuſus hac ſuper re introducti, quod ſcilicet nonnulli, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, accipientes

Digitized by Google

tes pro Missis celebrandis stipendium majus, curant, eas celebrandas in alio loco, ubi stipendium est minus, & sic stipendii partem sibi retinent. Secundo meminit Pontificum prædecessorum, tum Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, ex quibus decretum fuit (sicut & nos modo meminimus) non esse licitum Sacerdotibus, qui pro Missis celebrandis majus acceperunt stipendium, eas alii Sacerdoti minore stipendio celebrandas tradere, etiamsi illi Sacerdoti celebranti, & consentienti indicent, majus se stipendium accepisse. Tertio, Quicumque accipiens majus stipendium pro Missis celebrandis, si tradat eas, sive in eodem loco, sive in alio celebrandas minore stipendio, si Laicus est, præter alias pœnas Ordinariorum arbitrio irrogandas, incurrit ipso facto excommunicationem: si Clericus, sive Sacerdos quicumque, incurrit ipso facto suspensionem: atque illa excommunicatio, & hæc suspensio est Pontifici reservata, a quibus nemo, excepto mortis articulo, absolvere potest. * Hinc, si quid sibi retinet Sacerdos, est materia gravis, & peccat mortaliter, quia tam subtilis districtio S. Congr. indicat, velle graviter obligare: Doctores communiter contra Bordon. apud Mendo; & tenetur ante sententiam Judicis illud restituere; quia eleemosynam accepit, non ut procuret Missam pretio, quo possit: sed tantum, ut ipsemet acquirat titulo celebrationis: & communiter, quidquid sibi retinet non celebrando, retinet sine titulo, adeoque injuste: ergo restituere debet vel celebranti, vel danti eleemosynam: Croix l. 6. p. 2. n. 135. Retinere autem probabiliter potest in tribus casibus: Primo, Si moraliter constet, excessum justi stipendii concessum sibi liberaliter a dante, non intuitu Missæ, sed personæ, quia scilicet est amicus, vel pauper, vel ut curet, per alium celebrari: Tamb., & alii: ex quo infert Tamb., quod executor voluntatis testatoris relinquentis Missas manuales, si ex industria speciali, ad quam cæteroqui non tenetur, tradat eas celebrandas in iis locis, ubi justum stipendium est minus, potest residuum sibi retinere, dummodo aliter a Testatore non sit cautum; quia dicta prohibitio solum loquitur de eo, qui ratione talis stipendii tenetur celebrare: sed, ut bene notat Suar., id sapere videtur turpem quæstum. * Et ex const. cit. Bened. XIV.

ab-

Digitized by Google

absolute dicendum, non licere *. Secundo retineri potest excessus, si sponte omnino, & ex mera liberalitate condonetur a substituto; sicut enim is potest totum condonare celebrando pro eo gratis, ita etiam potest condonare solum excessum: cavendum tamen est, ne id fiat aliquo modo coacte, aut meticulose, ne scilicet ad id substitutus inducatur metu, ne imposterum inveniat eleemosynas pro missis celebrandis. * Sed hoc etiam videtur prohibitum in dicta cit. constit: * Tertio retineri potest, si debeas hodie celebrare pro pingui eleemosyna, & petas a me, ut pro te celebrem, promittens, cras te celebraturum pro me, qui pro missa crastina ordinariam eleemosynam habebo; quia sic est tantum permutatio missarum, & dierum: Croix n. 134.

III. Sacerdos, qui accepto stipendio, puta caroleno pro una missa, hanc omittit, vel notabiliter differt celebrare, peccat mortaliter; quia dans videtur esse notabiliter gravi iter invitus, quod privetur Missa, qua indiget sæpe ob gravem necessitatem, sive spiritualem, sive temporalem: obligatio tamen restituendi carolenum est sub levi ob parvitatem materiæ: Doctores communiter. Si autem accepto caroleno differat Missam petitam pro gravi necessitate non patiente moram (puta pro ægroto, qui interim moritur, & forte per Missam salutem obtineret) non solum peccat mortaliter, sed tenetur etiam de damno secuto, quod tamen reparare tenetur in bonis tantum spiritualibus, puta aliis orationibus, indulgentiis, &c. Peyr., Pelliz. t. 5. c. 9. n. 73. Si vero Missa non petatur pro instanti necessitatem, sed judicio prudentis patiente moram, probabile est accepto etiam stipendio posse differri ad 15., vel 20. dies ex præsumpta voluntate petentis: Pelliz. n. 72., & similiter etiam ulterius differri potest, si petens consentiat in talem dilationem. Hinc S. Congr. cit. expresse prohibet, ne accipiantur plura onera Missarum, nisi *intra modicum tempus* possit omnibus satisfieri, vel nisi dantes dilationi consentiant: hoc autem modicum tempus alii cum Marchant. extendunt ad unum mensem, alii cum Lug. etiam ad duos, alii cum Ledesm. etiam ad tres; sed hæc sunt tantum admittenda, cum petentes sciunt, illum jam esse multis aliis Missis oneratum; si enim ignorent,

Digitized by Google

non videtur, posse differri ultra 15., aut 20. dies, juxta jam dicta.

IV. Sacerdos, qui celebret Missam pro eo, quem Deus prævidet primo eam petiturum cum stipendio, Henr., Nav., Veg., Rodr., & Arag. apud Pelliz. n. 68. putant, satisfeciſſe per anticipatam solutionem, cum nec fructus sacrificii suspendatur, neque obstare dicunt declarationem S. Congr. jussu Clem. VIII. apud Riccium, quia hæc non est authentica. Sed oppositum est dicendum cum Suar., Bon, & aliis communiter, quia illud sacrificium non potest præstare suum fructum, dum offertur, cum pendeat a voluntate alterius libera futura: nisi vero necessitas, pro qua petetur, jam existat, puta pro anima jam defuncti, ut probabiliter tenet Pelliz. n. 70. Contra vero Sacerdos, qui celebravit credito Missas Titio, si postea Titius immemor debiti det alias Missas celebrandas pecunia soluta, potest Sacerdos hac pecunia compensare suum creditum omittendo novas Missas, modo hæc omissio sit in damnum solius Titii: non vero tertii, puta alterius in purgatorio: Tamb., & alii.

V. Demum, Obligatus ex stipendio ad celebrandum pro unam v. g. hebdomadam, mensem continuum, non potest aliquando intra hebdomadam, vel mensem continuum vacare; quia hic non militat ratio dicta de obligato quotidie per annum: Tamb. c. 3., & alii communiter contra aliquos similiter nec potest intra eum mensem sacrificium pro alio stipendio offerre; quamvis possit gratis illud aliis promittere, sub conditione tamen, si revera sit infiniti valoris in actu primo proximo. Similiter, si intra eum mensem aliquando ægrotet, tenetur substituere alium, vel, si non sit periculum in mora, ad aliud tempus obligationem differre. Denique, si obligatio celebrandi per unum mensem oriatur ex stipendiis diversorum, prius videtur celebrandum pro eo, qui prior dedit, quia prior tempore, potior est jure; quamvis aliqui cum Fraxin. putent, posse celebrari alternatim hodie pro uno, cras pro alio, &c.; minime tamen licet celebrare omnes missas in communi simul pro utroque, itaut dimidium fructus obveniret uni, dimidium alteri, quia neuter vult hanc communicationem, nisi expresse consentiat: Tamb. c. 3. §. 5.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Reſtitutione rei Sacræ, vel Eccleſiaſticæ ſimoniace, vel indebite alienatæ.

POTEST eſſe res Sacra, etiamſi non ſit Eccleſiæ, ut Reliquia apud laicum: poteſt item eſſe res Eccleſiæ, etſi non ſit Sacra, ut prædium, tapes, &c.

Dico primo: Beneficium Eccleſiaſticum ſimoniace acceptum reſtitui ſtatim debet in conſcientia, & ante ſententiam Judicis: Doctores communiſſime: item pretium ſimoniace acceptum pro collatione Beneficii Eccleſiaſtici, eſt pariter reſtituendum ante ſententiam Judicis: Doctores communiter contra Ugolin. apud Bonac.

Ratio primæ partis eſt, quia omnis obtentio Beneficii Eccleſiaſtici ſimoniaca eſt ipſo jure irrita, modo ſimonia fuerit complete realis, vel complete confidentialis, ex cap. *Si tuus*, & cap. *Matthæus*, *de Simon.* ex Bull. Pii V. *Intolerabilis* 6. Aug. 1579., quæ idem etiam ſtatuit de penſione ſpirituali ſimoniace accepta apud Leſſ. c. 35. n. 168., ergo Beneficium ſic acceptum eſt ſtatim reſtituendum, ſeu dimittendum una cum fructibus ex eo perceptis, vel culpa propria non perceptis, quæ omnia reddenda ſunt, non quidem reſignanti ſimoniace Beneficium, ſed Eccleſiæ Beneficii, vel Cameræ Apoſtolicæ, vel legitimo Succeſſori, niſi obtineatur diſpenſatio, vel compoſitio a Sede Apoſtolica.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia cap. *De hoc*, *de Simonia*, dicitur, quod tale pretium *ſine gravi ſalutis periculo retinere non poſſunt*: ergo reſtituendum in conſcientia, & ante ſententiam; non quidem danti, ut vult Sot., & alii, ſed Eccleſiæ; dicitur enim ibidem, *Eccleſiæ ſine diminutione reſtituant*: addit tamen Leſſ. c. 35. n. 172., quod, etſi peccent contra hoc præceptum, ſi reſtituant danti, tamen is juſte retinere poteſt, quia in pœnam tantum eo privatus fuiſſet.

Hæc omnia vera ſunt: Primo, Etiamſi ſimonia in materia beneficii ſit occulta, quia jura generaliter loquuntur: quamvis ergo in tali caſu non tenearis te prodere, & infamare, tamen teneris quæſito prætextu, aut colore Beneficium

Digitized by Google

cium dimittere, vel dispensationem a S. Pœnitentiaria obtinere, etsi simonia sit publicata a Dataria, juxta Bul. Inn. XII., a qua pariter hodie obtinenda est, etiam in simonia occulta: Doctores communiter contra Henr. putantem, in occulta dispensare posse Episcopum, quod satis probabile putat etiam Less. n. 140.

Vera sunt secundo, Etiamsi hæc simonia commissa sit a tertia persona, inscio proviso (dummodo commissa non sit in odium ipsius, aut eo contradicente) ratio est, quia ignorantia privata excusat quidem a culpa, non tamen validat actum alioqui irritum. Potest tamen hic elapso bona fide triennio præscribere, ac retinere, ut probabiliter dicunt Less. n. 141., Gomez., Suar. *de Sim.* c. 57. n. 38., & alii contra alios. Imo, si beneficium sit simplex, potest probabiliter etiam ante triennium Episcopus, post factam liberam ejus resignationem, dispensare, eidemque statim illud conferre, si bona fide acceperat: Pal., Croix, Less. n. 139. Imo, si simonia fuit in omnibus materialis, itaut omnes bona fide processerint ignorantes peccatum simoniæ, probabiliter dicunt Less. n. 142., & alii, Beneficium posse retineri: v. Croix l. 3. p. 1. n. 205.

Vera sunt tertio, Etiamsi hæc simonia commissa sit in Præsentatione, Electione, aliave provisione Beneficii, quia hæ omnes sunt irritæ, ex Extrav. *Cum detestabile*, *de Sim.* idem probabiliter est in confirmatione, vel institutione: Ugol., Felin., & alii contra Less. n. 138.; imo probabilius, & communius sunt adhuc vera, etiamsi hæc simonia fuerit tantum juris Ecclesiastici, ut in permutatione beneficiorum propria auctoritate, & in resignatione in favorem non coram Pontifice; quia textus loquuntur generaliter, &, ubi lex non distinguit, nec nos debemus: Suar., Garz., &, alii communiter apud Croix n. 213., & 215. contra Less. n. 141., Nav., Sanch., Dian., Pal., & alios probabiliter putantes, posse in casu retineri, donec condemnetur, excepta semper simonia confidentiali.

Dico secundo: Reliquæ res sacræ a beneficio distinctæ, etsi simoniace acceptæ, non sunt in conscientia restituendæ ante sententiam Judicis: Doctores communiter. Pretium vero pro his acceptum aliquando restituendum, aliquando non: Less. c. 35. a n. 157.

Digitized by Google

Ratio primæ partis est, quia, qui accipit simoniace rem sacram, quamvis peccet sacrilege contra reverentiam ei debitam, tamen non peccat contra justitiam, cum nullam injuriam faciat danti; non enim, dum dedit, gratis omnino eam dare debuit ex voluntate Dei supremi Domini: ergo, qui simoniace accepit, non tenetur jure naturæ eam restituere, nec jure positivo, quod nullibi extat, nisi solum in materia Beneficiali. Hoc verum est, etiamsi accipiens rem sacram nondum solverit pretium pactum; quia, qui credito vendidit v. g. Reliquiam, tradendo transtulit dominium, cum ex voluntate Dei supremi Domini absolute dederit: conditio autem pretii solvendi, utpote simoniaca, se habet, ac si non esset adjecta: ergo semper manet valida translatio dominii, quamvis irritanda per sententiam Judicis, ex cap. ult. *de Rer. Permut.*

Ratio secundæ partis est, quia, quamvis omne pretium simoniace acceptum ante traditionem rei sacræ sit jure naturæ restituendum danti, cum sit contractus de re turpi; tamen acceptum post eam traditionem, tunc solum videtur jure naturæ restituendum, cum est contra *justitiam* commutativam, puta, si acceptum sit pro Sacramentis, & Sacramentalibus; quia hæc natura sua postulant, ut gratis dispensentur, & fideles habent jus divinitus concessum, ut a ministris Ecclesiæ possint ea petere, nec ad aliud tenentur, quam ad ministrorum substentationem: ergo, si ministri aliquid amplius exigant, tenentur jure naturæ ad restitutionem: Less. c. 35. n. 162., addens, id verum esse, sive minister sit Episcopus, Parochus, aliusve obligatus ex officio, sive sit simplex alius Sacerdos, Confessarius liber, &c.

Contra vero, si pretium simoniace acceptum sit tantum contra Religionem, non vero contra justitiam commutativam; tunc enim jure quidem positivo restitui statim debet in simonia beneficiali, juxta jam dicta: at in aliis simoniis probabile est, non esse restituendum, nisi post sententiam Judicis: ut pretium acceptum pro admissione in Religionem: Less. n. 169. Item, si quis se privet aliqua re sacra, puta Reliquia in gratiam alterius; is enim non habet in me jus, ut talia damna tenear gratis subire: ergo, quamvis peccem contra Religionem, tamen non facio il-

li

Digitized by Google

li injuriam exigendo compensationem temporalem: ex quo etiam infertur, quod, si mihi talis res sacra furripiatur, possim exigere compensationem in pecunia taxanda prudentis judicio pro damno accepto: Less. c. 35. n. 158. contra Suar., Bonac., & alios.

Denique pretium, vel quodcumque munus etiam sponte oblatum (præter victualia) acceptum a Visitatore ordinario, ejusve officiali in visitatione, quamvis non sit simoniacum, tamen in conscientia, & ante sententiam est restituendum in duplum intra mensem, itaut nulla sit remissio partis, ex Trid. *sess.* 24. c. 3., & aliis textibus apud Bonac. tom. 3. pag. 370. Idem est de Inquisitoribus, si prætextu S. Officii pecunias extorserint, & de Judice delegato accipiente a partibus aliquid, præter esculenta, & poculenta, quamvis hi non debeant duplum, juxta dicta d. 1. q. 8. c. 2. §. 2. de Remissione, &c.

Dico tertio: Qui per contractum acquirit aliquod dominium super bona Ecclesiastica immobilia, aut mobilia pretiosa, tenetur in conscientia statim ea restituere, si contractus factus sit absque causa, debita solemnitate, & licentia S. Congregationis: Doctores communissime. Ratio est, quia in Extrav. Pii II. *Ambitiosæ, de Reb. Eccl. non alienand.*, districte prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ, & irritatur ipso facto omnis alienatio horum bonorum, item omne pactum, per quod transfertur dominium, item concessio, hypotheca, locatio, & conductio ultra triennium, infeudatio, & emphyteusis, nisi concurrant hæc tria: Primo, Justa causa: Secundo, Solemnitas per consensum, & subscriptionem majoris partis Capituli, vel Consultorum in Societate Jesu: Tertio, Licentia expressa S. Congregationis; si ergo non concurrant hæc tria, tenetur accipiens restituere hæc bona Ecclesiæ ante omnem sententiam, & antequam petatur, & similiter Ecclesia restituere debet danti pretium pro hac alienatione acceptum.

Probabile tamen est, non teneri restituere, qui sine dicta licentia emerit talia bona, si donata erant Ecclesiæ cum expressa facultate alienandi propria auctoritate, vel si donata erant Religioni incapaci retinendi, qualis est Cappuccinorum; vel, si empta erant ab Ecclesia cum pa-

Digitized by Google

do retrovendendi; vel, si alias erat periculum, ut amitterentur ab Ecclesia; vel si conservari ab Ecclesia non poterant ipsorum redditibus; vel, si erant exigui valoris, itaut non attingerent 100. ducatos; vel, si vendita fuerint ob magnam Ecclesiæ necessitatem, notoriamve utilitatem, non permittentem licentiæ moram; vel demum, si pertinebant indivisim ad Ecclesiam, & ad laicum, qui volebat vendere: v. dicta de Contract. d. 1. c. 4. n. 6.

Dico quarto: Quicumque quomodocumque accipit munera a Regularibus (exceptis Militaribus) dantibus ex ambitione, vel cum dissipatione bonorum Monasterii, tenetur statim restituere, & in conscientia, & ante sententiam Judicis: Doctores communissime. Ratio est, quia ex Constit. 28. Clem. VIII. *Religiosæ, de Largit. Mun.* ann. 1594. confirmata, & moderata ab Urban. VIII. illicite, & invalide dicti Regulares largiuntur munera, vel expendunt in quascumque res, si faciant ex ambitione, vel cum dissipatione bonorum Religionis: ergo, quicumque ea accipit, sive gratuito, sive titulo oneroso, non potest acquirere eorum dominium, sed tenetur in conscientia statim restituere, & contractum rescindere.

Excipe tamen: Primo, Munuscula ad devotionem pertinentia, vel leviora esculenta, & poculenta, vel res quascumque non superantes valore duos ducatos: Secundo, Eleemosynas utcumque magnas, remunerationes, donationes liberales, convivia, spectacula, &c., modo fiant in utilitatem Monasterii, aut in bonum Spirituale aliorum; quia sic non fiunt ex ambitione, nec cum dissipatione, &c.; quo sensu intelligi etiam debet Constit. Inn. XII. *de Facultate majoris Pœnitentiarii*. v. dicta de Contr. d. 2. q. 1. c. 2. §. 1. quæsit. 1.

QUÆSTIO II.

De Restitutione Famæ, & Honoris.

Fama est *Bona multorum opinio de vita, & moribus alicujus*. Honor est *Externa testificatio nostræ existimationis de excellentia alicujus*. Hinc famam violat detractio, quæ fit in absentia: honorem violat contumelia,

Digitized by Google

lia, quæ fit in præsentia. Videndum I. Quæ restitutio facienda sit ex detractione? II. Quæ ex contumelia?

CAPUT I.

Quæ Restitutio facienda sit ex Detractione?

DETRACTIO est *Occulta famæ denigratio*, per quam injuste extinguitur bona de aliquo opinio in aliorum animis existens: dicitur autem occulta, hoc est in absentia ejus, de quo detrahitur. Videndum, Primo, Quis sit injustus detractor? Secundo, Ad quid teneatur?

§. I.

Quinam sit injustus Detractor?

INJUSTUS detractor est, *Qui famam proximi violat, ea rationabiliter invito:* sive hæc detractio sit directa, hoc est cum intentione formali directe infamandi: sive detractio sit indirecta, hoc est sine tali intentione, cum aliqua tamen virtuali, & implicita: ut, si ex quadam loquacitate narres peccata proximi, vel taceas ejus virtutes, cum tenearis ex officio eas dicere. Item, sive hæc detractio fiat per calumniam, qua crimen falsum imponitur proximo, sive detractio fiat per infamiam, qua crimen verum, sed occultum publicatur, aut publicum ampliatur, aut actio sinistre interpretatur, extenuatur, simulate, ac frigide laudatur in circumstantiis, in quibus audientes tacitam vituperationem intelligant.

Hi autem modi detrahendi, etsi inter se diversi, non differunt tamen specie in linea morali; & probabiliter nec specie differunt ratione personæ infamatæ, puta Patris, Prælati, Sacerdotis, &c.; quia fama in his omnibus est ejusdem speciei: Azor., Dian., p. 1. t. 2. r. 1., Trul., & alii. Si autem detractio fiat cum susurratione, qua scilicet seminantur discordiæ, & dirimitur amicitia, & pax inter aliquos, habetur nova species peccati contra charitatem, & pacem, in Confessione aperienda: Doctores communiter.

Quæres primo, An possit quis seipsum infamare?

Respondeo, Si id faciat ex justa causa, puta ad majorem sui humiliationem, vel proximorum ædificationem,

Digitized by Google

ut fecerunt D. Augustin. in suis Confessionibus, & alii Sancti Viri, est opus potius meritorium, dummodo non dicatur falsum: Doctores communiter. Si autem absque ulla justa causa quis infamet seipsum, etiam de gravi crimine, sive illud publicando, sive falso sibi imponendo, per se loquendo, est tantum veniale; quia non peccat contra justitiam, cum quisque sit Dominus suæ famæ, ut docent communiter Doctores contra Cajet.; neque peccat contra charitatem, cum hæc non obliget ad conservanda bona extrinseca (qualis est etiam fama) nisi quatenus sunt necessaria ad bonum spirituale: est ergo tantum veniale, per se loquendo, quia est prodigalitas, quæ secundum se est venialis.

Dixi, *Per se loquendo;* nam aliquando ratione alicujus circumstantiæ est mortale infamare graviter seipsum. Primo, Si ejus infamia redundaret in infamiam etiam Familiæ, Ordinis Religiosi, &c.; quia sic fama non tantum est ejus, sed etiam aliorum, ideoque peccaret graviter contra charitatem, & justitiam cum obligatione restitutionis: Less. c. 11. n. 129., & alii communiter: si autem ejus fama non redundaret in alios, sed ob infamiam sibi impositam amitteret v. g. officium, quod redundaret in damnum fortunæ filiorum, Navar. apud Trul. contra Less. n. 32. probabiliter dicit, non peccare contra justitiam, quia sic tantum cedit jure suo. Secundo, est mortale, si se jactet, & glorietur de peccato, quo se infamat, vel aliis præbeat scandalum, & occasionem ruinæ; quod tamen raro accidit, inquit Less. n. 31., si cum vituperatione crimen suum commemoret. Tertio, est mortale, si inde immineat sibi periculum mortis, vel mutilationis injuste infligendæ a privato, ut si dicas, te Petri sororem violasse; sic enim est etiam vitæ profusio absque causa. Si autem ob virtutem justitiæ te prodas Judici, vel si metu tormentorum tuum crimen occultum confitearis, non peccas: Less. ibidem: imo probabile etiam est, non peccare mortaliter, si, ut gravia tormenta evites, imponas tibi falsum crimen, quia non teneris servare vitam cum tanto cruciatu: Less. n. 40., Laym., & alii contra Mol., Covar., & alios. Imo probabile etiam est, nec peccare graviter, si absque juramento crimen tibi imponas ad eripiendum parentem,

Digitized by Google

tem, vel amicum a morte, vel tormentis a Judice legitime infligendis: Leſs. ibid.

Quæres ſecundo, An infamare proximum ſit ex genere ſuo mortale?

Reſpondeo affirmative; Quia fama eſt bonum ex genere ſuo ſuperius omnibus bonis fortunæ, quamvis ſit inferius vita, quæ ex Philoſopho eſt fundamentum omnium bonorum: ergo infamatio proximi eſt peccatum gravius furto, quod ex genere ſuo eſt mortale, quamvis inferius homicidio. Cæterum hoc peccatum evadere poteſt veniale per accidens, & primo ratione parvitatis materiæ, ut ſi publices defectus tantum veniales proximi; quia fere nemo ab his liberatur: Doctores communiter. Excipe tamen, ſi forte conditio perſonæ talis ſit, ut in ea tales defectus cenſeantur magni momenti, ut ſi de gravi, & optimi nominis viro dicas, *Eſſe mendacem*, hoc eſt crebro mentiri: ſi autem dicas ſemel, aut bis in levi mentitum fuiſſe, Nav., & Leſs. c. 11. n. 14. putant, non eſſe mortale, quia non amittitur notabiliter bonum nomen: Secundo, Si dicas defectus valde generales: puta eſſe ſuperbum, iracundum, avarum, &c.; etſi aliquando eſſe poſſit mortale ſpectata conditione perſonæ, ut ſupra; quia audientes plerumque interpretantur de naturali inclinatione, & defectu involuntario: Leſs. n. 18., & alii: Tertio, Si dicas defectus tantum naturales, ſive animi, puta eſſe ignorantem, imprudentem, &c., ſive corporis, puta eſſe claudum, gibboſum, &c.; quia per hos defectus non cenſetur quis infamis, nec ideo bonam famam amittit: Leſs. n. 14., Nav. Si autem dicas defectum natalium, Medin., Bon., Sayr., & alii putant, eſſe mortale: Nav., Fil., Reginal., Leſs. n. 14., & alii putant, eſſe veniale: utrique probabiliter. Communiter tamen docent, eſſe mortale manifeſtare hunc, aut alium defectum naturalem, ſi ex ea manifeſtatione impediatur quis a gravi bono conſequendo, vel cogatur pati grave damnum, vel graviter in audientium animis ſit contemnendus: item, ſi dicerentur in præſentia animo conviciandi, quia ſic eſſet dehonoratio: Mol., Nav., & alii apud Trul. Si autem dicas, Titium eſſe morbo gallico affectum, Nav., Sayr., & alii contra Bon. putant, non eſſe mortale, quia hic morbus provenire po-

Digitized by Google

teſt ex diverſis cauſis, etiam naturalibus: niſi vero in audientium animis ingerat ſuſpicionem peccati: Quarto, Si detegas eum, qui fictis virtutibus famam ſibi injuſte comparavit, peccas venialiter contra charitatem, ſi abſque cauſa ejus ſimulationem aperias: Adrian., & alii apud Leſs. c. 11. n. 65., qui hanc ſententiam reputat probabilem, licet probabilius putet, eſſe mortale contra juſtitiam.

Quæres tertio, An ſit contra juſtitiam dicere crimen proximi, quod eſt, fuit, aut erit jam publicum?

Reſpondeo, Crimen poſſe eſſe publicum tripliciter, jure, facto, fama. Notorium jure eſt, quod ſcitur per Judicis ſententiam, vel per confeſſionem rei, vel per legitimam depoſitionem teſtium. Notorium facto eſt, quod viſum eſt multis, hoc eſt majori parti populi; & quia ex Gloſ. apud Sanch. l. 6. *Conſil.* c. 3. d. 3. decem perſonæ conſtituunt populum; ideo, ſi populus, vel vicinia, vel collegium conſtet decem perſonis, ſex videntes faciunt notorium facti, quia ſic eſt major pars: ſi autem populus, &c. ſint pluſquam decem, non ſufficiunt ſex videntes, ſed requiruntur ſaltem decem perſonæ honeſtæ totius *populi*, vel viciniæ etiam latiſſimæ, ſecundum Tamb., *Armil.*, *Ledeſ.*, & alios: & probabilius ſecundum Sanch., & alios requiruntur plures pro majori populo. Famoſum demum eſt, cujus fama ex ſufficientibus indiciis orta pervulgata eſt jam ad majorem partem Civitatis, Pagi, Parochiæ, Viciniæ, &c., itaut ad famam publicam requirantur tot perſonæ, quæ audierint, quot videntes requiruntur ad notorium facti juxta modo dicta. Notat item Leſs. ex Nav., quod, ſi in Collegio ſint pauciores, quam decem, & ſeptem audierint, eſt publicum tantum reſpective, non autem abſolute, & ſimpliciter; ad hoc enim requiritur, ut adeo ſit propalatum, ut cuivis innoteſcere poſſit. His expoſitis

Dico primo, Non eſſe contra juſtitiam loqui de crimine proximi publico quocumque ex tribus dictis modis, quia per publicitatem amiſit ille jus ad famam: Doctores communiter; quare non eſt injuſta detractio, ſi magis ibi publicetur, dicaturque perſonis alias ignaris: Leſs. n. 77. Si autem ſit publicum in uno tantum Monaſterio, quamvis videatur poſſe ſine detractione ſcribi ad alia Monaſteria, quæ inter ſe communicant, non tamen poteſt *ſcribi*, aut

dici

Digitized by Google

dici extraneis, quia talis publicitas non est absoluta: Mol., Reb., Croix l. 3. p. 2. n. 1221.

Dico secundo, Probabiliter non esse contra justitiam dicere in loco, ubi ignoratur crimen proximi, quod in alio loco est jam absolute publicum; quia, postquam delictum factum est absolute publicum, delinquens amisit absolute jus ad famam, itaut nemo teneatur ex justitia habere de illo bonam opinionem: ergo bona fama, quam alibi retinet, non est de jure, sed tantum de facto, & consequenter non fit contra jus illius: Less. n. 75.

Dico tertio, Non esse contra justitiam nunc dicere proximi delictum, quod olim fuit publicum Jure, etiamsi nunc sit oblivione sepultum; quia moraliter perseverat facultas manifestandi data a Judice. Si autem fuit publicum facto tantum, vel fama, Mol., Lug. d. 14. n. 85., & alii dicunt, esse contra justitiam, quia nunc non est absolute publicum: sed adhuc probabiliter contradicunt Less. n. 82., & alii, quia jus famæ olim deperditum non est oblivione acquisitum, itaut nunc dici possit, fuisse olim probus: nisi vero dicas, illum etiam nunc esse improbum. Similiter non est contra justitiam dicere crimen, quod nihilominus erat brevi ab aliis juste publicandum: secus vero, si injuste; sic enim prævenis injuria: Croix n. 1200.

Dico quarto, Esse contra charitatem in dictis casibus loqui cum ignaris: & Primo, si in eodem loco, & tempore, ubi crimen est publicum, est tantum veniale, cum talis locutio sit secundum se actus otiosus: nisi vero excuset utilitas audientis, ut hac ratione a vitiis deterreatur, &c. Secundo, Si dicas in alio loco, ubi non est publicum, Fagun. citans Cajet., & Nav. absolute ait, esse etiam tantum veniale, quam sententiam probabilem, & tollentem multos scrupulos dicit Dian. p. 2. t. 5. r. 17. Sed communis sententia apud eundem dicit, esse mortale; nisi forte fama erat brevi eo perventura, vel nisi sit infamatus Jure, vel nisi ille parum curet, ibi infamari; præsertim, si longe absit: Less. n. 78., & 79., addit tamen n. 81., quod, etsi pecces, si forte ob id tali infamato sequatur ibi etiam damnum, puta conjiciatur in vincula, privetur Officio, &c., tamen non teneris de tali damno, quia infamatio fuit tantum contra charitatem. Tertio, Si dicas in alio tempore, quando de-

sit

Digitized by Google

sit jam esse publicum, est mortale contra charitatem; præsertim, si ille est jam emendatus: nisi vero referas simul emendationem: peccant ergo historici scribentes peccata etiam publica mortuorum, non referendo eorum emendationem: ita Bon.

Quæres quarto, An sit contra justitiam enarrare peccatum proximi occultum, si in aliis peccatis sit diffamatus, vel si sit defunctus?

Respondeo primo, Si alia ejus crimina sint connexa, & ordinarie conjuncta cum illo, de quo est infamatus, non esse contra justitiam; imo neque contra charitatem ea aperire, præsertim apud illos, qui principale norunt: ut si de adultero, cujus delictum est publicum, enarres scripsisse literas amatorias, &c.; quia non causatur nova infamia; nisi forte hæc notabiliter augeatur. Econtra vero injustum est, si crimina non sint connexa, præsertim, si sint diversi generis; quia, qui est infamis in uno genere vitii, non ideo amisit jus ad famam, quam habet in aliis virtutibus: Less. c. 12. d. 14., Nav., Sayr., Bon., & alii communiter.

Respondeo secundo, Esse contra justitiam enarrare crimen occultum defuncti; quia vivit adhuc defunctus in bona hominum opinione, seu potius ejus virtutes, & bonum nomen vivunt: Less. c. 11. d. 21., Nav., & alii communiter: hinc historici injuste referunt crimina occulta præteritorum; imo, si referant crimina publica alicujus, & infamia redundet in totam familiam, & ejus notitia parum utilis sit futuris, peccant contra charitatem: secus, si utilitas hæc sit major: Salon., Sayr., Trul., & alii: denique etiam contra justitiam peccant astrologi, qui ex astrorum observatione, &c. crimina alicujus occulta pandunt, &c.

Quæres quinto, An possis manifestare crimen proximi occultum ad impediendum damnum inde imminens tibi, vel aliis?

Respondeo affirmative, dummodo damnum sit alicujus momenti, nec alia via vitari possit, & crimen manifestetur ei tantum, cujus est damnum illud cavere. Ratio est, quia sic proximus non habet jus ad famam cum gravi damno injusto aliorum: Less. c. 11. n. 57. Hinc ad vitanda gravia tormenta potes pandere Judici delictum proximi occultum; quia non teneris cum tanto damno servare al-

te-

Digitized by Google

terius famam: Less. n. 51., & 54., & similiter ad vitanda gravia tormenta aperire potes quodvis secretum naturale, (modo non sit pertinens ad Rempublicam) & probabiliter, etiamsi vi, vel fraude illud sciveris: Less. n. 55.

Potes pariter citra injustitiam vitium, vel crimen Titii occultum revelare Cajo volenti eum habere famulum, Oeconomum, Pœdagogum, Medicum, Advocatum, &c., dummodo manifestatio criminis, & personæ sit necessaria ad damnum ejus impediendum: Less. n. 60. Similiter, cum quis ad Cathedram, Officium, Beneficium, Ordines, aut Religionem eligitur, potes informanti crimina occulta aperire: idemque est de impedimentis ex delicto occultis matrimonii. Si autem capiatur informatio de aliqua Virgine ad hoc, ut ei aliqua eleemosyna conferatur, non licet peccatum ejus occultum revelare; quia fundatores eleemosynæ id prudenter postulare non possunt: Vil., Sal. apud Trul., & alii. Noto tamen, in dictis casibus, si possibilis, & utilis speretur correctio fraterna, peccari contra charitatem, si non præmittatur revelationi; Probabile tamen dicit Bon., non peccari contra justitiam, eo quod nemo habet jus ad famam, per quam aliis nocere parat; quamvis in hoc contradicant alii communius cum Less. n. 62. Cæterum nec opus est correctione fraterna, quando imminet damnum Communitatis, ut si quis vellet Rempublicam prodere, vel esset occultus hæreticus: item, quando in defensione propria testi falso crimina occulta objiciuntur: item, si reveles Judici Petrum in casu, quo homicidium occulte ab eo commissum falso imputatur Cajo, qui proinde esset plectendus: monere tamen debes prius Petrum, si fieri potest, ut se ponat in tuto: Mol., & alii.

Quæres sexto, An præciso dicto damno vitando licitum sit revelare occultum proximi crimen uni, vel duabus personis.

Respondeo, Licere in duobus casibus: Primo, si post correctionem fraternam adhibeantur duo testes, etiam ignari; quia hoc postulat ordo correctionis Evangelicæ: Secundo, si reveles viro cordato ad petendum consilium, vel remedium, dummodo absque manifestatione personæ consilium, vel remedium adhiberi non possit: Doctores communiter

muniter. At si mere ex levitate, vel loquacitate dicas uni, vel duobus viris cordatis, Cajet., Nav., Cordub., Dian., Dicastil., Tamb., & alii putant, esse tantum veniale, quia est leve detrimentum famæ, modo non sit periculum divulgationis, vel alterius incommodi. Neque obstat, inquiunt, paritas de judicio temerario, quod est mortale, etsi nulli manifestetur. Nam, non ideo est mortale, quia judicas malum de proximo, sed quia male, hoc est ex levibus indiciis. Similiter uxor cum marito confabulantes de gravibus delictis externorum, a mortali non excusantur, nisi adsit causa damni impediendi, juxta jam dicta; quæ tamen causa cum fere semper adsit in rebus domesticis, ideo videntur posse licite colloqui de delictis etiam occultis filiorum, ac famulorum, ut recte ait Bon., nisi vero possit v.g. mater aliter mederi damno filiæ stupratæ, pater emendationi filiorum, &c. Similiter, si Titius occultum proximi delictum revelavit viro probo, & cordato, confidens, illum nemini revelaturum, qui tamen aliis revelavit, ideoque factum est publicum, Titius sub gravi tenetur coram illo viro probo restituere famam: coram aliis vero non tenetur, ut patet. Sicuti, econtra tenetur, si revelaverit viro non probo, prudenter suspicans, illum non taciturum, quia sic ipse prior est in causa publicitatis: v. Trull., & alios.

Qui autem injuriam ab aliquo occulte sibi factam enarret amico; si id faciat, ut consolationem ab amico accipiat, vel ut querela sic exposita dolor mitigetur, secundum omnes non est peccatum saltem mortale; quia jure suo uti videtur, cum nimis durum sit, ut quis injuriam acceptam solus in silentio concoquat, nec possit cum amico cordato, ut supponitur, communicare: Less. d. 12., Sayr., Bon., Nav., & alii. Quam ob causam excusari possunt famuli invicem detegentes injurias sibimet factas a dominis suis; uxores, quæ a marito; filii, quæ a patre; Religiosi, quæ a Prælato accepta, doloris mitigandi causa referunt. Imo, si persona occulte graviter injuriata, non valens se a dolore cohibere prorumpat in querimonias publicas, non illico de mortali damnatur, si sic, qui injuriavit, infametur; quia satis durum videtur sic afflictum animum cohibere, ne in querimonias prorumpat, cum hoc sit naturale: Dela Crux apud Trul. v. Dian. p. 3. t. 5. r. 32.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres septimo, An, qui grave aliquid occultum ex auditu refert aliis, absque tamen assecuratione, sed dubitanter, peccet graviter contra justitiam?

Respondeo, Cajet., Nav., Gob., & alios absolute dicere, non peccare graviter, si referat audita ut audita, non asserendo, neque affirmando tanquam certa, sed dubitanter, & cum hæsitatione; quia sic fama absolute non tollitur, sed tantum quasi semiplene, uti per dubium, vel suspicionem. Hanc sententiam, ob rationem, & auctoritatem existimat probabilem Dian. p. 2. t. 5. r. 28. cum Sot., Sylv., Armil., Sa, & aliis; ideoque inferunt, quod, etsi audientes credant, & ut certum publicent, tamen ipse referens non tenetur ad restitutionem famæ; quia hæc non fuit læsa ex culpa ipsius referentis, sed ex culpa audientis leviter credentis, ut certum, quod non est dictum tanquam certum. Equidem cum Trul., Sal., Dicastil., & aliis, id admitto, si referas, ut auditum a non fide dignis, indicando personas; vel tu apud audientes non sis fide dignus, & crimen sit ex communibus, uti etiam persona, de qua loqueris: quare, si plebejus de alio plebejo ex auditu hæsitando referat delictum aliquod ex communibus, puta furtum, fornicationem, &c., tantum venialiter peccat, quia hic ex se leve nocumentum infert, & levem suspicionem; adeoque, si audientes credant, ex levitate, vel malitia propria credunt, quod est illis imputandum: si autem id ipsum ille prævideat, vel ex odio referat, peccat graviter contra charitatem, sed probabiliter non tenetur sub gravi restituere famam, quia actio ejus externa est tantum levis: Trul., & alii.

Contra vero videtur ex se mortale revelare crimen gravissimum proximi, puta hæresim, sodomiam, falsificationem monetæ, &c., etsi id hæsitando fiat a quocumque, & de quocumque reveletur; quia per se læditur notabiliter proximus, cum quivis rationabiliter mallet de seipso credi v. g. adulterium, quam suspicari hæresim, &c. Similiter, etsi peccatum sit ex communibus, si tamen referantur de persona maximæ auctoritatis, quamvis hæsitando, & dubitando, est mortalis detractio; quia tantam infamiam sic inducis, quantam induceret alius inferioris sortis assertive referendo: etenim majorem suspicionem gi-

Digitized by Google

gignit referre fornicationem de honestissima femina, quam si de aliis inferioris sortis referretur.

Quæres octavo, An sit mortale manifestare occultum crimen, tacendo personam in particulari?

Respondeo negative, Si prudenter putes, audientes non venturos in notitiam personæ, nec illud redundare in infamiam communitatis, quia sic nemini detrahis: Doctores communiter. Hinc non est mortale dicere, in tali Oppido adesse multos pravos, & improbos homines, vel unum Canonicum talis Ecclesiæ commisisse simoniam, fornicationem, &c.; quia non manifestatur persona, ut suppono; & tales Communitates non profitentur tantam perfectionem, ut ex tali dicto censeantur infamari: Nav., Trul., & alii: idemque est, si manifestes delictum Religiosi innominati, quod tamen constat esse frequens in ea Religione, vel Monasterio: nisi vero ex hoc Religio, vel Monasterium amittat aliquem splendorem, ut inquit Nav., vel occasionem præbeat, cur alii in judicium temerarium incurrant.

Contra vero est mortalis detractio, si dicas unum innominatum ex tali Religione, vel Monasterio (de quo est optima existimatio) inventum esse cum meretrice, &c., quia sic redundat in infamiam communitatis: idemque est, si publices aliquid de aliquo, quod redundet in infamiam familiæ, vel si in tali Monasterio dicas, non esse observantiam, quod male vivitur, quod ibi simonia exercetur, &c., nisi alias esset notorium. Idem demum est, si dicas, omnes cujusvis Communitatis, Collegii, Oppidi, &c., esse improbos, fornicarios, simoniacos, &c., quia sic infamatur immediate tota Communitas, & singulæ ejus partes, inter quas fere semper sunt aliqui innocentes. Notat tamen Azor. apud Trul., quando quis asserit de aliquo Collegio, vel Oppido, esse infame, hunc loquendi modum regulariter non ita accipi, quasi omnes sint infames, sed solum multos eorum esse infames.

Quæres nono, An sit mortale conficere libellos famosos?

Respondeo, Esse peccatum gravissimum contra charitatem, & justitiam; est enim libellus famosus, seu infamatorius, *Scriptura publica, qua occulti defectus proximi mani-*

Digitized by Google

nifeſtantur: quæ manifeſtatio, ſi fiat cum occultatione Auctoris, pertinet ad detractionem; ſic enim quaſi reveretur perſonam proximi, & quaſi in abſentia eum infamat: ſi vero nomen ſuum ponat, pertinet ad contumeliam, cum ſic quaſi in præſentia videatur inhonorare: Cajetan., & alii. Conficiens aliquem ejuſmodi libellum contra ſummum Pontificem, vel alium Cardinalem eſt excommunicatus ex quadam Extrav. Pii V. apud Trull., de qua tamen dubitat Bonac., item, qui ejuſmodi libellum conficit, detinet, vel publicat contra Religionem Dominicanorum, vel Franciſcanorum, incurrit excommunicationem reſervatam Papæ, ex Conſtit. Alex. III., quod Salon., Sayr., & Bon. extendunt etiam ad reliquas Religiones Mendicantes, ob communicationem Privilegiorum: ſed hoc negant Navar., Trull., & alii. Cæterum nomine libelli famoſi non venit, qui parum lædit famam, vel honorem; cum hi potius ſint facetiæ quædam: neque privata Epiſtola miſſa ad privatum, etiamſi occultum grave crimen exprimat; nec ſcriptura publica continens publicum vitium: ſed venit ſcriptura continens infamiam, ut fiat publica; &, ſecundum Bon., & alios, etiam Schedula delata ad Superiorem continens delictum occultum, & poſita in loco, ut Superior inquirat de crimine: item ſignum appoſitum v. g. domi alicujus, quo ille infametur: v. Trul. l. 7. *Decal.* c. 10. d. 27.

Quæres decimo, An audiens detractorem peccet?

Reſpondeo, Si verbis, vel ſignis induxit detractorem ad detrahendum, peccat gravius detractore, quia illum ad peccandum inducit; tenetur autem ad reſtitutionem famæ in defectu detractoris, quia fuit tanquam Conſulens: Doctores communiter cum D. Th.: talis eſt, qui ſine juſta cauſa interrogat de aliorum defectibus, & ſic eſt cauſa, cur illi publicentur: excuſatur tamen a mortali, ſi invincibiliter ignorans detractionem futuram gravem interroget, ſed detractor præter ejus opinionem graviter detrahit: Navar., Bonac., & alii apud Trull. Si autem interroget ex juſta cauſa, puta ad rectam proviſionem, electionem, matrimonium, &c., non peccat, modo id faciat caute, & abſque periculo, quoad fieri poteſt, publicationis.

Si non induxit, ſed tamen delectatur de ipſa detractione

Digitized by Google

ne proximi tanquam de ejus malo, peccat graviter contra charitatem; non tenetur tamen restituere (nisi sit Superior, juxta mox dicenda) quia non est causa infamiæ: Less. c. 11. n. 20.; ubi etiam notat, esse tantum veniale, delectari solum de eloquentia detractoris, vel de *sola curiosa* cognitione peccatorum proximi, nisi desideret etiam ipsam detractionem, vel placeat illi, quod alter de proximo detrahat, quia sic gaudet de ejus peccato. Cæterum, si detractio sit coram uno, vel duobus, probabile est, nec audientem peccare mortaliter, quomodocumque irrogetur, &c., juxta dicta quæsit. 6. Si demum nec induxit, nec delectatur, tamen commode potens impedire non impedit; tunc, si ipse est Superior, puta Prælatus, Pater, Dominus, &c., peccat, & tenetur restituere famam in defectu detractoris, quia ex officio tenebatur impedire, juxta dicta q. antecedenti c. 4. Si vero non sit Superior, debet ex charitate quidem corrigere, vel discedere, vel alio sermonem avertere; sed, si maneat, & ex verecundia, timore, vel alia etiam minus sufficienti causa non corrigat, non videtur peccare graviter, modo non ostendat, sibi id placere, sed composito vultu audiat: Sanch. l. 1. *Consil.* c. 3. d. 7. n. 1. Cæterum nullo modo peccat, si non putet profuturam suam monitionem, vel metuat grave damnum, vel, si rationabilis verecundia obstet: ut, si sit famulus, filius, aut nullius auctoritatis: nisi vero possit discedere, aut sermonem alio divertere: Less. n. 22., Bonac., & alii, Addit Busemb. ex Lug., & aliis, æqualem raro, inferiorem rarissime teneri corrigere detractorem: tum quia plerumque nescit an delictum sit notorium; tum quia cœpta jam detractione melius consulitur proximo, si sinatur absolvi; tum quia sæpe sine gravi offensione non potest corripere; tum quia sæpe alter habet justam causam manifestandi, præsertim uni soli. Denique, qui audiens delictum proximi innominati, procurat cognoscere personam, peccat, si faciat ob malum finem; leviter tamen, si ex curiositate, vel levitate absque periculo publicationis, secundum Navar., vel si aliunde etiam scire posset, sine interrogatione alterius, &c. Nullatenus vero peccat, si ob bonum finem interroget: v. g. ad rectam provisionem, electionem, matrimonium, &c., modo ab iis informationem

Digitized by Google

nem accipiat, qui non possunt obesse: Trull. d. 14. n. 7.

Quæres demum, An peccet, & ad restitutionem teneatur, qui violat secretum naturale?

Respondeo affirmative, Præsertim si talis violatio redundat in detrimentum, vel injuriam alterius, ut accidit, quando quis gratia petendi consilii aliquid manifestat Advocato intendens, secretum celari, & Advocatus hoc violans est causa detrimenti, seu injusti damni alterius: Doctores communiter cum Bonac. *de Restit.* d. 2. q. 2. Addunt tamen, quod, si violes secretum cum levi damno, vel injuria alterius, peccas tantum venialiter, etiamsi secretum fuerit tibi commissum, hoc est acceptum sub pacto antecedente tacendi; quia, quamvis sic tenearis ex justitia ratione pacti onerosi, tamen ratione parvitatis materiæ excusaris a mortali. Addunt etiam cum Azor., Trul., & aliis, nec esse mortale aperire secretum, etiam magni momenti, uni, vel duobus, qui illud celabunt: ut, si maritus dicat uxori, amicus alteri amico fideli; quia sic non videtur redundare in grave damnum, vel injuriam alterius, dummodo non dicatur illi, cui certo, vel probabiliter creditur, eum, qui secretum commisit, voluisse celari; sic enim fieri videtur gravis ei injuria, si materia sit gravis: Trul., & alii.

Ex dictis infers primo, Eum, qui per injuriam, vel fraudem extorsit secretum, aut qui novit aliquid ab alio, cui commissum illud erat sub secreto, teneri ad servandum secretum, & consequenter obligari ad restitutionem ex violatione secreti; quia non est melioris conditionis eo, qui primo accepit sub secreto, vel qui absque vi, vel fraude secretum novit: Bon., Trul., & alii communiter.

Infers secundo, Peccare mortaliter eum, qui injuste aperit, & legit alterius literas sigillo munitas, si ille, qui eas misit, aut asservat, valde cupiat, eorum sensum occultum teneri, quia sic fieri potest, ut, quamvis non adsit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat injuria, ut pertingat ad mortale: Mol., Lop., Bonac., & alii: idemque est, si secretum inde per injuriam extortum aliis revelet, itaut teneatur etiam ad restitutionem damni, quod inde provenit: Doctores citati. Qui vero prudenter putans, non esse periculum gravis injuriæ, aut notabilis damni, eas

Digitized by Google

aperit, & legit ex curiositate, aut causa sciendi novitates, aut videndi ob inelegantiam scriptoris, &c., non peccat graviter, cum nulli faciat injuriam gravem: Azor., Navarr., Bonac., & alii. Nec simpliciter peccat, si id faciat ratione amicitiæ, vel alia de causa credens, adesse *voluntatem* interpretativam scribentis, aut ejus, ad quem scribuntur: uti nec, qui id facit auctoritate legitima, ut Superiores in aliquibus Religionibus, Duces in bello, Principes, &c. ad obviandum malo publico; imo, nec qui id facit ad præcavendum sibi damnum injustum, quod in illis contineri prudenter timet: Doctores cit. Qui autem literas laceratas, & in publicum a domino abjectas colligens legit, peccat ad summum venialiter: graviter vero, si casu sint a domino perditæ, aut apud se retentæ, aut in ignem projectæ, ut comburantur, &c., cum sic censeatur dominus nolle cedere jure suo, nec dimittere secretum, Rebell., & alii apud Croix n. 1236. addens etiam, eum, qui furtive legit scripta alterius, posse peccare graviter, si nimirum scriptor valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus; quisque enim habet jus secreti in suis *scriptis*: Nav., Busemb., & alii.

Infers tertio, Non peccare eum, qui vi tormentorum compellitur revelare secretum naturale sibi commissum; imo etiam juratum (& probabiliter, etiamsi per fraudem extortum, secundum Trul., & Nav. apud Croix n. 1233.) Excipe, nisi ex tali revelatione sequatur damnum grave publicum, ad quod vitandum tenetur quisque potius mortem subire, vel nisi sint habentes officium publicum, ut Judices, Scribæ, &c., quibus causæ graves etiam privatorum sunt commissæ, puta de vita, de ducatu, de maximo honore, &c.; si enim invadantur ab aliquo litigantium sub mortis pœna, ut merita causæ prodant, tenentur potius mortem pati: secus vero, si causæ non sint adeo graves, & aliunde per compensationem saltem reparabiles: Sanch., & alii apud Trull.

Infers quarto, Nos aliquando teneri revelare secretum nobis commissum, quoties scilicet taciturnitas vergit in damnum communitatis, vel innocentis; quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam: idque verum est, etiamsi secretum sit promissum

cum

Digitized by Google

cum juramento, quia juramentum non est vinculum iniquitatis: Regin., Bon., Trull., & alii. Excipit tamen Less. ex Sot. apud Trull., quod, si Titius occidit Cajum, cujus mors imputatur Paulo innocenti, & Titius suum homicidium tibi sub secreto revelavit, non teneris tu manifestare ad salvandum Paulum innocentem; quia hujus damnum per accidens sequitur ex peccato præterito Titii, qui nec tenetur illud impedire manifestando seipsum, & consequenter neque tu teneris ipsum manifestare.

§. II.

Ad quid teneatur Detractor?

DUPLICI modo ex dictis potest quis esse detractor; vel imponendo proximo crimen falsum, vel propalando verum, quod erat occultum: & utrovis modo dicemus hic, illum teneri ad restitutionem non solum famæ, sed & damnorum in bonis fortunæ ex detractione secutorum. Igitur

Dico primo: Detractor, qui imposuit proximo crimen falsum, tenetur ex justitia restituere famam, & reliqua damna in bonis fortunæ, si quæ inde sunt secuta: Doctores communiter. Ratio est, quia horum omnium fuit causa injusta. Hinc, quoad famam, tenetur adhibere omnem diligentiam, ut ea falsa opinio ab audientium mentibus tollatur; ideoque tenetur coram iisdem affirmare, se deceptum fuisse, aut falsum dixisse; &, si hoc non sufficiat, tenetur dicere, se mentitum fuisse; &, si neque hoc sufficiat, tenetur cum juramento se retractare, quia adhiberi debet revocatio efficax, ut notat Less. c. 11. n. 106. cum aliis communiter. Quod, si neque hoc sufficiat, Sot., Salon., Bon. dicunt, teneri adhibere testes veritatis: sed hoc non esse in more positum, dicunt Nav., Trul., & alii.

Neque obstat, quod talis se infamet, dicendo v. g., se mentitum fuisse; nam tenetur famam læsam alterius cum æquali, vel etiam paulo majori jactura suæ famæ resarcire, ut servetur æqualitas. Hinc, qui detraxit per libellum famosum, tenetur restituere contrariis scriptis, vel publica revocatione: &, qui in judicio deposuit falsum contra alterum, tenetur in eodem judicio palinodiam ca-

Digitized by Google

nere, etiamsi subire debeat pœnam talionis, vel æqualem pœnæ alteri injuste infligendæ: Doctores communiter. Contra vero non tenetur se infamare, si ipsius infamia, vel damnum sit longe majus: quare Villal., Dian., & alii docent, quod Vir gravis, Episcopus, &c., qui falsum crimen privato imposuit, non tenetur dicere, se mentitum fuisse; id enim esset ei dedecori longe majori, quam crimen privato impositum, ideoque sufficit, secundum Tamb., si restituat famam eo modo, quo tenetur restituere, qui verum crimen propalavit, juxta dicenda conclusione secunda.

Demum falsus infamator restituere debet omnia alia damna in bonis fortunæ, & lucra cessantia ex suo dicto secuta: v. g. si falso infamatus amisit inde officium, beneficium, cathedram, &c., est in integrum restituendus: si autem spem tantum habebat ad ea obtinenda, restitui debet, quanti valebat talis spes, ex qua per talem infamiam fuit dejectus: Bon., & alii communiter.

Dico secundo: Detractor, qui verum, sed occultum crimen propalavit, tenetur etiam ex justitia restituere famam, & alia damna inde proximo secuta: Doctores communiter. Ratio est eadem; etsi enim talis proximus esset reus coram Deo, non tamen coram hominibus, adeoque adhuc habebat jus ad famam, & ad bona inde provenientia. Hinc quoad famam, tenetur talis detractor pravam de eo opinionem ab audientium animis tollere, dicendo eis, se male, vel injuste locutum fuisse: qui modus, quamvis utilis sit apud simplices, & rudes, non tamen apud prudentes, & ingeniosos, cum hi ex eo magis potius confirmentur, ut bene notant Navar., & alii. Quare idem Nav., Regin., Arag., Mol., & alii dicunt, satis esse laudare infamatum, & honorifice de eo loqui apud eosdem auditores, & in eo fere genere, in quo infamasti, occasione tamen dextere, ac prudenter quæsita, & id usquedum ille famam ablatam cum effectu recuperet. Si autem hic modus non sufficiat, Nav., Trul., & alii contra Bonac., & alios dicunt, posse, atque adeo debere dicere, se erasse, imo etiam se mentitum fuisse; quia, licet sit verum crimen, non est tamen verum publicum, ideoque non dicit mendacium.

At quoad alia damna in bonis fortunæ, Sot., & alii pro-

Digitized by Google

probabiliter docent, talem detractorem teneri tantum ad partem arbitrio viri prudentis; quia quoad publicitatem tantum est causa culpabilis. Sed alii communiter cum Navarr., Less. n. 103. dicunt, teneri ad totum, quia injuste publicavit: si autem indiscreto zelo rem publice detulit, ut vitetur v.g. mala electio, &c., non tenetur restituere damna secuta, bene tamen famam in publico perditam: Less. c. 12. n. 214.

Quæres primo, An detractor teneatur restituere famam non solum apud suos auditores, sed etiam apud eos, quibus iidem auditores retulerunt?

Respondeo, Si detractor prudenter putabat, suos auditores non esse revelaturos aliis, non teneri etiam apud hos restituere; quia sic infamia per illos illata censetur quasi fortuita, & per accidens respectu illius: Less. n. 111., Villal., Dian., & alii. Contra vero, si adverterit, vel dubitaverit, auditores suos facile apud alios oblocuturos, tenetur apud hos etiam restituere, tanquam causa culpabilis, in defectu tamen suorum auditorum, qui primo loco tenerentur: Bon., Trul., & alii. Teneris vero primo loco, si ideo dixisti, ut illi in gratiam tui apud alios obloquerentur, quia sic es mandans: Tamb., & alii. Addit tamen idem Tamb. ex Fabr. apud Dian. l. 2. t. 5. r. 34., quod, si nihil adverteris, an tui auditores sint graves necne? probabiliter teneris apud ipsos tantum restituere; quia, cum nemo præsumatur malus, seu facile oblocuturus, non censeris cooperari cum illorum peccato.

Quæres secundo, An teneatur famam restituere, qui sine culpa infamavit proximum?

Respondeo affirmative, Quando scilicet deinde advertit, ex suo dicto proximum fuisse injuste infamatum; quia justitia non solum præcipit, ut ne quis det causam damni, sed etiam ut eam tollat, si forte posita, etsi inadvertenter, ab eodem sit; ut si inculpabiliter incendisti segetem, teneris, si potes, ignem accensum extinguere: ergo similiter, si inadvertenter, vel si bona fide existimans, crimen Petri esse verum, & publicum narrasti, vel si de Titio dicas crimen, quod audientes per errorem intelligant de Petro: Mol., Less., Lug. d. 15. n. 4., quamvis aliqui apud Tamb. dicant, teneri tantum ex charitate, quod Haun. apud Croix

Digitized by Google

n. 1243. vocat probabiliſſimum. Cæterum, ſi is interim aliquid damni etiam ſit paſſus in aliis rebus, non teneris de hoc damno, quia non es hujus cauſa culpabilis, antequam ſciveris tuum errorem: Leſſ. c. 11. d. 32., Bonac., Trul., & alii. Noto inſuper, quod, qui inculpabiliter detraxit, non tenetur reſtituere famam cum detrimento famæ ſuæ etiam æquali, ſed tantum, quatenus ſine notabili incommodo poteſt, quia minus ſtricte tenetur, ac ſi culpabiliter infamaſſet: Mol., Leſſ., Lug. d. 15. n. 4.

Quæres tertio, An teneatur famam reſtituere, qui detraxit defuncto? & an, ſi ipſe detractor ſit mortuus, teneantur ejus hæredes?

Reſpondeo: Ad primum affirmative, quia defunctus retinet jus ad famam: cui proinde juri nec poſſunt hæredes cedere, nec de illo tranſigere, cum remaneat defuncti, quamvis poſſint remittere jus proſequendi litem contra detractorem: uti etiam alia damna inde ſecuta in familiam, quia hæc non ſunt jura defuncti, ſed hæredum: Bon., Dicaſtil., & alii communiter. Ad ſecundum, Hæredes detractoris non tenentur reſtituere famam; quia hæc *obligatio*, cum ſit pure perſonalis, non tranſit ad hæredes: tenentur tamen de aliis damnis inde ſecutis; quia obligatio compenſandi damnum fortunarum, cum habeat reſpectum ad bona infamatoris, tranſit ad hæredes: Laym., Buſemb., & alii.

Quæres quarto, An in reſtitutione famæ fieri poſſit compenſatio?

Reſpondeo, Certum eſſe, quod, ſi Titius v.g. te infamavit, non potes tu viciſſim eum infamare; quia hoc eſt manifeſta vindicta, quam nemo privata auctoritate poteſt facere; ideoque peccas mortaliter, ſi falſum crimen imponas, ut elidas detrahentis auctoritatem tibi noxiam, ut conſtat ex prop. 43. damnata ab Inn. XI. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* & prop. 44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Et ratio damnationis eſt, quia eſt mendacium in re gravi, & eſt contra jus ad famam, quod habet ille, ne ſcilicet lædatur circa materiam,

in

Digitized by Google

in qua est innocens; neque hoc est medium unicum, & certo efficax ad tuæ famæ, vel honoris defensionem. Econtra vero potes crimen verum occultum detrahentis, vel falsò accusantis manifestare, quantum necessarium est ad elidendam ejus auctoritatem, quia ad hoc ille non potest esse rationabiliter invitus, si hoc sit medium unicum, & efficax ad tuæ famæ defensionem: quod, secundum Sanch., & Less. c. 11. d. 7. verum est, etiamsi illud sciveris sub secreto naturali, imo, etiamsi per fraudem extorseris; quia nemo tenetur alienum depositum cum gravi suo incommodo servare, & fur potest uti equo furtivo in urgente necessitate. Hinc etiam fit, ut, qui ab alio falsa calumnia impetitur, possit dicere, quod mentitur, quamvis hoc sit illi ignominiosum; idemque dicunt aliqui apud Croix n. 1218., etsi verum sit crimen, quod illi objicit, dummodo sit occultum, quia calumniator adhuc mentitur quoad famam publicam.

Cæterum, si tu alium injuste infamasti, qui te antea infamaverat, non teneris ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes uti compensatione, dummodo infamiæ, & damna sint æqualia; quia fama est etiam debitum temporale, cujus sumus domini: ideoque talis compensatio poterit fieri etiam altero invito, si ipse nolit restituere, & a fortiori multo magis mutuo consensu, si possint condonare, itaut fama ad alios etiam non pertineat: Less. c. 11. n. 133., Bon., & alii, contra Nav., Cajet., & alios. Dixi, *Dummodo infamiæ, &c.*; nam, si sint inæquales, & hæc inæqualitas sit divisibilis, puta, si tu publicasti diversa crimina ejus, qui unum tuum publicaverat, teneris restituere, donec reducatur res ad æqualitatem: si autem ea inæqualitas sit indivisibilis, ut si ille te infamavit de furto, tu illum de hæresi, tunc potes illius famam instar pignoris retinere, donec ille restituat: Less. n. 134. Bon., & alii.

Addit idem Less. n. 136. probabile esse, quod, si intulisti Petro damnum in rebus fortunæ, & ille te injuste infamavit, possis etiam sic compensare, non restituendo scilicet bona fortunæ, si ipse nolit tibi famam restituere; quia probabilis est opinio eorum, qui dicunt, infamiam esse pecunia compensandam, quando in suo genere non potest restitui, vel quando non vult infamator restituere: quam-

Digitized by Google

vis oppositum sit probabilius juxta dicta d.1. q.8.

Quæres quinto, Quæ sint causæ excusantes a restitutione famæ?

Respondeo, Esse posse octo: Prima est libera condonatio facta ab infamato, modo ejus infamia non redundet etiam in alios, puta in ejus familiam, monasterium, &c. Secunda est justa compensatio, ut modo est dictum. Tertia est, si fama sit alia via jam recuperata, ut si infamasti Titium de hæresi, de qua deinde constat per publicam sententiam esse vere innocentem, non teneris famam restituere, teneris tamen de aliis damnis, si qua inde sunt nata. Quarta est, si infamia prudenter existimatur abjisse jam in oblivionem; tunc enim non teneris, sive falsum imposueris, sive verum: nisi vero periculum sit, ut revivisca: Less. d. 18., ideoque adolescens, qui apud amicos jactavit, se talem puellam cognovisse, si postea elapso tempore v. g. 20. vel 30. annorum recordatur talis detractionis, sed prudenter credit, amicos oblitos fuisse, non tenetur de fama, sed tantum de aliis damnis interim secutis: imo, si tantum probabiliter id credat, non debet eos interrogare, an meminerint, quia sic fieri potest, ut refricetur eorum memoria: Nav., Bonac., & alii. Quinta est, si crimen occultum a te dictum alia via, & ratione fiat publicum; quia tunc nihil proderit tua retractatio: teneris vero, si publicitas ortum duxit a tuo dicto, ut patet: Less. d.26., Nav., Bon., & alii. Sexta est, si restitutio famæ sit impossibilis: ut, si restitui non possit sine vitæ periculo, sine maxima seditione, & scandalo, vel quia jam non credetur, quomodocumque se retractet; tunc enim nec tenetur ex justitia famam pecuniis compensare, ut probabilius diximus d. 1. q. 8. Idemque est, si non possis restituere alterius famam sine amissione tuæ famæ longe majoris momenti, juxta jam dicta. Septima est, si tibi detractori non est adhibita fides, utpote nullius auctoritatis, vel quia ab audientibus censeris mendax, aut jocose loqui: qua ratione excusari possunt multi a tali restitutione, cum non sint causa sufficiens infamiæ; etsi hæc per accidens sit inde secuta, juxta jam dicta. Octava, si is, cui detrahis, honori potius, quam infamiæ illud tribuat, ut si de aulico, aut juvene lascivo dicas, illum ardenter amare; vel de milite,

aut

Digitized by Google

aut nobili descendisse in duellum; de publica meretrice concubuisse cum lenone, &c.

CAPUT II.

Quæ Restitutio facienda sit ex contumelia?

CONTUMELIA est *Manifestatio defectus proximi in præsentia, vel quasi præsentia cum injuria, per quam ille dehonoratur*. Committitur dupliciter: Primo privative, non exhibendo honorem, aut reverentiam debitam, ut si Prælato transeunti caput non aperias: Secundo positive afficiendo illum contumelia, quæ proprie est manifestatio delicti, ut si dicas, *es latro*; vel convicio, quod est proprie manifestatio pœnæ, ut si dicas, *es infamis*; vel opprobrio, quod proprie est manifestatio defectus naturalis, ut si dicas, *es nothus, &c.*, vel demum, si irrisione, sannis, alapa, aliisve dictis, vel factis illum dehonores. Quæ tamen omnia sunt peccata ejusdem speciei, cum una sit ratio formalis, scilicet dehonoratio in præsentia, vel quasi præsentia, ut cum fiunt absenti, tanquam præsenti: verum Bon., Mol., & alii contra Azor. probabilius dicunt, si fiant parenti, esse contra pietatem, idque in confessione explicandum: si vero aliis, satis esse dicere, *Graviter dehonoravi proximum*, quovis modo dehonoraveris: his expositis

Dico: Qui injuste læsit honorem proximi, tenetur illum restituere, seu pro illo satisfacere, sive læserit publice, sive privatim coram ipso solo: Doctores communiter. Ratio est, quia fecit veram injuriam contra justitiam, & rem alterius, scilicet honorem, quem injuste abstulit. Hinc, si dehonoravit privative, ut satisfaciat, debet exhibere honorem, & reverentiam, quam non exhibuit; atque hoc sufficit secundum Less. c. 11. d. 27.; nisi vero adfuerit etiam contumelia interpretative positiva, puta si aliis honorantibus Prælatum transeuntem, tu illum sine ullo honoris signo impudenter aspicias; sic enim teneris illi honorem restituere per satisfactionem juxta mox dicenda.

Si quis autem dehonoravit positive, sive sit inferior, sive superior, tenetur satisfacere; & quidem, si dehonoratio fuit publica, requiritur satisfactio publica coram iisdem; si fuit secreta, secreto est facienda. De modo autem satis-

fa-

Digitized by Google

faciendi eſt difficultas; Cajet. enim ait, ſufficere eum ſalutare, quem antea non ſalutaveras, vel vocare eum illuſtrem, quem antea dehonoraveras; nec teneri ad petitionem veniæ, niſi deſit alia via. At hic modus, quamvis ſufficiens ſit ſuperiori relate ad ſuos ſubditos, a quibus non tenetur veniam petere, tamen non eſt ſufficiens ſubditis, aut inferioribus relate ad ſuperiorem; tunc enim requiritur petitio veniæ: Inter æquales vero ſatis eſſe videtur, adhibere dehonoratum ad menſam, dare locum honorificum, &c., Leſſ.n.144. Cæterum, ſi dehonoratione famam etiam abſtuliſti, teneris inſuper ad famæ reſtitutionem, juxta dicta cap.antecedenti.

Quoad petitionem veniæ, Noto primo, neminem teneri petere veniam flexis genibus, cum funе ad collum ligato, &c., niſi a judice ad id damnetur: Leſſ. n.145. Noto ſecundo, etiam publice dehonorantem non teneri, ut per ſe ipſum publice veniam petat; ſatis enim videtur, ſi per amicum, confeſſarium, aut aliam perſonam, publice tamen, honor reddatur læſo: Nav.n.521. Noto tertio, ſi petas veniam omnium injuriarum, & ille concedat, non cenſeri condonatas, niſi eas injurias, quas veroſimiliter intendit ille condonare: unde, ſi aliqua illum lateat, quam, ſi noſſet, nollet ſine ſatisfactione condonare, non cenſetur eam condonaſſe: Leſſ.n.146.

Quæres, An injuriatus cenſeatur remittere honoris reſtitutionem, ſi familiarem converſationem habeat cum injuriatore?

Reſpondeo negative; Quia neque familiaris converſatio ſufficiens cenſetur ad remiſſionem debiti pecuniarii: ergo neque honoris, qui majoris eſt momenti. Putat tamen Bon. cum aliis, cenſeri ſic remittere, ſi valde familiariter cum eo verſetur: Sed Nav., & alii melius contradicunt, niſi etiam ſponte injuriatus accedat præbens ſigna remiſſionis, valdeque jocoſe cum eo agens; nam multi diſſimulant, vel quia vivunt cum injuriatore, vel quia eo indigent, vel ad vitandam notam, aut ſcandalum. Et ſane familiaris converſatio eſt de ſe ſignum odii remiſſi, non tamen injuriæ remiſſæ, cujus reſtitutionem poteſt quiſque abſque peccato cupere, dummodo ſine odio fiat: Trull.,& alii.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De Restitutione bonorum Corporis.

BONA corporis sunt vita, membra, eorumque sanitas, virginitas, conjux, & libertas. Itaque videndum, Quæ sit restitutio facienda ex homicidio, mutilatione (de duello hic pauca: plura in de Censuris) stupro, defloratione, adulterio, & servitute?

CAPUT I.

De Restitutione ex Homicidio, vel Mutilatione.

HOMICIDA est, *Qui hominem, aut animatum hominis fœtum injuste interficit*: Mutilator, *Qui ejus integrum membrum injuste abscindit*. Qui autem absque abscissione vulnerat, debilitat, infirmum, insensatum reddit, &c., etsi non sit proprie mutilator, venit tamen hic sub hoc nomine, ne multiplicentur vocabula. Videndum ergo Primo, Quis sit injustus Homicida, aut Mutilator? Secundo, Ad quid teneatur?

§. I.

Quis sit injustus Homicida, vel Mutilator?

POTEST accidere, ut quis occidat, vel mutilet seipsum; aut occidat, vel mutilet alterum, qui potuit esse ejus aggressor, vel alias criminosus, vel innocens.

Dico primo: Absque divina auctoritate illicitum est seipsum directe, ac positive occidere, aut mutilare: at non semper illicitum est, si indirecte, ac negative.

Ratio primæ partis est, quia peccat contra charitatem sui, & facit injuriam Deo, qui unice est Dominus vitæ nostræ, & item injuriam Reipublicæ, cujus est membrum legale: quamvis probabilius sit, non peccare contra justitiam commutativam, cum nec Dei ad homines detur propria justitia, nec hominis ad Rempublicam, cum non sit ipsa domina vitæ: Trull. l. 5. *Decal.* c. 1. Dixi *Absque divina auctoritate* propter Sampsonem, & quosdam Mar-

ty-

Digitized by Google

tyres,qui ſeipſos occiderunt,vel ex divina inſpiratione,vel inculpata ignorantia : quare his præciſis non licet ſeipſum occidere in deteſtationem peccati commiſſi , ut putabant Donatiſtæ, neque ad vitandum peccatum futurum , ad cito acquirendam gloriam , quamvis ad hunc finem poſſit mors deſiderari , cum multa deſiderari poſſint, quæ non poſſunt inferri : Leſs. c.9. n. 20. , neque demum ad vitandam infamiam , aliaſve hujus vitæ ærumnas ; nam mors omnium rerum majus malum eſt : D.Aug. l.1. *Civit.*c.18.

Ratio ſecundæ partis eſt , Quia occiſio indirecta, & negativa ſui ipſius eſt , aliquid facere , vel omittere , unde præter intentionem mors ſequatur . Sed hoc aliquando licitum eſt , aliquando etiam debitum , etiamſi ſcias certe , mortem ſecuturam: ſic, quamvis virgini non liceat ad caſtitatem ab invaſore ſervandam ſeipſam directe occidere , licite tamen poteſt pro ea certo mortis periculo ſe exponere, puta incendendo domum, &c., Laym., & alii: item licitum eſt vitam corporalem exponere ad ſalvandam vitam corporalem Principis ; imo etiam amici æqualis conditionis ; itaut , ſi is ſit ad mortem condemnatus *injuſte* , poſſis pro illo te offerre: Leſs.c.9.n.30. ; item potes in naufragio permittere alteri tabulam a te occupatam , & panem in extrema utriuſque neceſſitate:item potes accendere pulverem navis,turris, &c., etſi ſcias,te momento diſſipandum, ne ſcilicet ab hoſtibus occupentur, &c. Leſ.n.32.

Horum communis ratio eſt , quia, quamvis teneamur vitam conſervare , cum non ſimus domini , ſed cuſtodes , tamen hoc præceptum, cum ſit affirmativum, non obligat ad ſemper , ſed poteſt omitti ob bonum finem , neceſſitatem , vel magnam utilitatem, dummodo non ex ea intentione , ut directe mors ſequatur : Doctores communiter cum D. Th. , ideoque poteſt reus non fugere a carcere, etiamſi certo ſciat , ſe morte plectendum ; imo poteſt ſe etiam in carcerem includere , & judici ſe offerre plectendum , ſi faciat zelo juſtitiæ , aut exempli publici : & ſimiliter , ſi juſte condemnatus ſit , ut fame pereat , poteſt abſtinere a cibo clanculum oblato , quamvis non poſſit venenum per ſe ſumere , ac poſitive perimere , etiamſi a Judice id ei committeretur , quia eſſet poſitive ſe occidere , ut docent Doctores cum Leſs. n. 25. 26. 28. , & 29.

Item

Digitized by Google

Item potest quis a latrone invasus permittere, se occidi, ne ille in peccato moriatur; nisi vero sit persona maxime aliis necessaria, vel in peccato: Ledes., Less. c. 9. n. 56. Item potest, imo tenetur miles non deserere stationem, etiamsi certus sit, se occidendum, quia ex officio obligatur ad illum actum fortitudinis pro bono communi: Cajet, & alii: qua ratione Parochus tenetur Sacramenta ministrare cum periculo vitæ, &c. Nav., Sayr., & alii communiter.

Denique, quamvis peccet mortaliter, tanquam occisor sui, qui pœnitentiis indiscretis vitam sibi notabiliter abbreviat, ex *cap. non mediocriter de Consecr.* d. 1.; tamen licitæ, & laudabiles sunt pœnitentiæ discretæ, nec notabiliter vitam decurtantes: imo Carthusiani in extremis a carnibus abstinentes non peccant etiam cum certo mortis periculo, quia laudabiliter postponunt vitam bono communi Ordinis: Lug. d. 10. n. 33., & alii contra Azor., & Escob.; licite tamen possunt eas comedere; &, si aliud omnino non habeant, tenentur: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. d. 35. Cæterum ægrotus, quamvis teneatur cibum, vel medicamentum sumere cum aliqua spe vitæ, si tamen non possit sine magno cruciatu, consternatione, &c., non peccat, quia tunc reputatur impossibilitas quædam: item nec peccat graviter, si comedat, vel bibat rem nocivam, si credat afferre sibi aliquod nocumentum, sed non magnum: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. n. 7. item nec peccat, qui potens facere expensas extraordinarias pro salute, non facit, etiamsi prudenter alioqui sequatur mors; quia sufficit adhibere expensas, & diligentiam ordinariam: Sanch. n. 2., & alii. Feminæ autem comedentes in magna quantitate carbones, cinerem, &c. peccant: secus, si semel, aut bis: Sanch. d. 2. n. 25.

Quæ dicta sunt de occidente, dic pariter de mutilante seipsum, cum nec dominus sit, sed custos tantum, & usuarius membrorum: idque verum est, sive faciat odio, sive verecundia, sive indiscreta devotione, nisi ex divina inspiratione: Doctores communiter cum D. Th.; secus vero, si ob bonum totius corporis, ut in sectione membri putridi, vel manuum ab hostibus ligatarum cum vitæ probabili periculo; vel testium, ob vocem plurimum Ecclesiæ profuturam, quia tunc non videtur illicitum postponere par-

Digitized by Google

partem bono totius corporis, vel communitatis: Trul. c.3. ,& alii.

Dico secundo: Non est injustus homicida, qui occidit injustum aggressorem vitæ, vel rei magni momenti, vel honoris, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: Doctores communiter. Ratio est, quia jure naturæ licitum est vim vi repellere, ex *cap. Si vero, de Sent.Excom.*, ex quo, sicut id est permissum pro defensione vitæ, ita etiam membri, vel rei magni momenti, vel honoris, sine quibus vita ægre ducitur. Idque verum est, sive injustus aggressor sit rationis compos, sive ebrius, somnians, freneticus, amens, &c.; quia semper est injustus aggressor, saltem ex parte causæ; sine justa enim causa, ut suppono, aggreditur. Si autem ille sit in peccato, tunc, si sit rationis compos, neque ex justitia, neque ex charitate teneris injuriam pati, quia sic ille non est in extrema necessitate: si autem non sit rationis compos, teneris ex charitate, si certo scias, eum esse in peccato, & te in gratia: secus, si de alterutro certus non sis: Lug. d.10. n.143.

Ut autem hæc occisio defensiva sit omni ex parte licita, requiritur, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ quatuor simul conditiones importat: Prima, Ut ille sit actu aggressor injustus: Secunda, Ut non sit persona maxime præ te necessaria Reipublicæ: Tertia, Ut non possis te aliter servare indemnem. Quarta, Ut non facias, plusquam sit necessarium ad te defendendum. Hinc

Quoad primam: Si dubites de mala intentione, vel etiam ex vehementibus indiciis putes, illum velle te aggredi, es injustus, si præveniendo occidas; quia ille est in certa possessione suæ vitæ, a qua non debet ejici per tuum dubium: potes tamen te præmunire, &c. Lug.d.20.n.152. Si autem certo constet, eum de facto parare insidias ad mortem, v. g. si uxor certo sciat, se noctu occidendam a marito, nec possit effugere, Less. c.9. n.45. ait, licere eum prævenire, quia sic censetur actu aggressor. An autem liceat occidere sagam volentem inferre maleficium? Affirmant Lug., Bon., & alii; sed negat Croix *de Homicid.* n.817., quia deferri posset ad superiores.

Quoad secundam: Si injustus aggressor sit Princeps, qui sit maxime necessarius Reipublicæ, itaut ex ejus morte mul-

Digitized by Google

multa bella, & dissensiones sequerentur, tenetur aggressus non adeo utilis pati mortem ob bonum commune; ex pietate tamen, non ex justitia, unde non esset injustus homicida, si illum occideret. Reliquos autem, etiam Dominum, Parentem, Principem omnino licite occideret: Less. c.9. n.42.

Quoad tertiam: Si possis fuga, vel alia via te servare indemnem absque tuo gravi incommodo, peccas certe contra charitatem occidendo invasorem; Less. tamen Tamb.,& alii contra Lug., Bon., & alios dicunt, non peccare contra justitiam, neque adeo ad restitutionem teneri; quia injustus invasor videtur cedere jure suo, nec habere jus, quo te obliget ad fugam. Imo, si fuga sit tibi graviter ignominiosa, 69. graves Doctores apud Croix *de Homic.* n.803. te excusant a peccato, quia sic habes jus resistendi stando, ne incurras eam gravem ignominiam; nisi vero sis Clericus, vel Religiosus, vel Laicus non habens usum armorum, &c., quia sic non est indecorum fugere. Cæterum ab Alex.VII. damnatur hæc prop. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare*: & ratio damnationis est, quia hæc non est proprie vis, sed calumnia, quam non licet per vim repellere, sed per remedia juris, appellando, reclamando, &c., quod, si aliquando hæc fieri nequeant, accidens est rarissimum, & tribuendum proprio infortunio: non secus ac, si de cœlo vita tangatur.

Quoad quartam: Si facias plus damni, quam necessarium sit ad tuam defensionem (puta occidas, cum sufficiat mutilare, mutiles cum sufficiat verberare, &c.) peccas graviter certe; & secundum Less., Bon., Lug., & alios communius teneris ad restitutionem pro parte saltem damni illati judicio prudentium; quamvis secundum Sylv., Mol., Salon., & alios probabiliter excuseris a restitutione, eo quod injustus aggressor censeatur consentire suis damnis. Similiter peccas, si intendas directe mortem aggressoris, quia sine tali directa intentione potes te sufficienter tueri intendendo tantum defensionem tui: D. Th. Cajet., & alii contra Less. n.53., Dian., Lug., & alios apud Croix *de Homic.* n.821.

Qua-

Digitized by Google

Quæres primo, Quid notandum ſit circa defenſionem bonorum fortunæ ab injuſto aggreſſore?

Reſpondeo, Debere eſſe rem magni momenti, ſine qua non poſſit ſecundum proprium ſtatum vita cuſtodiri, & ſic cum dictis conditionibus occidi poteſt etiam a Clericis, & Religioſis fur actu furans, imo etiam cum ea re aufugiens, quia in tali fuga cenſetur adhuc actu aggredi: ſecus verò, ſi ſe recepit jam in tuto: Lug.d.20.n.176. dicens, eſſe communem. Si autem res non ſit magni momenti, non licet eam defendere defenſione occiſiva, quia non eſt profundenda vita alterius ad avertendum malum leve proprium: hinc ab Inn.XI. damnatur hæc prop. 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei;* & Doctores communiſſime addunt, neque pro conſervatione duorum, vel trium, imo nec decem aureorum. Damnatur tamen in hac prop. ly *Regulariter*; nam, ſi amiſſio ſit etiam unius aurei, imo etiam acus, ſine qua tamen non poſſet quis ſe ſuſtinere, poterit is furem, ut ſupra, occidere: Doctores cit. Econtra vero, etiamſi res ſit magni momenti, ſi tamen actu a te non poſſidetur, ſed tantum habes jus ad rem, quod dicitur inchoatum, vel ſpem certam poſſidendi, non potes eam defendere defenſione occiſiva, ut conſtat ex prop. 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus:* & ex 33. *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, vel ne hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſionem injuſte impedientem:* & ratio utriuſque damnationis eſt, quia in Republica ſunt alia media obtinendi, & tuendi id, ad quod tantum habes jus ad rem.

Quæres ſecundo, Quid ſit notandum circa defenſionem honoris ab injuſto aggreſſore?

Reſpondeo, Honorem impeti poſſe dupliciter, vel verbis, vel factis. Si impetatur ſolis verbis, puta calumniis, contumeliis verboſis, &c., illicitum eſt cuivis, non ſolum Religioſo, vel Clerico, ſed etiam Laico occidere calumniatorem nitentem calumniam inferre; ut conſtat ex prop.17. damnata ab Alex. VII. Et prop. 30. damnata ab Inn.

Digitized by Google

Inn.XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeat*: & ratio damnationis est, quia potest aliter semper calumnia declinari, vel honor sic perditus recuperari. Similiter non licet defensione occisiva propulsare contumeliam verbalem, quia, & verbis repelli potest, & per Judicem comprimi, & castigari, &c. Less. n.78.

Si vero honor impetatur factis: v. g. Si vir honoratus alapa, vel fuste ignominiose impetitur, potest, antequam injuriam recipiat, armis occidere invasorem, si aliter ignominiam vitare nequeat: Less. c. 9. n. 77.; postquam vero recepta est injuria, peccat occidendo fugientem, ut constat ex ead.prop.damnata ab Inn.XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem... si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat*: & ratio damnationis est, quia, sic non haberetur defensio, sed ultio. An autem possit ad vitandam infamiam continuo repercutere, quantum satis est ad honorem recuperandum, absque ulla occisione? Affirmant Henr., & alii apud Carden. n.64.; sed hæc opinio practice sustineri non potest, nisi repercussio esset moderata, & solum ad correctionem, vel ad impediendum ulteriorem illius excessum, & non ex odio, aut vindicta, quæ difficile abesse possunt: Less. c.9. n. 80.

Similiter feminæ honestæ licitum est occidere invasorem suæ pudicitiæ, si non potest aliter eam tueri; quamvis ex dictis non possit tunc injuriam prævenire seipsam positive occidendo, aut mutilando, nisi divinitus fuerit inspirata, ut de aliquibus legitur: Doctores communiter cum D. Th. Qui autem occidit suam uxorem in adulterio deprehensam, vel hominem deprehensum in flagranti cum ea, aut cum sua matre, filia, aut sorore; quamvis nullas pœnas civiles, neque Ecclesiasticas incurrat, tamen peccat mortaliter, nisi excusetur ratione primi motus, ut constat ex Prop. 19. damnata ab Alex. VII. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*: & ratio damnationis est, quia talis occisio non est defensiva, sed vindicativa, quæ propria auctoritate fieri nequit, nec leges eam concedere possunt, nisi juris ordine servato, audita scilicet parte; ideoque se-

Digitized by Google

cundum communissimam sententiam contra Mol. l. 4. d. 81. tenetur ad restitutionem, tanquam injustus homicida: v. Croix *de Homic.* n. 789.

Quæres tertio, Quid sit notandum circa eum, qui provocatus in rixa, aut in duello occidit, vel mutilat provocantem?

Respondeo, Peccare, qui provocatus acceptat duellum, ut constat ex Prop. 2. damnata ab Alex. VII. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* & ratio damnationis est, quia hanc notam non incurrit, si non acceptando duellum dicat, se ubicumque invadatur, paratum tueri. Si tamen acceptet, & duellando occidat provocantem, probabile est, non teneri ad restitutionem: uti neque ipse provocans, si acceptantem occiderit; quia isti tales renuntiant juri suo; scit enim uterque alterum facturum, quod poterit, & alter habet jus faciendi, quantum in se est, ut se illæsum servet: Dian., & alii apud Croix *de rest.* n. 305.

Si autem occisio fiat in rixa, occisor tenetur ad restitutionem, si fuit provocator: secus vero, si fuit provocatus; quia solus provocans censetur cedere jure suo. Si tamen Titius verbis tantum contumeliosis provocatus vellet occidere Cajum provocantem, Cajus licite se defenderet, &, quamvis in hac sui defensione occideret Titium, nihil teneretur restituere, quia erat justa defensio; Titius enim ob verba tantum contumeliosa non habebat jus occidendi: Tamb. apud Croix n. 306. Similiter, si quis deprehensus turpiter agens cum uxore Titii, invaderetur armis a Titio, licite se defenderet defensione etiam occisiva, absque onere restitutionis, quia Titius non habebat jus invadendi cum armis, sed tantum accusandi. Plura ad duellum pertinentia expendemus arrepta occasione in de Censuris tom. 4. tr. 8. d. 2. q. 3. c. 2. §. 3.

Quæres quarto, An in casibus, in quibus habes jus occidendi injustum aggressorem, possit alius id pro te præstare?

Respondeo affirmative cum Mol. d. 18., quia id suadet charitas, dummodo is non possit aliter te defendere, quam occidendo tantum invasorem, & hic non sit ei proxime conjunctus, aut Reipublicæ maxime necessarius: Lug. d. 10.

Digitized by Google

10. a n. 216. Atque hæc vera sunt, sive ab eo occidatur aggressor tuæ vitæ, sive tuæ rei, sive tui honoris, juxta jam dicta; ideoque addit Lug., posse ab eo occidi aggressorem rei tuæ, etiamsi tu absis. An autem hic tertius etiam teneatur, si absque gravi incommodo possit sic te defendere occidendo aggressorem? Affirmat Lug. ex cap. *Dilecto*, *de Sent. Exc.* Consentiunt Mol., & Bonac., si sit periculum tuæ vitæ, non vero si tuarum rerum: sed contradicunt alii apud Croix *de Homic.* n. 820., quia nec tu teneris occidere tuum invasorem, cum nemo teneatur se tueri mediis ita difficilibus, & extraordinariis, ut docent Mol., Lug., & alii communiter contra Abulens., & aliunde uterque vestrum est illi æqualiter proximus: nisi vero esses ei proxime conjunctus, aut Reipublicæ maxime necessarius: Croix loc. cit. Denique, si tu pugnans cum Titio, excitaveris Cajum pro te defendendo, qui postea occidatur a Titio, quamvis secundum Suar., & alios tenearis de hac occisione; tamen secundum Lug. d. 12. n. 58., & alios probabilius non teneris, nisi mandaveris, tanquam superior; quia secus, cum nec fraude, nec vi excitaveris, scienti, & consentienti non facis injuriam: Croix n. 307.

Dico tertio: Non est injustus homicida, quicumque occidit Bannitum: bene tamen, qui propria auctoritate occidit quemcumque alium criminosum non aggressorem: Doctores communiter. Ratio est, quia Bannitus publica auctoritate declaratus est reus mortis: ergo, quicumque eum occidit, legitime occidit, tanquam Minister justitiæ. Peccat autem contra pietatem, si eum occidat filius, parens, vel conjux: Tamb., Laym., Croix *de Homic.* n. 793. addentes, quod, si pater non possit aliter averti ab armis contra Patriam, occidi possit etiam a filio, eo quod bonum commune Patriæ tunc prævaleat. Item Clericus in Sacris peccat contra decentiam sui status, si occidat Bannitum, ut docent communiter contra Ricc. ex cap. *Sententiam*, *ne Clerici*, *vel Monachi*. Item, si occidas Bannitum extra territorium Principis bannientis, Doctores communiter docent, te teneri de damno secuto, quia sic occidis sine auctoritate, sed multi apud Laym. putant, adesse consensum tacitum alterius Principis, adeoque

Digitized by Google

etiam licere: v. Croix n. 795. Denique Bannitus injuste occidit aggressorem suæ vitæ, quia auctoritate publica privatus est jure defensionis: Croix n. 816.

Reliqui Malefactores, etiamsi sint publici grassatores, raptores, &c., injuste occiduntur a privatis, nisi sint actu aggressores, juxta jam dicta, quia nondum publica auctoritate sunt banniti. Hinc neque occidi possunt a satellitibus missis ad eos capiendos, nisi illi armata manu resistant, nec ullo alio modo possint capi, & graviora mala timeantur, si evadant. Si hæc desint, non est licitum occidere eos tentantes ex eorum manibus effugere: Croix n. 797.

Si autem hi occidant satellitem, peccant, & tenentur ad restitutionem, quia ille est justus aggressor capturæ. Contra vero, si tu sis innocens, & occidas satellitem, qui ad mortem te capiat sciens tuam innocentiam, non peccas, si nequeas aliter te defendere, quia sic ille est injustus aggressor: peccas vero, si ille, ut communiter præsumitur, nesciat tuam innocentiam, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum Ministris publicum officium bona fide exercentibus: Mol., Dicast., Croix n. 816. Ideoque neque incarceratus innocens occidere potest custodem carceris, ut evadat: Doctores communiter.

Dico quarto: Est injustus homicida, quicumque directe occidit, vel mutilat innocentem, nisi Deus concesserit: Doctores communiter. Ratio est, quia facit contra jus, quod habet innocens ad usum vitæ, & membrorum: ergo nisi Deus omnis vitæ dominus concedat, committitur peccatum injustitiæ: idque verum est, sive tale homicidium sit voluntarium, hoc est formaliter ab occisore directe volitum in se, vel saltem in causa, puta in vulnere letali, aliave causa, ex qua frequenter solet homicidium succedere; sive sit casuale improprie dictum, hoc est, si culpabiliter non est adhibita debita diligentia, ne illud sequatur, ut si dubitans, & non adhibens prius diligentiam, projicias aliquid e fenestra, quo casu transiens per viam occiditur; quia sic est saltem virtualiter directe voluntarium. Secus vero, si sit casuale proprie dictum, seu omnino fortuitum, quia sic est prorsus involuntarium, & carens omni culpa.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis infers, quod, si tyrannus peteret à Republica caput innocentis, alioqui eam subversurus, non potest Respublica eum tradere: quoniam vero ipse innocens tenetur ex justitia legali se tradere ob periculum Reipublicæ, ideo hæc potest ei præcipere, &, si non faciat, punire tradendo, quia tunc non est amplius innocens: Less. c. 9. n. 39., qui tamen merito id negat, si petita sit Virgo ad violandum, ob periculum scilicet animæ.

Quæres primo, An sit injustus homicida, qui indirecte tantum occidit innocentem ad salvandam vitam propriam?

Respondeo negative; Quia sic utitur jure suo, & dat operam rei necessariæ ad salvandam vitam propriam, quod directe intendit, etsi per accidens, & omnino indirecte sequatur mors innocentis, quam non tenetur impedire cum periculo vitæ propriæ: ergo nec contra justitiam, nec contra charitatem peccat: Doctores communiter cum D. Th. Hinc, si pressus ab injusto aggressore non possis aliter effugere mortem, nisi per viam angustam, qua infans jacens esset a te obterendus, licite omnino fugis cum ejus periculo, & interitu; quia talis fuga de se est licita, & necessaria simpliciter vitæ tuæ, & indirecte tantum, & per accidens, & præter tuam intentionem sequitur mors infantis: Less. c. 9. n. 59. limitant tamen Lug., Escob., & alii, nisi infans non sit baptizatus, & tu certus moraliter sis esse in gratia, quia tunc ex charitate prævalere debet ejus mors æterna tuæ vitæ temporali.

Similiter pressus ab injusto aggressore licite potes te abscondere retro Titium innocentem, quia talis actio de se est licita, utpote indifferens, &, ut suppono, necessaria simpliciter vitæ tuæ; ideoque non teneris de damno Titii, si interim ab ictu aggressoris occidatur, dummodo Titium per vim non tenueris. Similiter, si talis aggressor objiciat Titium quasi pro suo scuto, ut sic tutius te occidat, Less. c. 9. n. 57., Lug., Tamb., Bonac., & alii dicunt, te posse jacere ictum in Cajum, etsi prævideas fore, ut feriat etiam Titium, dummodo non possis aliter tuam vitam tueri; quia per talem interpositionem non amisisti jus defensionis, nec intendis directe, ut suppono, occisionem Titii: Lug., & alii. Contra vero es injustus ho-

Digitized by Google

homicida, si occidas Titium innocentem, eo quod injustus aggressor minetur tibi mortem, nisi illum occidas; quia sic tua actio est directe, ac per se damnosa Titio, adeoque intrinsece mala, & injusta. Sic etiam, ut alibi diximus, qui metu gravi a fure coactus effringit arcam alienam, peccat ponendo actionem intrinsece malam; nisi vero habeat tunc animum compensandi illud damnum reparabile, ut limitat Less., quod tamen in casu homicidii est irreparabile.

Eodem modo illicitum, & injustum est procurare directe abortum fœtus animati, ne puella deprehensa gravida occidatur a parentibus, aut infametur, aut ob pauperiem, &c.; quia fœtus non est injustus aggressor, sed alii ab extrinseco, qui virtualiter minantur puellæ mortem, nisi illum perimat; ideoque secuto effectu incurritur hic ab omnibus cooperantibus excommunicatio Papalis. Imo, etsi hæc non incurratur, illicita tamen est talis procuratio, etiamsi fœtus nondum sit animatus, quia, etsi tunc non sit homicidium, est tamen impeditio hominis contra jus naturæ, ut constat ex Prop. 34., & 35. damnatis ab Inn. XI., quarum prior sic habet: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur:* posterior vero: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* At, si mors matris immineat ab intrinseco, tunc, si ab ipso fœtu opprimente, potest mater sumere pharmacum etiam directe causativum abortus, modo fœtus nondum sit animatus, quia sic se habet, ut injustus aggressor, nec aliter, ut suppono, mors declinari potest: si vero fœtus sit animatus, non licet directe procurare abortum, quia debet prævalere bonum spirituale illius nondum baptizati: licet tamen procurare indirecte, hoc est sumere pharmacum directe, ac per se causans salutem matris, quamvis prævideatur per accidens secuturus abortus, uti etiam licitum est in quavis alia matris infirmitate, quando aliter mors utriusque declinari non potest: Sanch., & alii.

Quæres secundo, An sit injustus homicida, aut mutilator, qui auctoritate privata occidit, vel mutilat volentem? Re-

Digitized by Google

Respondeo, Certum esse apud omnes, tum occidentem, tum volentem occidi peccare mortaliter, etiamsi omnino sponte, ac libere is velit, aut ut citius liberetur ab angustiis mortis, miseriarum, &c.; quia solus Deus est dominus cujusvis vitæ, & mortis, An autem talis occisio sit etiam contra justitiam commutativam, est dubium; non enim videtur injusta in Rempublicam; nam, quamvis homo sit membrum ejus legale, tamen illa revera non est domina vitæ Civium: neque videtur injusta contra Deum; nam Dei ad homines secundum probabilem sententiam non datur justitia commutativa; remanet ergo, quod sit tantum injusta contra filios, & creditores occisi; quatenus hi habebant jus ad alimenta, & ad credita, cui juri non poterat cedere is, qui voluit occidi, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 1., & ita tenent Lug. d. 11. n. 63., Illsf., & alii apud Croix n. 310.; tamen Mol., Sanch., Busemb., Less. c. 9. n. 158. probabiliter tenent oppositum; quia filiis non fit a tali occisore injuria, nisi quatenus læduntur in patre contra ipsius voluntatem: ergo, quando pater sponte vult occidi, nullum jus læditur, aut remanet filiorum; ut patet etiam, quando furi debitum remittit, vel aliquid donat, aut aliter alienat, juxta dicenda cap. sequ. Reliqua de Homicidio sparsim dicta invenies in hoc Tractatu.

Quæ dicta sunt de occidente volentem occidi, dic proportionaliter de mutilante volentem mutilari. Excipe tamen primo, si mutilatio sit necessaria ad conservationem vitæ, ut si membrum sit putridum; sic enim licitum est abscindi, quia prævalet bonum totius, ideoque tenetur patiens id velle, modo ingens non sit cruciatus, quia tunc excusatur ratione impossibilitatis moralis, nisi forte ejus vita sit maxime necessaria bono Communitatis, pro quo sustinere debet etiam vehementem dolorem: Trull. l. 5. *Decal.* c. 3. d. 4. n. 4. Excipe secundo, mutilationem testium factam ob vocem, quæ plurimum Ecclesiæ profutura speretur; sic enim potest fieri mutilatio, cum consensu tamen patientis, dummodo fiat sine mortis periculo: Sayr. c. 9. n. 38. apud Trull. loc. cit.

Quæres tertio, Quas circumstantias injustus homicida, aut mutilator aperire debeat in Confessione?

Respondeo quinque: Prima est circumstantia personæ;

Digitized by Google

si enim sit persona occisa consanguinea, est contra pietatem; si sit Clericus, vel Monachus, est contra Religionem, adeoque sacrilegium, & adnexam habet excommunicationem reservatam Papæ; si sit dignitas Ecclesiastica, scilicet Episcopus, Cardinalis, Legatus, Nuntius, incurritur excommunicatio Bullæ Cœnæ; si sit advehens victualia necessaria ad usum Romanæ Curiæ, vel ad eam veniens, commorans, aut recedens, vel ad Sedem Apostolicam recurrens ob lites, & negotia, incurritur pariter excommunicatio Bul. Cœn.; si sit alterius mancipium, cum sit etiam contra jus Domini; & similiter si ex occisione secuta sint aliorum damna: Secunda est Circumstantia loci; si enim sanguis effundatur in Ecclesia, est sacrilegium, & ejus pollutio: Tertia est Circumstantia modi; si enim lenta morte, vel alia sævitie etiam in cadaver, est barbaries: Quarta est Circumstantia, quæ dicitur *Quibus auxiliis*; si enim occisor socios excitavit ad facinus, tot peccata committit, quot excitavit: Quinta demum est Circumstantia ipsius actionis, an scilicet unico ictu occidit plures? Tunc enim, quamvis probabile sit *non* obligari dicere, quot sint occisi, tamen non satis est dicere *Commisi homicidium*, sed dicendum, *Uno ictu occidi plures*, juxta dicta in de Conscient. q.1.c.2. in fine.

§. II.

Ad quid teneatur injustus Homicida, vel Mutilator?

Homicida, vel Mutilator duplex inferre potest damnum, naturale, & temporale. Naturale est privatio vitæ, membrorum, vel eorum usus. Temporale est privatio bonorum, & lucrorum, quæ scilicet arte, industria, negotiatione, &c. occisus, vel mutilans, vel usu membri privatus, lucrabatur.

Quæres primo, An injustus homicida teneatur aliquid restituere pro damno naturali?

Respondeo negative, Si occisus sit homo liber: Less. c. 9. n. 141., Nav., Ledesm., Sanch., & alii communius contra Sot., Villal., & alios. Ratio est, quia damnum naturale est creatis viribus omnino irreparabile, cum nemo possit restituere vitam ablatam: ergo non obligat ad re-

Digitized by Google

restitutionem. Idem dic de membro mutilato, vel omnino debilitato, aut deformato, de privatione alicujus sensus, aut usus rationis: Less. c. 8. n. 2. Et sane per nullam restitutionem obtineri potest æqualitas, cum nec oculus v. g., nec ulla pars oculi amissi reparari possit per ullas pecunias: v. Croix n. 299. Dixi, *Si occisus sit homo liber*; nam, si sit servus, restituendum est domino pro ejus vita, quantum vendi poterat; & similiter pro mutilatione, aut cicatrice, quantum venderetur, si illæsus fuisset; quia servus pretio æstimatur: Bon., Laym., Sanch. p. 1. l. 1. *Consil.* d. 1. n. 11.

Quæres secundo, An injustus homicida restituere debeat damnum temporale?

Respondeo affirmative: Doctores communiter; quia hoc damnum est reparabile, & homicida fuit ejus causa efficax: ergo ex justitia tenetur illud reparare. Hinc tenetur restituere: Primo, Expensas factas in curatione personæ a se læsæ, in medicis, medicinis, & cibis carioribus rationabiliter sumptis, attenta qualitate personæ: detractis tamen iis, quæ alias ipse occisus, vel mutilatus erat consumpturus prospera valetudine utens: Secundo, Lucrum ex morte, vel mutilatione, aut debilitatione membri cessans; quanti scilicet spes illa lucri æstimatur, consideratis considerandis arbitrio boni viri; considerata scilicet ætate, quanto tempore probabiliter erat victurus; item valetudine, professione, impedimentis, &c. item personæ homicidæ; diviti enim major satisfactio est imponenda, quam pauperi: detrahendæ tamen sunt expensæ funeris; nam hæ necessario sunt faciendæ etiam in morte naturali, nisi forte majores fuerint in mortis acceleratione. Putat Major, & probabile dicit Diana, detrahendos esse etiam labores, quos occisus, vel vulneratus subiturus erat in suo officio, aut opificio; sed communis sententia negat, quia si hi detrahantur, vix supereat aliquid restituendum ratione lucri cessantis; cum sæpe hoc non sit majus, quam æstimatio laboris, ut in agricola, sutore, sartore, &c. v. Less. n. 20., Bonac. q. ult., Sanch. n. 3., & alios docentes, tutius in hujusmodi restitutionibus fieri compositionem cum parte.

Ex dictis infers primo, Si occisus sit vir nobilis, aut alius,

Digitized by Google

alius, qui nihil lucri faciebat, nec erat facturus, nihil reſtituendum, præter expenſas curationis, si quæ factæ ſunt: pro vita vero, vel mutilatione, cicatrice, dolore, &c.; ſolum debetur ſatisfactio per petitionem veniæ: nisi vero ratione mutilationis, aut cicatricis aliquod lucrum ceſſet, v. g. quia puella sic facta sit deformis, & ideo egeat majori dote; tunc enim hoc augmentum eſt reſtituendum: Nav., Sanch., Leſſ. n. 245.

Infers ſecundo, Qui injuſte hominem liberum conjecit in ſervitutem, teneri ex juſtitia ad eum liberandum; quia, quamvis libertas sit quid naturale, tamen fert ſecum jus, ut poſſit homo liber lucrari sibi, & hoc eſt pretio æſtimabile; ergo talis læſor tenetur, vel ſolvere pecunias pro eo redimendo, vel ſubſtituere alium, vel, si sit ejuſdem ordinis cum eo, & non sit alia via eum liberandi, ſeipſum ſubſtituere: Filliuc., & alii.

Quæres tertio, Cui injuſtus homicida teneatur reſtituere damnum temporale illatum?

Reſpondeo, Si læſus mortuus non eſt, expenſam curationis, & lucrum ceſſans ipsi reſtituenda, quia ipsi eſt facta injuria. Si vero eſt mortuus, reſtituenda ſunt parentibus, filiis, & uxori; quia hi omnes dicuntur neceſſarii hæredes, & cenſentur una perſona cum defuncto: ergo hi in re ſua, & in quadam veluti parte ſui ſunt læsi, & conſequenter eis reſtituendum: Bonac., Leſſ. c. 9. n. 155., & alii. Hinc, si filius sit occiſus carens prole; ideoque parens debeat ſuccedere, huic reſtitutio eſt facienda: similiter, si occiſus habeat filios, patrem tamen ſubſtentabat, patri etiam eſt reſtituendum: at, si occiſus habeat filios, nec patrem ſubſtentabat, eo quod is habebat alimenta, nihil patri eſt reſtituendum, quia in hoc caſu non cenſetur in re ſua læſus: Leſſ. n. 157., ubi etiam ait, probabile eſſe, nihil reſtituendum uxori, si hæc æque commode nupsit, aut poſſit nubere alteri, aut si quis ea occasione det ipsi alimenta, quia sic non cenſetur læſa in temporalibus.

Ex dictis ſequitur: Primo, Occiſorem nihil teneri reſtituere fratribus, aliiſque cognatis, famulis, aut amicis occisi, etiamsi hi ab eo alebantur; quia hi non ſunt hæredes neceſſarii, nec reputantur una perſona cum defuncto, nec eos ex juſtitia, ſed tantum ex charitate alebat: ita Doctores

Digitized by Google

res cit. cum Dian. p. 2. t. 5. r. 22., & t. 6. r. 54. Secundo, Nihil teneri restituere creditoribus occisi, quia eorum damnum per accidens censetur illatum. Neque obstat quod occisus erat his debitor ex justitia, uti erat etiam filiis; nam ratio, cur restituendum sit filiis, non est hæc, sed quia reputantur una persona cum Patre, cujusmodi non sunt creditores: Less. n. 152. Si autem occisor adverterit ad creditores, Sanch. c. 4. d. 4. putat, eis restituendum; sed adhuc negant Salon., Dian., Less., nisi etiam ea intentione occiderit, ut eis noceret, quia sic cum fraude, vel dolo eos impedivit a debiti consecutione; quamvis sic eum etiam excusent Mol., & Bon. n. 3. Tertio, Nihil teneri restituere loco pio, cui occisus voverat aliquid dare; quia, si votum est personale, extinguitur simul cum persona; si reale, transit ad hæredes; &, si hi non sint, obligatio voti non est ex justitia, sed ex Religione. Animæ demum occisi, Scotus, & alii putant, esse aliquid restituendum eleemosynis, orationibus, & missis, nisi homicida subeat pœnam talionis; sed communior sententia negat, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis: etiamsi id saluberrimum sit consilium, & posset a Confessario pro satisfactione Sacramentali injungi: Less. d. 25. Quarto demum, quod, si non extent hæredes necessarii, qui reputantur una persona cum occiso, nihil sit restituendum: Trull., & alii; addunt tamen recte Sanch., & Tamb., expensas factas pro curatione occisi, restitui debere aliis hæredibus, & in horum defectu pauperibus; quia ad has tenetur occisor ratione injustæ acceptionis. Contra vero non restituente homicida, ejus hæredes, sive necessarii, sive ab intestato, tenentur restituere, quia succedunt in bonis, modo hæc sint libera: Nav., Sanch., Sayr. apud Trull.; quamvis hi non teneantur ad restitutionem famæ, vel petitionem veniæ, cum hoc sit debitum personale: Trull. n. 5.

Quæres quarto, An, si occisus omnia remiserit occisori, teneatur is adhuc restituere ejus hæredibus necessariis?

Respondeo, Lug. d. 11. n. 63. cum aliis affirmare, quia occisus non videtur posse remittere obligationem occisoris pro damnis, quæ causavit lædendo jus v. g. filiorum ad alimenta, eo quod hoc jus non pertinebat ad occisum,

sed

Digitized by Google

sed immediate ad filios, &c. Contra vero negant Mol., Sanch., Bann., Salon., Less. n. 158., quia filiis non fit ab occisore injuria in bonis fortunæ, nisi quatenus læduntur in patre contra ipsius voluntatem; ergo, quando pater expresse remittit omne debitum pecuniarium, nullum jus remanet filiis, ut patet etiam, quando furi debitum remittit. Utraque sententia est probabilis; hæc tamen videtur probabilior: Noto tamen primo cum Salon., quod, quando læsus dicit in universum se remittere, non intelligitur quoad damna pecuniaria, quia hæc debent specialiter exprimi, sed intelligitur tantum quoad injuriam, & vindictam, quam ex charitate remittere debebat. Noto secundo cum eodem, quod, etsi pater condonaverit, filius pro jure, quod habet agendi contra occisorem, ut puniatur, potest aliquid ab eo accipere, quia hoc jus est pretio æstimabile.

CAPUT II.

De Restitutione ex stupro, aut defloratione.

STUPRATOR dicitur, *Qui virginem invitam corrumpit.* Sic enim per ly *Invitam* differt a defloratore, *Qui consentientem virginem corrumpit.*

Dico primo: Stuprator nihil tenetur restituere præcise pro stupro, seu pro ablata virginitate, sed tantum pro damno temporali inde secuto in ordine ad futurum illius matrimonium: Nav., Bon., Less. c. 10. n. 15., & alii apud Trul. contra Sayr. Ratio est, quia virginitas est bonum naturale, cujus amissio est irreparabilis: ergo stuprator pro ea præcise ad nihil tenetur, sed tantum pro damno temporali secuto in ordine ad matrimonium, uti similiter dictum est de injusto homicida, aut mutilatore.

Infers primo, Stuprator, qui vi, aut fraude virginem corrumpit absque promissione matrimonii, non teneri ante sententiam Judicis eam ducere, sed vel ducere, vel dotare; quia, quando abest dicta promissio, sufficienter compensatur injuria, & vis illata per alterutrum ex his: Less. c. 10. n. 13., Bon., & alii. Hinc ante sententiam Judicis potest illi volenti ejus matrimonium offerre tantum dotem, quantum scilicet necessarium est, ut illa æque, & bene nubat cum alio, ac si corrupta ab ipso non fuisset:

qua-

Digitized by Google

quare nec tenetur ad integram dotem, ſed ſolum quanti valebat ſpes illarum nuptiarum, quia in hoc ſolum eſt damnificata: Leſſ. n. 11. Si autem non poſſit pecunia reſarcire tale damnum, tenetur ducere, niſi forte ſit notabiliter ea nobilior, vel damnum inde ſequatur notabiliter majus, quia non tenetur cum majori ſuo damno damnum alterius reſarcire, juxta dicta d. 1. q. 8. Contra vero, ſi illa nolit ejus matrimonium, tenetur ut ſupra dotare, etiamſi ipſa nolente ejus pater vellet tale matrimonium, quia in hoc eſt libera, nec cogenda eſt contra ſuam voluntatem: Leſſ. n. 12., Bon., Trul.

Infers ſecundo, Stupratorem ad nihil teneri, ſi ſtuprum ſit occultum, & ea poſtea nupſit æque bene cum alio, qui non cognovit defectum; niſi vero cognito deinde a marito defectu aſpere tractetur; id enim erit ei compenſandum arbitrio prudentis, ut notat Trul. l. 7. c. 9. n. 3. Si autem, antequam æque bene nubat, pacta fuit, vel accepit a ſtupratore compenſationem, juſte retinet; quia licite potuit accipere pro periculo, cui erat expoſita, ut non æque bene nuberet; quod, ſi ſecutum non eſt, ipſius induſtriæ eſt tribuendum: Leſſ. n. 17. At, ſi antequam compenſationem acceperit, vel de ea pacta ſit, Monaſterium ſit ingreſſa, aut ſtatum continentiæ amplexa, aut obierit, non tenetur ſtuprator quidquam reſtituere ipſi, aut ejus hæredibus; quia nullum damnum in ordine ad matrimonium eſt illatum, & tempus neceſſitatis eſt elapſum: Villal., Trul. n. 4.

Infers tertio, Stupratorem ad nihil teneri, ſi illa, etiam abſque conſenſu patris, injuriam illatam libere remittat; quia poteſt ea cedere jure ſuo, quod habet ad detrimenta nuptiarum ſarcienda, præſertim cum liberum ſit ei a nuptiis abſtinere: Leſſ. n. 9., Bonac., & alii. Si autem ex ſtupro ſecuta eſt proles, non ſolum tenetur ſtuprator hanc alere, & ſolvere ſtupratæ omnes expenſas, quas fecit, & damna, quæ paſſa eſt, & quæ ſecuta ſunt propter injuriam illi illatam; ſed nec poteſt ſtuprata cedere, aut induci ad cedendum juri prolis ad ea alimenta: niſi vero ipſamet de ſuo æquo ſuppleat.

Infers quarto, Quæ dicta ſunt de ſtupratore Virginis, dicenda proportionaliter de eo, qui per vim extorſit co-

pu-

Digitized by Google

pulam ab ea, quæ communiter reputatur Virgo, etsi revera non erat talis, vel a Vidua reputata communiter honesta; quia ratione violentiæ fit ei injuria in ordine ad matrimonium. Secus vero dicendum de eo, qui per vim extorquet copulam a meretrice, cui nullum fit damnum in ordine ad matrimonium.

Dico secundo: Defloratus, qui Virginem sponte consentientem cognovit absque promissione matrimonii, ad nihil tenetur; si cum promissione matrimonii, tenetur regulariter eam ducere: Doctores communiter cum Nav. c.16.n.18.,Sayr.,Clav. Reg. l.11.c.2. n.33., & aliis.

Ratio primæ partis est, quia Virgo, etsi non sit domina sui corporis, est tamen domina usus illius; & consequenter volenti, & consentienti non fit injuria. Si autem id publicetur; tunc, si ipse fuit causa talis publicationis, tenetur, & famam, & damnum incrementi dotis, & quidvis aliud resarcire, quia horum fuit causa injusta: Bonac., & alii communiter: secus vero, si ipsa se infamavit: uti neque, si aliunde omnino per accidens secuta sit publicatio; sicut enim tunc ipsa non tenetur aliquid patri restituere ob læsum ejus honorem, ita nec defloratus: Less. c. 10. n. 9. Eadem dic, si defloratus muneribus, blanditiis, precibus etiam importunis copulam impetravit, quia sic etiam censetur ea libere consentire. At, si fuerint preces Superioris, aut magnæ auctoritatis, cui non ausa est illa recusare ob timorem, &c., tunc ille æquivalet stupratori, juxta dicta concl. 1.; idemque dicit Villal.,si defloratus intulit vim per oscula, amplexus, & tactus, propter quæ ipsa quasi victa consentit.

Ratio secundæ partis est, quia defloratus obtinens copulam ex tali promissione matrimonii manet personaliter obligatus: ergo tenetur in conscientia, & ante sententiam Judicis eam ducere, nec potest aliter esse liber dotando: nisi cum libero ejus consensu; imo nec potest illa renunciare matrimonio, si ex tali copula existat proles, quia ex eo contractu proles acquisivit jus ad legitimationem: Croix *de Matr.* Hæc vera sunt, etiamsi talis defloratus postea voveat Castitatem, aut Religionem, quia votum non tenet contra rem promissam ex justitia debitam; imo, etiamsi antea voverat, quia debitum justitiæ, quan-

Digitized by Google

quando ex parte alterius irreparabiliter exhibita est conditio, prævalet cuivis debito gratuitæ promissionis: Sanch., Lug., & alii apud Dian. contra Nav., Rodr.

At, si talis deflorator erat conjugatus, vel in Sacris, tenetur ei providere æque bene de aliis nuptiis; &, si non providerit usque ad suam viduitatem, tenetur eam ducere: idemque est, si ex matrimonio promisso sequantur gravia scandala, inimicitiæ, pessimi exitus, &c. Contra vero non tenetur eam ducere, nec dotare, si ipsa, vel parentes ejus recusent suas nuptias, quia has tantum promisit in pretium copulæ: idemque est, si ipsa sit hæretica, & nolit converti, quia per ipsam stat: idemque est, si ea cum alio postea fornicetur; vel, si finxerit, se esse Virginem (secus vero, si sciebas, esse corruptam ab alio) aut Viduam honestam; quia in injuriis datur compensatio.

Quæres, Ad quid talis deflorator teneatur, si ficte promisit matrimonium?

Respondeo, Teneri eam ducere, itaut non possit compensare ulla dote damnum illatum; quia ex justitia tenetur implere promissionem onerosam, etiamsi fictam, posito quod altera pars impleverit revera conditionem copulæ. Nec est verum, quod justitia non plus requirat, quam æquale damno illato, quando id, quod in specie debetur, reddi potest: Mol., Les., Con., & alii contra Perez. Hinc tenetur mutare animum, & sublata fictione velle eam ducere, juxta modo dicta de vera promissione.

Excipe tamen primo, Si ejus conditio notabiliter excedat conditionem defloratæ, & hæc præsumatur ad id advertere potuisse; quia sic voluntarie videtur fraudi consensisse, & consequenter ille ad nihil tenetur: D. Th., Sanch., & alii communiter contra Sot., Led., & alios. Si vero nullatenus ad id advertere potuit; vel, si advertit, tamen deflorator ita se gessit, ut prudenter credi posset vere promittere, tenetur eam dotare ob injustam deceptionem; non tamen eam ducere, cum hoc non sit vere promissum, & sit longe majus defloratione: Sanch., & alii communiter.

Excipe secundo, Si ex verbis, aliisque signis ea poterat facile cognoscere, promissionem etiam juratam defloratoris esse fictam, aut illum esse voto, aliove impedimento li-

Digitized by Google

ligatum ; quia ſic sibi imputet, quod libere conſenſerit in copulam, & conſequenter ille ad nihil tenetur: Leſſ., Tamb., & alii communiter: nisi vero diſpenſationem petendam etiam ficte promiſerit; sic enim tenetur petere, & ducere.

CAPUT III.

De Reſtitutione ex Adulterio.

CERTUM eſt, si ex adulterio proles nata non sit, non teneri adulterum reſtituere aliquid marito, ſed tantum ſatisfacere per petitionem veniæ, & signa doloris, & hoc tantum, quando adulter ſcit, & putet, eum cupere, aliter minime; imo, si maritus exigat ſatisfactionem pecuniariam, adulter ad hanc non tenetur, quia non intulit damnum in rebus fortunæ: si autem hanc dederit, poteſt maritus retinere in foro conſcientiæ: Leſſ.c.10.d.5.

Quæſtio ergo eſt, Ad quid teneantur adulter, & adultera, si ex adulterio nata sit proles, quæ dicitur adulterina? Idemque eſt, si abſque adulterio fingant illius partum, ſupponentes marito alienam prolem, tanquam ſuam, quæ dicitur ſuppoſititia, ut bene notat Nav. c.16. n.43. Qua in re, si dubium sit, an proles ſit mariti, vel adulteri, non tenetur adulter, nec adultera aliquid reſtituere marito, aliiſve ejus legitimis, ſive tale dubium ſit negativum ex levibus conjecturis, ſive ſit etiam poſitivum ex rationibus hinc inde probabilibus; quia in utroque dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſcilicet matrimonii, quod eſt in poſſeſſione ſuæ honeſtatis: Lug. d. 13. n.17. Si autem certum sit, prolem eſſe ex adulterio, ſed incertum, a quo inter plures adulteros, tunc eſt in poſſeſſione adulterium; ideoque singuli ſecundum proportionem dubii tenentur ad partialem reſtitutionem alimentorum, & partis hæreditariæ legitimis ſubtractæ, cujus tamen portionis dimidium reſtituere debet adultera, juxta mox dicenda: Croix n.337. Videndum ergo de prole certo moraliter adulterina, vel ſuppoſititia.

Dico primo: Adultera tenetur hæreditatem filii adulterini, vel ſuppoſititii reſtituere aliis legitimis hæredibus: modo poſſit ſine majore ſuo damno: Doctores communiter. Ratio eſt, quia culpabiliter privat eos legitima parte

Digitized by Google

te hæreditatis. Hinc, si habeat bona paraphernalia, dotem mortuo marito, &c., tenetur legitimis hæc bona relinquere; &, si hæc sufficiant ad compensandum eorum damnum, ad nihil amplius tenetur: si autem hæc non habeat, vel non sufficiant, tenetur solitos sumptus imminuere, quantum commode potest. Si vero neque sic possit satisfacere, tenetur caute, & prudenter illegitimum inducere, ut ingrediatur Religionem incapacem hæreditatis. Si demum nullo ex his modis sit possibilis restitutio, non tenetur se revelare cum periculo vitæ suæ, vel illegitimi, vel adulteri: nisi vero talis revelatio certo impediret malum commune Reipublicæ, puta Regnum ab illegitimo hæretico, vel pessimo gubernandum; ad quod malum impediendum, licet non teneatur ex justitia commutativa, tenetur tamen ex charitate, & justitia legali: Less. c. 10. n. 54., Bon. q. 4. *Matr.* p. 15., & 16.

Similiter, Neque tenetur se revelare cum periculo famæ, etiamsi hæreditas ampliſſima sit, & Regnum; quia fama est bonum ordinis multo superioris, quam bona fortunæ: nisi vero mulier non sit bonæ famæ, vel adeo vilis, ut ejus fama prudentis judicio parvi sit pretii, ut limitat Sot. apud Trull. Imo, nec tenetur se prodere filio, vel marito, etiamsi ipsi silerent, nec illam vexarent, quia non tenetur se apud illos infamare: Less. n. 58., nec filius tenetur ei credere etiam juranti in articulo mortis; quia, cum sua, & publica opinione sit legitimus, non tenetur suo incommodo reputare se illegitimum, nisi convincatur, ad quod non sufficit unus testis: Less. n. 51., nisi vero illa certas etiam probationes afferat: Less. n. 52., in quo casu teneretur filius aditam hæreditatem restituere, nisi legitime præscripserit: Salon. apud Trull.

Dico secundo: Adulter, si certus sit, filium esse suum, itaut nullam habeat probabilem rationem in contrarium, tenetur restituere patri putativo, vel filiis legitimis alimenta, & hæreditatem illegitimi a tertio anno ætatis illius; tum etiam dotem, si pater putativus filiam adulteram dotavit: Doctores communiter contra Sotum, & Henr., qui solum ad hæc obligant, si cooperatus sit tali suppositioni: v. Croix *de Restit.* n. 336. Ratio est, quia est horum damnorum causa: tenetur autem ad alimenta a tertio an-

Digitized by Google

no ætatis illius, quia mater tenetur ad alimenta filii a partu usque ad tertium annum inclusive, ex c. 2. *de Conversion. Infidelium*; ergo pater tenetur tantum a tertio anno. Si autem sit alius, qui ei provideat, Sotus censet, adulterum non teneri ad restitutionem alimentorum, dummodo non consuluerit ejus suppositionem pro legitimo, eo quod sic videtur causa per accidens illius damni; quam opinionem probabilem dicunt Trull., Dian. p.1. t.3. r.55.

Cæterum non tenetur restituere cum periculo famæ, aut vitæ suæ, vel adulteræ, uti dictum est de adultera, cum æqualis sit utriusque ratio. Neque, si non sit moraliter certus, prolem esse suam, vel prudenter suspicetur, esse alienam, v. g. si mulier sit levis, & solita aliis copiam sui facere, aut si simul agat cum viro suo, vel probabiliter existimetur mentiri ad illum obligandum.

CAPUT IV.

De Restitutione ex Servitute.

SERVITUS, *Qua Homo fit mancipium alterius hominis* est, jure gentium introducta ex quatuor titulis, Belli, Nativitatis, Emptionis, & Condemnationis.

Jure belli. Captus in bello, etsi sit parvulus, & innocens, fit servus capientis, ex *l. hostes, ff. de Captivis*. Debet tamen bellum esse justum ex parte capientis, aliter captus non evadit juste servus. Si autem bellum sit utrinque probabiliter justum, capti fiunt utrinque servi; at, si postea constet, fuisse injustum ex parte capientis, tenetur is captum in libertatem sine pretio restituere: Less. c.5. n.12. Apud Christianos tamen consuetudine introductum est, ut Christiani capti a Christianis non fiant servi, idque in honorem libertatis, quam per Christum summus consecuti: item, si Dominus sit Judæus, aut Paganus Principi Christiano subjectus, vel sit Hæreticus; servus Christianus hoc ipso est liber; & similiter servus infidelis istorum, si fiat Christianus, statim est liber, ex *l. Deo, cap. de Episcopis*.

Jure nativitatis. Qui ex tua ancilla nascitur, hoc ipso est tuus servus, etiamsi ejus pater sit liber, etiamsi ex legitimo matrimonio; quia partus sequitur ventrem, ex *l. Partum, cap. de rei vendit.* At, si mater fuit libera, dum concepit,

Digitized by Google

pit, vel dum peperit, vel tempore aliquo intermedio, proles jure Cæsareo non contrahit servitutem, ex *Instit. de ingenuis*: Less. n. 13.

Jure emptionis. Potest quis seipsum vendere in servitutem, cum sit dominus suæ libertatis; illicite tamen, quamvis valide, si fiat sine justa causa, qualis est extrema necessitas: quare non sufficit, si fiat pro solvendo debito pecuniario, cum libertas sit pretiosior auro; ideoque a fortiori peccat, qui ob pecuniam se vendit ad remigandum in triremibus etiam ad tempus, aut suam libertatem exponit ludo spe lucri: Sayr., Trul., & alii. Ad validitatem tamen talis venditionis requiritur jure Cæsareo: Primo, Ut sit major 20. annis: Secundo, Ut intendat, & sit particeps pretii: Tertio, Ut venditio fiat per tertiam personam: Quarto, Ut & hæc, & ille sciant, se esse liberum ante venditionem: Less. n. 14. Potest item pater vendere prolem non emancipatam, *Ob nimiam paupertatem, & victus causa*, modo necessitas sit extrema, ex *l. 2. cap. de Patribus*: tamen filius ita venditus potest se redimere soluto pretio, vel oblato alio mancipio: Less., & alii communiter.

Jure demum *condemnationis*. Qui deferunt arma, vel alia prohibita ad Turcas, vel Saracenos, fiunt servi Christianorum illos capientium, *cap. Ita, de Judæis*: Raptor puellæ in servitutem deditur, c. 36. q. 1. *cap. de Raptor*. Femina scienter contrahens matrimonium cum Clerico in Sacris potest a Principe in servitutem capi, *cap. Eos, qui* d. 32. & filii ex tali conjugio nati fiunt servi Ecclesiæ, cui parens adscriptus erat, c. 15. q. 8. *cap. Cum multæ*. Hæc tamen omnia intellige post sententiam Judicis, ante quam pœna servitutis non incurritur: Less. n. 14.

Quæres primo, Ad quid teneatur servus?

Respondeo, Teneri adimplere opera a domino ei injuncta. Si autem ea non impleat: tunc, si est servus a se, vel a patre venditus, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem: & similiter, qui tali servo suadet otium; quia obligatio est ex contractu. Si vero est servus titulo belli, vel condemnationis, vel nativitatis ex ancilla bello capta, peccat quidem graviter contra obedientiam domino debitam, at probabiliter non peccat contra justitiam,

Digitized by Google

nec tenetur ad reſtitutionem, uti nec, qui ei ſuadet otium: Leſs. c. 8. n. 20. Quod verum eſt, etiamſi talis ſervus pluries deinde ſit venditus, quia non eſt talis ex primario titulo: Leſs. c. 5. n. 25. Qui autem fuit cauſa injuſta, cur aliquis titulo belli, vel condemnationis evadat ſervus, tenetur eum redimere, vel ſe loco illius ſubſtituere, quia libertas libertate eſt compenſanda: Doctores communiter.

Quæres ſecundo, An ſervus poſſit licite fugere?

Reſpondeo primo, Si a ſe, vel a patre legitime ſit venditus, non poſſe fugere; quia obligatus eſt ex legitimo contractu, quem violare nequit abſque injuſtitia; ideoque, ſi fugerit, tenetur redire: idemque eſt, ſi juſte condemnatus ſit in ſervitutem; quia hæc pœna eſt talis, ut non poſſit, niſi per reum executioni mandari: Leſs. c. 5. n. 21., & 22.. Idemque eſt de prole feminæ titulo venditionis, aut ob crimen ſervituti addictæ, cum proles ſequatur ventrem, ideoque nec poſſit fugere. Unde etiam ſequitur, ut, qui talibus ſervis auxilium, vel conſilium ad fugam dederit, peccet, & ad reſtitutionem teneatur totius damni inde ſecuti: Nav., Leſs. n. 23. Excipe tamen primo, Si ſervitus illa ſit valde ea calamitoſa, quia ſic videtur nimis durum, & ſuperans humanam conditionem, ideoque probabile eſt, oblata commoda occaſione poſſe fugere. Excipe ſecundo, Si a domino incitetur ad aliquod peccatum, & ille rogatus nolit deſiſtere; quia non tenetur cum periculo animæ ſervire: ceſſantibus tamen his cauſis tenetur reverti: Leſs. n. 19.

Reſpondeo ſecundo, Si ſit ſervus titulo belli juſti, nec dederit fidem de non fugiendo, poſſe licite fugere, non quidem animo vagandi, aut aliis ſerviendi, quia ſic *furtum ſui facit Domino*, ex *l.* 1. *cap. de Servis fugitivis*; ſed animo redeundi ad ſuos, & ſic libertatem recuperat in termino, ex *l. Poſtliminio*, *ff. de Captivis*; ideoque poteſt alter ad id cooperari: Doctores communiter: At, ſi in via intercipiatur, non poteſt vi reſiſtere, quia nondum evaſit liber, ideoque poteſt tunc in captivitatem reduci, ac puniri: Leſs. n. 27. Hæc omnia vera ſunt, etiamſi talis ſervus ſit a captore venditus aliis, quia eſt ſervus ex primævo titulo belli, etiamſi pluries deinde ſit venditus: idemque

eſt

est de filio ancillæ bello captæ, quæ non debet esse deterioris conditionis, ideoque potest per fugam redire ad suos: Less. n.25. Denique talis servus, secundum Sanch. l.5.c.4., Less., & alios, invito domino invalide profitetur in Religione; sed probabilius contradicit Suar. apud Croix l.4. n.179., quia jure naturæ valide vovet, nec jus positivum induxit invaliditatem. De matrimonio servi, vel servæ dicemus in de Matrimonio de Impedimento conditionis.

QUÆSTIO IV.

De Restitutione bonorum animi.

BONA animi sunt, quæ pertinent vel ad intellectum, ut scientia, & cognitio veritatis; vel ad voluntatem, ut gratia, aliave dona Divina; vel ad vitam spiritualem, ut status Religiosus.

Quæres primo, Ad quid teneatur, qui docuit falsam doctrinam?

Respondeo, Si falsam doctrinam docuit, tanquam ex officio, puta, ut Doctor, Confessarius, Prædicator, Advocatus, Cathedraticus, &c., tenetur ex justitia non solum resarcire damna temporalia inde secuta, sed etiam tenetur se retractare, & utilem doctrinam docere; quia ad id tenebatur ex officio. At, si non docuit, tamquam ex officio, sed ut privatus quidam, tunc satis erit significare, falsa esse, quæ docuit, nec tenetur amplius veritatem rei ostendere: Cajet., Nav., Trul., & alii.

Qui autem mentiuntur, seminando novitates, falsosve rumores, per se loquendo, non tenentur ex justitia se retractare, si aliud damnum inde non sequatur; quia de his homines parum curant, nisi forte tenebantur ex officio, aut stipendio monere rerum, quæ de novo contingunt: Sanch. l. 1. *Consil.* c.3. d.8. n.6. Similiter inducere aliquem etiam fraudulenter in errorem mere speculativum non censetur gravis injuria, nisi sit circa rem valde notabilem, puta circa principium aliquod universale causativum multorum errorum; sic enim esset damnum grave in bonis intellectus: Lug.d.4.n.4. Si autem sit error practicus, puta circa mores, fidem, &c., erit injuria gravis, vel levis, prout

Digitized by Google

prout inducit ad malum grave, vel leve: Lug. n.2.

Quæres secundo, Ad quid teneatur, qui proximum inducit ad peccandum?

Respondeo, Si inducit metu, vel fraude, tenetur ex justitia illum suæ libertati restituere, vimque fraudemque tollendo, ne perseveret, vel imposterum simili modo peccet; quia fecit jam contra jus strictum alterius: hinc, si eum induxeris per errorem ad opus de se malum, etsi ille ratione conscientiæ erroneæ formaliter non peccavit, tamen illud peccatum tibi imputabitur; ideoque teneris de damno secuto: Less. c.8. n.11. Si autem ille aliunde noverat errorem, ideoque peccavit sequendo tuum consilium falsum, non teneris ex justitia contrarium suadere, quia ablatus est error illius, ratione cujus tu eras causa operis mali, puta homicidii: teneris tamen de damno secuto personæ occisæ, tamquam consulens: Less. n.6. At, si sine metu, & fraude, sed precibus, pollicitationibus, aut etiam pretio induxeris aliquem ad peccandum, non teneris ex justitia curare, ut convertatur, sed tantum ex charitate, magis quidem, quam alii, quia non peccasti contra jus strictum alterius: &, si sic induxeris ad Homicidium, non teneris de damno secuto homicidæ: Sylv., Nav., Bon., & alii. Idem est, ex supra dictis d.1., si malo exemplo induxeris alium ad peccandum.

Quæres tertio, Ad quid teneatur, qui proximum abstraxit a statu Religioso?

Respondeo, Si novitium abduxit sine vi, & fraude, non teneri ex justitia illi, vel Religioni quidquam restituere; sed tantum ex charitate suadere illi reditum, & ut compenset commoda monasterio; quia contra charitatem tantum peccavit, & quidem probabilius mortaliter, si absque rationabili causa abduxit a novitiatu, vel abeo impedivit, quia retrahere a tanto bono videtur grave malum: Mol., Busemb., & alii, contra Fill., Pal., & alios putantes, non esse mortale: v. Croix n.345. Si impediat, aut abducat vi, vel fraude, peccat contra justitiam graviter, & ex Trid. *sess.*24.c.18. *de Regular.* incurrit excommunicationem, si puellam impediat, vel abducat: uti etiam, si eam invitam cogat. Tenetur ergo reparare damna, quæ abstractus ideo patitur, adeoque procurare, ut iterum admittatur,

Digitized by Google

tur, si fieri poterit : si autem Religiosum Professum abstraxit a Religione, tenetur etiam monasterio compensare damna temporalia, & lucra cessantia secundum spem, & judicium prudentium : puta, si erat lector publicus, si hæreditatem expectabat, &c., quæ, cum cedant monasterio, non possunt remitti ab abstracto: Sanch., Lug., n. 52., & alii communiter : idemque probabiliter dicit Less. cum Lug., & aliis contra Sanch. de Novitio vi, aut fraude abstracto, quia monasterium habet jus, ne vi, vel fraude impediatur a talibus bonis, juxta dicta d. 1. q. 3. c. 3. Non tenetur autem abstrahens, etsi vi, vel fraude abstraxerit, ipse ingredi in Religionem, vel alium supplere loco abstracti, quia hæc non sunt media ordinata ad restitutionem: Sanch., Lug. d. 9, n. 30. contra Nav., & alios. Similiter, qui Religiosum occidit, nunquam condemnabitur ad alium inducendum, si tamen talis occidens, vel vi, aut fraude abstrahens Religiosum inducat alium æque commodum Monasterio, jam satisfacit huic oneri: Lug. n. 52. Denique, qui Professum sine vi, vel fraude abducit, secundum Mol., Vasq., Turr., & alios, adhuc tenetur Monasterio compensare damna temporalia inde secuta; quia Religio jam possidebat Religiosum: sed probabilius negant Less., Sanch., Tann., Lug. n. 4., & alii apud Croix n. 349., quia religio tantum habebat jus jurisdictionis, non autem proprietatis in subditum: sicuti nec ipse Religiosus aufugiens peccat contra justitiam, & consequenter nec alius consulens, utpote causa secundaria. Hæc de Restitutione ad majorem Dei gloriam dicta sint satis.

F I N I S.

Deo Laus, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.


Digitized by Google

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA Y LETRAS MADRID

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google